BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
S E
8

Digitized by Google

β I e 22

Digitized by Google

Digitized by Google

R. P. F.
LVDOVICI
A S. RAYMVNDO
TRACTATVS VARII
VARIARVM RESOLVTIO-
NVM MORALIVM
PARS SECVNDA.

Digitized by Google

Digitized by Google



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google

Digitized by Google

TRACTATVS VARII VARIARVM RESOLVTIONVM MORALIVM PARS SECVNDA

AVTHORE REVERENDO ADMODVM PATRE

FR. LVDOVICO A S. RAYMVNDO

GRANATENSI ORDINIS DISCALCEATORVM B. MARIAE de Mercede Redemptionis Captiuorum Sacræ Theologiæ Primario Profeſſore, & quondam in Collegio Ciuitatis Gadicenſis eiuſdem Ordinis in Hiſpania in Prouincia Immaculatę Conceptionis apud Vandaliam Studiorum Regente: Nunc autem Secretario Reuerendiſſimi Patris Commiſſarij Generalis eiuſdem Ordinis in Italia.



PANORMI, Ex Typographia Petri de Iſola; M. DC. LIX.

Imprimatur Abbas Geloſus V.G. *Imprimatur R. D. Petrus de Gregor. Præſ.*

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISSIMO DOMINO

DON IOANNI ANTONIO GELOSO

EXCELLENTISSIMI, ET REVERENDISSIMI DOMINI

D. PETRI MARTINEZ RVBIO

ARCHIEPISCOPI PANORMITANI IN SPIRITVALIBVS, ET temporalibus Vicario, & Viſitatori Generali, Cantori Cathedralis Sanctæ Eccleſiæ Panormitanæ, primæ Dignitati poſt Pontificalem, & Abbati Commendatario Eccleſiæ Abbatialis Sancti Nicolai lo Reale Ciuitatis Mazarienſis, Bis Regni Deputato &c.

FRATER LVDOVICVS A S. RAYMVNDO Ordinis Diſcalceatorum B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum.

F.

QVID amicis ſideribus iucundius Oceanum enauiganti? Quid Arcis propugnaculo gratius extimeſcenti vim hoſtiū? Ad tuā igitur Arcem confugiat trepida hæc mei qualiſcunque proles ingenij, Reſolutionū Moralium liber: tuorū ad ſiderum nitidiſſimū fulgorem læta alacriſque ſoluat puſilla ratis. Magnum quidem auſum, haud negarim, & periculoſæ nimis plenum opus aleæ tenui Cymbæ, paucarum paginarum volumini fidere, & in Oceanum tot ingeniorum diuerſitate varium, amplitudine vaſtum, mutabilitate infidum ſoluere. Audax nimium qui freta primus Rate tam fragili perfida rupit, liceat mihi meam in mentem vſurpare. An non maris perfidia ea ſit appellanda? cum, ſi ſoluētem

Digitized by Google

è portu nauem gratus vndarum ſonitus excipiat, cum timeas ſecundæ ne auræ flatus in plauſum, an inuidæ in ſibilum exciuerit: vela ſi tendant noti, furorem, an fauorem, ſtratum cum ſpectas mare; ſerenitatem an pellaciam appelles neſcias. At quam infidus Oceanus noſtro hoc æuo; quando tanta, tamque varia voluminum vis, æquor veluti, obſidet, & premit ſtudioſorum mentes. Scilicet tot nauium pondere grauatus eò tumet magis, iugumque excutere omni tentat conatu: vnde ſi tempeſtatem ciat ventorum percitus turbine, vel inter ſe deprælantium nauium impetu commotus; noctem præter, & fluctus, nihil noueris. Proh quam neceſſaria fax amica, benignus aſtri aſpectus, tutamen vna, & dux fluctuantibus. Hac mente ipſe tua fretus humanitate qua, cœlum veluti, nemini ſplendores abnuis tuos; ne tempeſtate iactatus naufragus ingemiſcam; aſtrum inuoco: pandunt gentilitia tua ſtemmata; placidiſſimo, vt eius aſpectu fruar. Illuſtrarint nitidiſſimos orbes tria illa tuæ familiæ lumina: P.M. Albertus Geloſus, qui tum Prouinciam adminiſtrando, tùm vero nouis ædificijs quamplurima Siciliæ cænobia amplificando Carmelitarum ordini affulſit: P. Mag. Hieronymus Geloſus, Auunculus alter, alter Germanus tuus; illum è Dominicana familia clarum reddidere munera, queis tàm præclarè functus eſt, & peculiaria Prouinciæ, & communia Apoſtolicæ Inquiſitionis; hunc è Sancti Franciſci ordine præter Prouinciæ gubernacula, ad quæ trigeſimo ſecundo ætatis anno omnium calculis aſſumptus eſt, ſacræ Theologiæ Cathedræ, & nobiliores ſuggeſtus, qui eum ſemper ambiere: octauum ſupra vigeſimũ vix attingens annum à Hieroſolymitani Equitatus Præfecto in Concionatorem Melitam accitus eſt: Vir eo dignus elogio, quo ſui ordinis Generalis Pręſidens eius mortem proſequutus eſt: Cecidit Colũna Religionis meæ. Iam verò ſi tuarum ſplendorem virtutum ſuſpicimus, quid eis ſideribus illuſtrius? Pietatem in altero agnoſco mire coruſcantem: accendit alterum in tractandis rebus, quo adeò præſtas, conſilium: poſtremum ſapientiæ iubar obtinet peracris ingenij radijs Canonicis, Theologiſque quæſtionibus diſcutiendis affulgens. Perſpicaciſſimos teſtor obtutus Eminẽtiſſimi Cardinalis Doria: is te vnum dignum æſtimauit, ſuas qui vices gerêres. Vnde non modo ad Ducem Alcala, vt grationis, & feliciſſimæ auſpicationis officia nouo Siciliæ Proregi ſuo nomine pręſtares: verum ob maximi ponderis negotia, ad Pontificis Vrbani Octaui pedes legauit: quod munus quanto conſilio, quoque animo ſubieris, ſumma cum laude, tuæq; admiratione virtutis teſtantur litteræ à Cardinale Barberino ad Cardinalem Doria. Quare meritiſſime in ſua hac Diœceſi, cuius bono felicem adeò exitum grauiſſimis negotijs obtinuerat prudentia tua ſui iuris Vicarium conſtituit. Cardinali Doriæ ſubſcribant Montis

Rega-

Digitized by Google

Regalenſis Diœceſis Archiepiſcopus Eminentiſſimus Cardinalis Mõtalto: Archiepiſcopus Panormitanus Don Ferdinandus Andrada: & Excellentiſſimus Dominus Don Petrus Martinez de Rubio, qui modo Panormitanam Sedem Paſtoris munere, & Regni clauum Regis Vice obtinet. Hi omnes nempè Vicaria tua cura tutari Metropolitanam ſedem voluere: & Cardinalis Mont'alto de renuncianda tibi Montis Regalenſi Eccleſia diu, acriterque egit cum Regijs, & euiciſſet, ſanè ni acerba mors conſilijs obſtitiſſet. Quid Oſſunam, Infantadum, Triuultium, Don Ioannem Auſtriacum prætereo. Oſſuna te primum ad Pactenſem Epiſcopatum nominauit. Infantadus, cum generalem congreſſum cogeret Meſſanæ, illuc aduocauit, vt vnus è deſignatis Eccleſiaſtici iuris conſulibus aſſideres. Senſerat ſiquidem vir conſilio præſtans quanto cum ſtudio in decem eiuſmodi congreſſibus Regiam cauſſam egiſſes: quod nempè in ſchedula ſua manu ſubſcripta teſtatum liquerat poſteris Catholica Regis Noſtri Philippi Maieſtas. Triuultius Panormitani Senatus nomine Neapolim ad D. Ioannem Auſtriacum legauit vt, feliciſſimam numeroſiſſimi Populi Ciuitatis Neapolitanæ reductionem in Regis obedientiam, auſpicareris: & oſtendit quam ei acceptus fueris Auſtriacus; dum, paucis menſibus vix abſolutis, Metropolitanæ huius Eccleſiæ Cantor, quę poſt Archiepiſcopum in Canonicorum Collegio prima dignitas habetur, & Abbas Sancti Nicolai Regalis Ciuitatis Mazariæ renuntiatus es: & poteras tunc quidem Abbatia S Lucæ oppidi Pittinei, quam ab anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quinto obtinueras, vna cum noua hac frui; ipſe vero ſingularis modeſtiæ exemplo, vltro te ea abdicare voluiſti: edocens poſteros quanti habenda ſit gloria, quę ex abdicata dignitate renaſcitur. Iam tot ad fulgores minimi videntur, licet maximi ſint totius te Collegij ſuffragijs bis in Vicarium, vacãte Sede electum à tribus Archiepiſcopis Cardinale Doria, F. Martino de Leon, & Cardenas, & Don Petro Martinez de Rubio: Supellectili ſacræ curandæ fabricæque pręfectum fuiſſe, eo Eccleſiæ æmolumento, quod tot argentea Candelabra, cæteraque inſignia ornamenta teſtantur, queis aucta eſt in dies. Proh per quam fulgidiſſima ſidera! Affulgeant mihi imploranti amiciſſimo vultu, vt futuræ ſerenitatis ſpe confirmatus tutò fauenti auræ explicẽ vela, ſyrtium fraudes haud extimeſcens, quas inſidioſi obtrectatores condunt nauigantium malo. Sic æternum tuarum ſtellarum ſplendorem ſuſpiciam non modò terris affulgentem, verum & cœleſtis ſedis decus nobiliſſimũ. Deus te noſtro bono diù ſeruet.

AP.

Digitized by Google

APPROBATIO

REVERENDI ADMODVM PATRIS F. IOSEPHI A S. BERNARDO
Commendatoris Conuentus Sanctæ Mariæ de Populo Feliciſſimæ Ciuitatis Panormi extra muros Ordinis Diſcalceatorum Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum.

EX Commiſſione Patris Noſtri Commiſſarij Generalis legi librum cuius titulus eſt *Tractatus Varij Variarum Reſolutionum Moralium*, Pars Secunda Auctore P.F. Ludouico à Sācto Raymundo S.T. Primario Profeſſore eiuſdem noſtri Diſcalceatorum Ordinis, & in eo nihil inueni, quod aduerſetur Catholicæ Fidei vel bonis moribus contradicat imò iudico eruditiſſimum, & vtiliſſimum vt Typis mandetur. Datum in Conuentu Sāctæ Mariæ de Populo in Molo Vrbis Panormi Ordinis Reformatorum Sanctę Marię Mercedis. Die 29. Iulij 1659.

Frater Ioſeph à S. Bernardo Commendator.

FACVLTAS ORDINIS

FRater Franciſcus à S. Ioanne Commiſſarius Generalis Ordinis Scalceatorum Beatę Marię de Mercede Redemptionis Captiuorum in hoc Sicilię Regno, vt liber, cuius titulus eſt *Tractatus Varij Variarum Reſolutionum Moralium* Pars Secunda compoſitus à P. F. Ludouico à S. Raymundo noſtrę Sacrę Religionis Sac. Theol. Primario Profeſſore, ac noſtro Secretario cōpoſitus, & à grauioribus, & doctis eiuſdem noſtri Ordinis Theologis recognitus, & approbatus Typis mandetur tenore prę ſentium facultatem cōcedimus; in quorum fidem has literas manu noſtra ex ſigillo, ac Secretarij noſtri nomine ſubſcriptas dedimus. Panormi die ſecundo menſis Auguſti anno 1659. In noſtro Conuentu Sanctę Marię de Populo eiuſdem Ciuitatis extra muros.

Fr. Franciſcus à S. Ioanne Commiſſarius Generalis.

De Mandato Patris Noſtri Commiſſarij Generalis
F. Ludouicus à Sancto Raymundo Secretarius.

Vidi

Digitized by Google

Vidi de mandato Reuerendiſſimi Domini D. Io. Antonio Geloſo Vicarij Generalis Excellentiſſimi, & Reuerendiſſimi Domini Don Petri Martinez Rubio Archiepiſcopi Panormitani, Præſidentis, & Capitanei Generalis in hoc Regno Sicilię. Nec non etiam de mandato Illuſtriſſimi Regentis Don Petri de Gregorio Pręſidis M. R. C. eiuſdem Regni librum cuius titulus eſt *Tractatus Varij Variarum Reſolutionum moralium*: & in eo nihil reperi, quod bonis moribus, aut fidei Catholicę obſit; Quin imo mira illum eruditione, ac pietate refertum eſſe cenſeo, multorumq; profuturum ſaluti. Panormi 1. Auguſti 1659.

Hieronymus Lachiana è Soc. Ieſu Deputatus.

IN-

Digitized by Google

INDEX

TRACTATVVM, ET RESOLVTIONVM
Quæ in hac ſecunda parte continentur.

TRACTATVS TERTIVS.

De ſtipendio Miſſæ quod poteſt licitè Sacerdos pro Miſſæ celebratione accipere.

Reſolutio Prima. Vtrum Sacerdos poſſit duplex ſtipendium pro vna Miſſa accipere applicando vni perſonæ partem ſolitam, & alteri ſuam partem non obſtante Decreto Vrbani Octaui de Celebratione Miſſarum. Pagina 1.

Reſolutio ſecunda. Vtrum poſſit Sacerdos pro vna Miſſa dupplex ſtipendium accipere applicando vni fructum Miſſæ medium, alteri vero indulgentiam vel ratione altaris Priuilegiati, vel ratione numiſmatis, aut calculi priuilegiati. Pag. 23.

Reſolutio tertia. Vtrum Sacerdos poſſit pro vna miſſa duplex ſtipẽdium accipere a diuerſis perſonis applicando vni fructum impetrationis, & alteri fructum ſatisfactionis ſine eo quod contrauẽniat decreto Sacræ Congregationis de celebratione Miſſarum. Pagina 32.

Reſolutio quarta. Vtrũ Sacerdos obligatus quotidie celebrare pro aliqua determinata perſona poſſit tuta conſcientia ſemel inhebdogmada pro alio celebrare, & accipere nouum ſtipendium. Pag. 39.

Reſolutio quinta. Vtrum quãdo teſtator diſponit in ſuo teſtamento, vt tanta pecunia expendatur pro miſſis, ſed numerum miſſarum non taxat, teneantur heredes, aut fideicommiſſarij; ſeu teſtamenti executores diſtribuere dictam ſummam pro miſſis ſecundum taxationem ab ordinario factam, & ſi nõ faciant; an poſſint Sacerdotes, cui à prędictis hęredibus, aut executoribus teſtamenti accipiunt elemoſynam minorem, quam eſt illa quæ eſt ab ordinario taxata reducere miſſas ad numerum correſpondentem taxationi ab ordinario factæ. Pag. 55.

Reſolutio ſexta. Vtrum Sacerdos poſſit idem miſſæ ſacrificium applicare pro eo à quo accepit elemoſynam, & ſimul pro alijs ex charitate, aut liberalitate abſque eo quod mortaliter peccet, aut ad reſtitutionem teneatur. Pag. 68.

Reſolutio ſeptima. Vtrum Cappellanus cui ratione fũdationis Cappellaniæ tenetur omnibus ſabbathis anni miſſam Beatæ Virginis pro intentione fundatoris celebrare, teneatur dictam Miſſam Beatæ Virginis in dicto die celebrare etiam ſi in illo currat aliquod feſtum ex ſollemnioribus. Pag. 78.

Reſolutio octaua. Vtrum Cappellanus obligatus ad celebrandum in altari priuilegiato pro animabus Purgatorij ſatisfaciet ſui obligationi celebrando in alio Altari non priuilegiato cum calculo indulgẽtiarum videlicet Sancti Caroli liberãte animam de Purgatorio. Pag. 83.

Reſolutio nona. Vtrum Sacerdos Pauper qui coactus neceſſitate a pluribus diuerſa ſtipendia parua accepit pro tot miſſis celebrandis poſſit miſ-

miſſas minuere eas reducẽdo iuxtà ſtipendium taxatum ab ordinario, non obſtante decreto Sacræ Congregationis Cardinalium de celebratione Miſſarum. Pag. 87.

Reſolutio decima. Vtrum omiſſio vnius Miſſæ pro qua acceptum eſt ſtipendium à Sacerdote ſit peccatum mortale. Pag. 90.

TRACTATVS QVARTVS

De Sacramentali Communione, & de eo qui poteſt eam adminiſtrare.

Reſolutio prima. Vtrum ſolus Sacerdos poſſit Sacramentum Euchariſtiæ adminiſtrare. Pag. 96.

Reſolutio ſecunda. An in caſu neceſſitatis poſſit Sacerdos ſibi ipſi ſacram Euchariſtiam adminiſtrare extra miſſæ ſacrificium. Pag. 111.

Reſolutio tertia. Vtrum licitum ſit Sacerdoti miſſam celebrare non ieiuno ad porrigendum viaticum infirmo in articulo mortis conſtituto, caſu quo non adſit aluas Sacerdos ieiunius qui poſſit miſſam celebrare ad prebendum viaticum dicto infirmo nec ſint particulæ præconſecratæ in ſacrario Eccleſiæ. Pag. 115.

Reſolutio quarta. Vtrum ſi infirmus valeat commodè ieiunus ſacram Euchariſtiam ſuſcipere ad id teneatur. Pag. 126.

Reſolutio quinta. Vtrum durante eadem infirmitate, & mortis periculo poſſit licitè infirmus non ieiunus pluries ſacram Euchariſtiam recipere per modũ viatici, & quod interuallum tẽporis adhoc ſit ſimpliciter neceſſarium. Pag. 130.

Reſolutio ſexta. Certum ille qui dubitat an ſit ieiunus poſſit abſque ſcrupulo cõmunicare, aut miſſam celebrare. Pag. 137.

Reſolutio ſeptima. Vtrum vbi eſt tantum vnum horologium ſi duodecima hora noctis ſonari incipiat (quę hora duodecima in horologio Hyſpano facit mediam noctem) debeat qui Craſtino Euchariſtiam ſumpturus eſt aut ſacrum celebraturus ſtatim in prima pulſatione à cibo, & potu ceſsare. Pag. 147.

Reſolutio octaua. Vtrum ſi quis traijciat aliquas guttas aquæ præter intentionem, dum os abluitur maneat imperitus ad communicandũ aut celebrandum ſacrum in illa die. Pag. 159.

Reſolutio nona. Vtrum qui deglutijt aliquid non comeſtibile: videlic. oſſiculum fruſtulum metalli, Papyrum, vel aliquid ſimile poſſit cõmunicare, aut ſacrum celebrare. Pag. 161.

Reſolutio decima. Vtrum ſumptio Tabacci, vel in folio, vel in puluere, vel in fumo ſacram Communionem, aut miſſæ celebrationem impediat. Pag. 170.

Reſolutio vndecima. Vtrum qui ſub vtraque ſpecie communicãt maiorem gratiam recipiãt quam qui ſub vna ſpecie tantum. Pag. 180.

Reſolutio duodecima. Vtrum ſi ægrotus in articulo mortis conſtitutus non poſſit deglutire hoſtiam conſecratam ad recipiendum ſacrum viaticum miniſtranda ſit ei ſpecies vini. Pag 191.

Reſolutio decima tertia. Vtrum in aliquo caſu liceat laicis bibere calicem abſque ſpeciarij diſpenſatione ſummi Pontificis. Pag. 194.

Reſolutio decima quarta. Vtrum ſpecies Sacramentales frangant ieiunium naturale. Pag. 195.

Reſolutio decima quinta. Vtrum ille qui eadem die ex deuotione communicauit, aut ſacrum celebrauit, & poſtea eodem die incidit in mortis periculum; ita vt mortaliter iudicetur eodem die e vita diſcedere aut timeatur quod die ſequenti nõ poſſit ſacram Euchariſtiam per modum viatici accipere liceat illi in ipſo die vlterius ſacram Euchariſtiam per modum viatici accipere. Pag. 199.

Reſolutio decima ſexta. Vtrum vnica communione Sacramentali poſſit quis dupplici præcepto communionis ſatisfacere ſcilicet anni præteriti, & preſentis, caſu quo anno præterito non adimpleuerit præceptum cõmunionis, & illud adimpleat initio anni præſentis. Pagin. 213.

TRACTATVS QVINTVS.

De Auctoritate Capituli Generalis Regularium.

Reſolutio Prima. Vtrum Capitulum Generale Regularium habeat authoritatem condendi leges, & ſtatuta obligantia totam Religionem. Pag. 229

Reſolutio ſecunda. Vtrum capitulum Generale Regularium poſſit diſpēſare in conſtitutionibus factis ab ipſo Capitulo Generale pro tota Religione confirmatis tamen à Sūmo Pobtifice, & an poſſit eas derogare, aut abrogare ſaltem quo ad aliquam partem abſque ſummi Pōtificis licentia, & facultate. Pag. 232.

Reſolutio tertia. Vtrum Capitulum generale Regulariū poſſit prouincias erigere nouas, & erectas diuidere, & an eamdem facultatem habeat ſuperior generalis eorumdem Regularium per ſe ſolum abſque conſortio Capituli generalis. Pag. 248.

Reſolutio quarta. Vtrum Generales ordinum Regularium poſſint diſpenſare in actis, & ordinationibus factis à Capitulo Generali, aut dicta acta, & ordinationes derogare, vel abrogare. Pag. 253.

Reſolutio Quinta. Vtrum Capitulum Generale in duobus ſolis vocalibus ſaluari poſſit, & legitime ſubſiſtere. Pag. 255.

TRACTATVS SEXTVS.

De Ieiunio Eccleſiaſtico.

Reſolutio prima. Vtrum ille qui habet priuilegium edendi oua, & lacticinia in quadrageſima poſſit edere lardum, & ſanguinem. Pag. 261.

Reſolutio ſecunda. Vtrum diſpenſatus, ex iuxta cauſa ad carnes comedendas in diebus ieiunij cenſeatur etiam ipſo facto diſpenſatus ab ipſo ieiunio. Pag. 271.

Reſolutio tertia. Vtrum diſpenſatus ad edendas carnes in diebus ieiunij teneatur ieiunare in illa die in qua ex ſua libera electione vult ſe abſtinere à carnibus. Pag. 284.

Reſolutio quarta. Vtrum vbi eſus ouorum in quadrageſima eſt prohibitus, nec adeſt priuilegium bullæ Cruciatæ qui in quadrageſima nō poteſt ieiunare niſi comedēdo oua & lacticinia, eo quod ex alijs cibis non habeat ſufficientem refectionē teneatur comedere oua, & ieiunare. Pag. 291.

Reſolutio quinta. Vtrum detur Præceptum Eccleſiaſticum prohibens ſub mortali oua, & lacticinia in diebus quadrageſimalibus. Pag. 294.

Reſolutio ſexta. Vtrum Sutores ratione laboris excuſētur ab obligatione ieiunij Eccleſiaſtici, tam in quadrageſima, quam extra illam. Pag. 307.

Reſolutio ſeptima. Vtrum Sartores, & Barbitonſoris ratione laboris excuſentur ab obligatione ieiunij Eccleſiaſtici. Pag. 309.

Reſolutio octaua. Vtrum Fabriferrarij, & Foſſores qui à ſuis laboribus, ſeu laborioſis exercitationibus aliquo die ieiunij vacant teneantur in dicto die ſeruare præceptum ieiunij Pag. 311.

Reſolutio nona. Vtrum mulieres prægnantes, & latrantes etiam ſi robuſtæ ſint teneantur ab obſeruationē ieiunij Eccleſiaſtici. Pag. 314.

Reſolutio decima. Vtrum mulieres quinquagenariæ ſint ſolutæ ab obſeruatione ieiuniarij. Pag. 317.

Reſolutio vndecima. Vtrum in collatione ſerotina ieiuniorum liceat in debita quantitate ſumere piſces? Pag. 322.

Reſolutio duodecima vtrum licitum ſit in die ieiunij veſpertinam collationem facere cum lacticinijs, ſcil. cum lacte caſeo, & ouis. Pag. 330.

Reſolutio decima tertia. Vtrum in Collatione veſpertina in die ieiunij Eccleſiaſtici licitum ſit ſumere quartam partem comeſtionis. Pag. 338.

Reſolutio decima quarta. Vtrum in Vigilia Natiuitatis Domini poſſit ſumi collactio Veſpertina ex fructibus, & alijs cibis licitis in alijs refectiunculis dierum ieiunij non ſolū maior quam in alijs refectiunculis dierum ieiunij verum etiam abſq;

men-

menſura, & limite. Pag. 342.

Reſolutio decimaquinta. Vtrum ſicut in Vigilia Natiuitatis Domini licet maiorem collationem facere quã in alijs diebus ieiunij immo duplo maiorem; hoc ipſum liceat facere in vigilia Paſchatis Reſurrectionis Domini, & in vigilia Pentecoſtes. Pag. 347.

Reſolutio decima ſexta. Vtrum in diebus ieiuniorum licitum ſit ſine fractione ieiunij ſumere mala maſſilica vulgo lumione, mala medica vulgo aranci vuam, & ſimilia ad ſitim ſedandam. Pag. 352.

Reſolutio decima ſeptima. Vtrum in die ieiunii poſſit quis licitè, & abſq; fractione ieiunij toties quoties bibit aliquid cibi in parua quantitate ſumere ne potus noceat. Pagina 359.

Reſolutio decima octaua. Vtrum in comedendo poſt mediam noctem quando ſubſequitur ieiunium, aut ante noctẽ in die ieiunij detur paruitas materiæ excuſans à mortali. Pag. 361.

Reſolutio decima nona. Vtrum ſi quis dum cænat audiat pulſus deſignantes mediam noctem teneatur ceſſare à cæna ſi die ſequenti ſit ieiunandum. Pag. 369

Reſolutio vigeſima. Vtrum Summus Pontifex ſi abſque legitima cauſa cum aliquo diſpenſet in lege ieiunij peccet, & ſi peccat an peccet mortaliter, vel ſolum venialiter. Pag. 375.

Reſolutio vigeſima prima. Vtrum Epiſcopi poſſint diſpenſare in lege ieiunij cum ſuis ſubditis. Pag. 388.

Reſolutio vigeſima ſecunda. Vtrum Parochus præſente Epiſcopo poſſit in ieiunio cum aliquibus iuſta de cauſa diſpenſare. Pag. 391.

Reſolutio vigeſima tertia. Vtrum Prelati Regulares habeant facultatem & authoritatem diſpenſandi cum ſuis ſubditis iuſta, & legitima exiſtente cauſa in lege ieiunij. Pagina 394

Reſolutio vigeſima quarta. Vtrum Prelati Regulares teneantur diſpẽſare in ieiunio toties quoties ex rationabili cauſa ſubditus petit in illo diſpenſationem. pag. 396.

Reſolutio vigeſima quinta vtrum Abbatiſſa, & aliæ monialium ſuperiores poſſint in ieiunio moniales diſpenſare. pag. 403.

Reſolutio vigeſima ſexta. Vtrum ſicut ſenex ſexagenarij ratione ſenectutis ſunt eſenti à lege ieiunij Eccleſiaſtici, ita ſenex octogenarij ratione maiore ſenectutis ſint eſenti à præcepto abſtinendi ſe à carnibus in diebus ieiunij, & in alijs in quibus carnes ab Eccleſia prohibẽtur. pag. 405.

Reſolutio vigeſima ſeptima. Vtrum Caupones, vel Tabernarij, vel miniſtrantes cibos teneantur interrogare hoſpites, an habeant cauſam non ieiunandi. pag. 407.

Reſolutio vigeſima octaua. Vtrum Caupones licitè poſſint miniſtrare cænam his quos certo ſciunt ad ieiunium teneri. pag. 409.

FINIS.

TRA-

Digitized by Google

Digitized by Google

POſt Editam ſecundam hanc partem mei operis moralis in qua in tract. 3. reſol. 1. dixi probabiliorem eſſe opinionem aſſerentium licitum eſſe Sacerdoti aliud ſtipendium accipere pro Miſſæ ſacrificio, applicando vni perſonæ fructum Miſſæ ſpecialem ipſi Sacerdoti ex Miſſæ ſacrificio correſpondentem diſtinctum ab eo quod accepit pro applicatione fructus medij in beneficium eiuſdem, vel alterius perſonæ eiuſdẽ Miſſæ: & quod iſte caſus non erat comprehenſus in Decreto Sacræ Cõgreg. de Celebr. Miſſ. prohibentis Sacerdotibus ne pro vna eademque Miſſa duplex ſtipendium accipiant. & ſubdidi explicata dicta mea opinione, ſaltem dum Sacra Congreg. aliter non determinauerit. Nunc autem venit ad manus meas præſens infraſcriptum Decretum vſum opinionis prædictæ prohibens: illi cum debita reuerentia me ſubmitto; illiq; obediendum omnino eſſe cenſeo. Ideoq; typis mandandum, & in hac parte operis mei inſerendum curaui.

CVm Auctores nonnulli ſcriptis ſuis, etiam Typis æditis aſſeruerint, Sacerdoti pro alio Miſſam recepta eleemoſina Celebranti, licitum eſſe aliam eleemoſinam quoque accipere ab altero cui partem illam fructus, ſeu valoris eiuſdem ſacrificij, ipſimet Celebranti debitam (ſpecialem nuncupatam) applicet. Ac proinde hunc caſum, ſub Decreto Sacræ Congregationis Concilij prohibente duplex pro vna Miſſa ſtipendium, ſeu Eleemoſynam recipi non eſſe comprehenſum.

Propterea Sacra Congregatio Eminentiſs. ac Reuerendiſsimorũ DD. S.R.E. Cardinalium Concilij Tridentini interpetrum, quæ auctoritate ſibi per Apoſtolicam Sedem ſpecialiter attributa, ſedulò curat, ne à Sacerdoribus, circa Celebrationem Sacroſancti Miſſæ ſacrificij, vnde in nos vberrima diuinæ liberalitatis munera deriuantur, auaritiæque labes vlla, aut ſuſcipio contrahatur, ante dictam aſſertionem maturè examinauit, eademque prorſus reprobata, ſub die 25. Ianuarij 1659. Cenſuit.

Nulli Sacerdoti licitum eſſe præſata ratione, ſiue pretextu aliam Eleemoſynam accipere præter illam, quam accepit ab eo, pro quo Miſſam offerre tenetur, ac proinde caſum hunc eſſe comprehenſum in Decretis, aliàs per eamdem Sacram Congregationem Cõcilij æditis, quibus prohibetur, ne duplex pro vna Miſſa ſtipendium recipiatur. Datum Romæ &c.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

TRACTATVS
VARII VARIARVM
RESOLVTIONVM MORALIVM
PARS SECVNDA
AVTHORE R. ADMODVM P.

FRATRE LVDOVICO

A SANCTO RAYMVNDO

Ordinis Excalceatorum Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum Sacræ Theologiæ primario Profeſſore, ac Secretario Reuerendiſſimi Patris Commiſſarij Generalis eiuſdem Ordinis in Italia.

TRACTATVS TERTIVS
DE STIPENDIO MISSÆ QVOD POTEST LICITE SACERdos pro Miſſæ celebratione accipere.

RESOLVTIO I.

Vtrum Sacerdos poſſit duplex ſtipendium pro vna Miſſa accipere applicando vni perſonæ partem ſolitam, & alteri ſuam partem, nõ obſtante decreto Vrbani Octaui de Celebratione Miſſarum.

1 PRO deciſione huius reſolutionis notãdũ eſt quod fructus Miſſę eſt dupplex, alius ex opere operantis, alius verò ex opere operato. fructus ex opere operantis eſt ille, qui correſpondet Miſſæ quoad orationes, preces, ceremonias &c. qui commenſuratur merito, bonitati, & diſpoſitioni Sacerdotis nomine Eccleſiæ offerentis. Fructus verò ex opere operato eſt ille, qui correſpondet Miſſæ quatenus ſcilicet includit oblationem; quia eſt ex inſtitutione Chriſti ſupra omne meritum, & diſpoſitionem Sacerdotis offeren-

Digitized by Google

rentis; ita vt ipſo Sacerdote etiã in peccato mortali exiſtente adhuc Miſſa habet hunc fructum. iſte autem fructus ex opere operato eſt triplex generalis, ſpecialis, & medius: generalis eſt, qui ex intentione Chriſti, & Eccleſiæ applicatur omnibus fidelibus, ſpecialis eſt ille, qui correſpondet ipſi Sacerdoti offerenti ſacrificium miſſæ fructus autem medius eſt, qui applicatur illi pro quo ſpecialiter Sacerdos ſacrificium offert.

2 Hoc ita ſuppoſito ſenſus difficultatis eſt: an Sacerdos poſſit accipere duo ſtipendia pro vna eadem Miſſa applicando vni perſonæ partem ſolitam, ſeu mediã, & alteri perſonæ partem ſpecialem, quæ correſpondet ipſi Sacerdoti offerenti. conſiſtit autẽ præſens difficultas in duobus. primo an prędicta pars, quæ correſpondet Sacerdoti offerenti, quę dicitur fructus ſpecialis poſſit ab ipſo Sacerdote alteri perſonæ applicari: ſecundo an eſto ſit alteri perſonæ applicabilis, poſſit Sacerdos pro tali applicatione ſtipendium accipere.

3 In hac difficultate, quæ grauiſſima eſt, prima ſententia ſuſtinet prædictum fructum ſpecialem, qui Sacerdoti correſpondet non eſſe alteri perſonæ applicabilem, & conſequenter Sacerdotem nõ poſſe accipere duo ſtipendia pro vna eadem Miſſa applicando vni perſonæ fructum medium, & alteri perſonæ fructum ſpecialem Sacerdoti correſpondentem; ita Suarez to. 3. in tertiam partem diſput. 79. ſect. 9. in fine. Paulus Fraxinellus de Sacerdotũ obligationibus in addit. 7. ſect. 3. prænotat. 3. num. 5. Eminentiſſimus Cardinal de Lugo de Sacramento Euchariſtiæ diſput. 21. ſect. 2. num 33. Pellizzarius in manuali regularium tom. 1. tract. 5. cap. 4. ſect. 3. quæſt. 3. n. 58. & alij.

4 Probatur hæc ſentẽtia, quoad primam eius partem nempè fructum ſpecialem, qui Sacerdoti competit ex opere operato non eſſe alteri perſonæ applicabilem. primo quia omni Sacramento competit ex opere operato, aliquid tã ſpeciale, & propriũ quod non ſit alteri ſacramento cõmunicabile, vt videre eſt diſcurrẽdo per ſingula: nam Sacramentum Baptiſmi remittit peccata per modum ablutionis: Sacramentum pœnitentiæ remittit peccata poſt baptiſmum commiſſa per modum reconciliationis cum Deo virtute poteſtatis Clauium, ſeu abſolutionis Sacerdotis poteſtatem habentis: & ſic de cæteris: ergo in ſacrificio Miſſæ debemus ponere aliquid tam proprium, & ſpeciale eiuſdem, quod non ſit alijs communicabile; atqui hoc ſpeciale non poteſt eſſe aliud, niſi pars ſacrificij correſpondens ipſi Sacerdoti offerenti Miſſæ ſacrificium: ergo prædicta pars ſeù fructus ſpecialis non poteſt à Sacerdote alteri perſonæ communicari.

5 Secundo probatur eadem pars à Pellizzario vbi ſupra: quia in alijs Sacramentis non poteſt recipiens priuare ſe gratia, ac ſatisfactione, quam recipit ex vſu ipſorum Sacramentorum; vt videre eſt in Baptiſmo in quo datur gratia, ac remiſſio tam culpæ; quam pœnæ. ſi ſuſcipiens ſit ſufficiẽter diſpoſitus; atqui neutra illarum poteſt alteri perſonæ applicari: ergo idem dicendum eſt in ſacrificio Miſſę quoad fructum illius ſpecialem cũ in vtroque videatur eſſe par ratio.

6 Secunda vero pars huius ſententię probatur ab ipſo Pellizzario eodem nu. 58. quia vt Sacer-

dos

Digitized by Google

dos poſſit alteri perſonæ cõmunicare fructum ſpecialem, qui ipſi correſpondet ex ſacrificio Miſſæ debet certò ſcire ſe eſſe in gratia, & amicitia Dei; atqui hoc non poteſt ſcire abſque ſpeciali ipſius Dei reuelatione iuxta illud Eccleſiaſtici cap. 9. nemo ſcit vtrum amore an odio dignus ſit; ergo prædictus fructus ſpecialis non eſt alteri applicabilis, & cõſequenter non poteſt Sacerdos pro illius applicatione ſumere ſtipendium. maior in qua videtur eſſe difficultas probatur: nam Sacerdos non poteſt eſſe certus an ſit capax dicti fructus ſpecialis cum pendeat à ſtatu in gratia de qua naturaliter non poteſt eſſe certus; atqui adhoc vt Sacerdos poſſit fructum ſpecialem ſibi correſpondentem ex Miſſæ ſacrificio alteri applicare, & pro prædicta applicatione ſtipendiũ accipere debet ſcire ſe eſſe capacem prædicti fructus ſpecialis: ergo nec poteſt Sacerdos prædictum fructum alteri perſonæ applicare, neque pro applicatione ſtipendium aliquod accipere.

7 Secũdo probatur eadem pars ab eadem Pellizzario in Manuali regularium tom. 2. tract. 6. cap. 3. quæſt. 1. num. 1. quia accipere dupplex ſtipendium pro vna eadem Miſſa eſt prohibitum: tum iure naturali, tum iure poſitiuo Eccleſiaſtico: ergo nullo titulo licet Sacerdoti pro vna eadem Miſſa dupplex ſtipẽdium accipere. antecedens quoad primam partem probatur: quia ius naturale petit vt vnicuique ius ſuum tribuatur atqui hoc non ſeruatur ſi Sacerdos accipiat duplex ſtipendium pro vna eadem Miſſa: ergo eſt contra ius naturale. Secunda vero pars ſcilicet quod ſit contra ius poſitiuũ Eccleſiaſticum probatur: ex eo quod Sacra Congregatio Concilij die 21. Menſis Iunij 1625. de ſpeciali mandato Vrbani Octaui in Decretis de Celebratione Miſſarũ, ſtatuit vt omnes Sacerdotes: tã ſæculares: quam regulares abſolutè tot Miſſas celebrent quot ad rationem attributæ elemoſynæ præſcriptæ fuerint: ita vt alioquin ij ad quos pertinet ſuæ obligationi nõ ſatisfaciant: quin imò grauiter peccent, & ad reſtitutionem teneantur, & hoc reuocando omnia priuilegia: ergo accipere dupplex ſtipẽdium pro vna eadem Miſſa quocumque titulo hoc fiat eſt contra ius poſitiuũ Eccleſiaſticũ; & conſequẽter nõ poteſt fieri in cõſcientia.

8 Secunda ſententia aſſerit prædictum fructum ſpecialem Sacerdoti correſpondentem ex ſacrificio Miſſæ eſſe communicabilem, ac proinde poſſe Sacerdotem ipſum fructum ſpecialẽ ipſi correſpondentem alteri perſonæ applicare: negat tamen pro prædicta applicatione poſſe Sacerdotem aliquod ſtipendium accipere ita Lezana in ſumma quæſtionum regularium tom. 4. verbo Miſſa nu. 17. Diana par. 2. tract. 14. reſol. 80. par. 5. tractat. 14. reſolut. 45. & part. 6. tract. 6. reſolut. 8. & par. 8. tractat. 7. reſolut. 75. & part. 10. tract. 12. reſolut. 21. §. ex dictis refellendus eſt nouiſſimè Pater Leandrus & par. 11. tract. 7. reſol. 27. & tract. 8. reſolut. 67. Auerſa de Sacramẽto Euchariſtiæ quæſt. 11. ſect. 10. Caſpenſis in curſu Theologico tom. 2. tract. 23. diſput. 3. ſect. 8. nu. 109. Garzia in ſumma morali tract. 2. difficultate 1. dub. 4. num. 14. & 15. Pater Franciſcus Bardi in ſelectis lib. 10. quæſt. 12. num. 6. cum ſequent. Eminentiſſimus Cardinal. de Lugo de Euchariſtia diſput. 21. n. 33. Eligius

Digitized by Google

Baſſæus verbo Miſſa 7. num. 9. Trullench de Sacramentis lib. 3. cap. 8. dub. 12. num. 8. Pater Ioannes de Dicaſtillo tom. 1. tract. de Euchariſtia 2. diſput. 1. dub. 9. n. 219. Pater Franciſcus de Lugo Hiſpanenſis ex Societate Ieſu tract. de Septem Eccleſiæ Sacramentis lib. 5. cap. 12. queſt. 4. nu. 32. concluſ. 4. Angelus Maria Verricelli in ſuis quæſtionibus moralibus, & legalibus tract. 2. queſt. 29. Paulus Fraxinellus de obligatione Sacerdot. in 7. edictione ſect. 3. prænotat. 3. num. 5. Gauătus in Rubrica Miſſalis par. 3. tit. 12. nu. 29. verſ. quilibet Perſicus de officio Sacerdotis lib. 2. dub. 9. nu. 102. Megalius variar. reſolut. tom. 2. reſolut. 179. Gaſpar Hurtadus de Sacramentis diſput. 4. de ſacrificio Miſſæ difficult. 15. Pater D. Ioannes Angelus Boſſius de conſcientia opinatiua par. 1. tit. 1. §. 25. nu. 424. & 425. D. Carolus Malletus in auro Theologiæ moralis tom. 1. de Sacramentis Malleatione 5. Bractea 37.

9 Probatur hęc ſententia quoad primam eius partem à Patre Lezana *ſcilicet quod fructus ſpecialis*, qui ex *Miſſæ ſacrificio Sa*cerdoti competit vt gerenti perſonam Chriſti ſit communicabilis: ita vt poſſit Sacerdos prædictum fructum ſibi proprium pro alio applicare: quia fructus Miſſæ, qui competit Sacerdoti eſt eiuſdem rationis cum illo, qui competit ei pro quo ſpecialiter offertur: ergo nulla poteſt aſſignari ratio cur vterque applicari non poſſit pro alio à Celebrãte præſertim ſi talis fructus non ſit gradus aliquis ſanctitatis, nec remiſſio culpæ. Cõfirmatur quia ſic credi debet inſtitutũ à Chriſto hoc ſacrificium, vt quemadmodum quis ſua bona opera ſatisfactoria quantumuis perſonalia alijs applicare poteſt, ſic & huiuſmodi fructum quantumuis etiam perſonalem applicare poteſt, cum vtrumque opus Chriſti ſit, quod Deus ſemper commendat, maximè in Euchariſtia, quæ tota charitas eſt.

10 Quoad ſecundam verò partem ſcilicet, quod pro applicatione talis fructus ſpecialis non poſſit Sacerdos ſumere ſtipendium (licet contrarium iudicet probabile) probat hanc ſententiam. Pater Lezana dicto nu. 17. quia qui dat ſtipendium pro aliqua Miſſa intendit ſibi applicari valorem certum, & non dubiũ; at qui maximè dubium eſt quantus ſit ille fructus correſpõdens Celebranti, an ſcilicet ſit æqualis fructui medio, an non: nam multi dicũt cum Filliucio to. 1. tract. 5. cap. 6. n. 18. ſolùm eſſe tertiam partem illius, qui applicatur pro eo pro quo Miſſa offertur: ergo pro applicatione prædicti fructus ſpecialis non poteſt licitè Sacerdos accipere ſtipendium.

11 Secundo probatur eadem ſecũda pars huius ſententiæ à Patre Franciſco Bardi, Patre Franciſco de Lugo, & Angelo Maria Verricelli locis ſuperius citatis fundamento quod Verricellus vocat euidens in hunc modum, nam peccat contractus in æqualitate, quando certum prætium recipitur, & in certum pro certo datur; atqui Sacerdos accipiẽs ſtipẽdium pro applicatione fructus ſpecialis ſibi correſpondentis ex Miſſę ſacrificio accipit eleemoſinam certam, & applicat pro dante eleemoſinam fructum incertum, & dubium ergo non poteſt dici licitè Sacerdotẽ accipere ſtipendium pro applicatione fructus ſpecialis, qui illi correſpondet ex Miſſę ſacrificio. pro-

probatur maior: quia hic peccat vendens rem litigioſam quãuis probabiliter credat ſibi ius competere, nam ius incertum pro certo vendit, quare tenetur vitium aperire, vt docet Eminẽtiſſimus de Lugo tom. 2 de iuſtitia diſput. 26. n. 131. Et ideo peccat vendens aurum chimicum pro naturali quamuis probabiliter credat eſſe eiuſdem bonitatis, nam propter difficultatem experientię, pręſertim in medicina, incerta eſt eius bonitas, vt docet AEgidius Romanus quod libeto 3. queſt. 8. Deinde peccat emptor tribuens monetam dubij valoris, aut bonitatis. Minor etiam euidenter probatur, quia in opinione eſt, an fructus ſpecialis correſpondens Sacerdoti ſit applicabilis ab ipſo alteri perſonę: an ſit beneficium perſonale Sacerdotis, & ex inſtitutione Chriſti incommunicabile, vt docet probabiliſſimè Suarez to. 3. in tertiam part. diſput. 39. ſect. 9. in fin. & diſput. 36, ſect. 1. verſ. ſed quęret. Layman, lib. 5. tract. 5. cap. 2. nu. 18. Rodriquez in ſumma tom. 1. cap. 247. de ſtipendio Miſſę nu. 2. Miranda in manuali Prçlatorum tom. 1. quęſt. 41. art. 17. in fin. *Fraxinellus* de obligatione Sacerdotum ſect. 3. pręnotat. 3. §. 1: ergo qui accipit certã eleemoſinam, ſeu ſtipendium iuſtum pro applicatione ſacrificij Miſſę, & applicat fructum ſpecialem ipſi ſcilicet offerenti, ſeu ſacrificanti correſpondentem accipit certam eleemoſinam, ſeu ſtipendium à perſona petente Miſſam, & applicat pro ipſa fructum Miſſę incertum, & maximè dubium: ſcilicet fructum ſpecialiſſimum, qui vt dictum eſt, eſt in dubio an ſit vel non ſit applicabilis à Sacerdote alteri perſonę. Deinde eſt in dubio an iſte fructus ſpecialis correſpondens Sacerdoti ex Miſſę ſacrificio illi correſpondeat, vt eſt perſona publica, ſcilicet in quantum nomine Eccleſię gerit, ſeu repręsẽtat perſonam Chriſti Domini: an verò vt eſt perſona particularis, & priuata, & per conſequens ex omnibus iis capitibus talis fructus eſt incertus: ergo nõ poteſt licitè Sacerdos pro applicatione dicti fructus ſpecialis ſtipendiũ accipere.

12 Tertia ſentẽtia eſt Patris Thomę Hurtado, to. 1. reſolut. moralium tract. 2. de obligat. Sacerdotum cap. 4. reſolut. 17. vbi quãuis aſſerat fructum ſpecialem Sacerdoti ex Miſſę ſacrificio correſpondentem poſse ab ipſo Sacerdote alteri perſonę applicari, & pro dicta applicatione nouum ſtipendium accipere diſtinctum ab illo, quod accipit pro applicatione fructus medij dicti ſacrificij; nihilominus duas ponit limitationes in dicta reſolut. 17. nu. 187 prima eſt, quod ſi Sacerdos ab vna eadem perſona accipiat ſtipendia pro totidem Miſſis celebrandis non poteſt ſumere duo ſtipendia diſtincta, vnum quatenus applicat pro illa perſona fructum medium Miſſę quod dictę perſonę correſpondet ratione iuſti ſtipendij ab ipſa dati, & aliud ſtipendium pro applicatione facta à Sacerdote eidẽ perſonę fructus ſpecialis ipſi Sacerdoti correſpondentis ex Miſſę ſacrificio, verbi gratia, ſi Sacerdos aliquis accipiat ab vna eadem perſona decem ſtipendia pro decem Miſſis pro dicta perſona celebrandis non poteſt Sacerdos dumtaxat quinque Miſſas dicere: ſed tenetur dicere decem, & ſi cõtrarium fecerit peccat contra iuſtitiam: ſi verò vnus det decem ſtipendia, & alius alia decem

decem, inquit, dictus Pater Hurtado, quod Sacerdos dicendo decem Miſsas vtrique obligationi ſatisfacit ex iuſtitia applicādo pro vna perſona fructum mediū Miſſę, & pro altera fructum ſpecialem ipſi Sacerdoti correſpondentem ex Miſſę ſacrificio, nec propter hoc Sacerdotem teneri aliquid reſtituere. Primam partem huius limitationis probat Pater Hurtado dicto num. 187. quia ſacrificium ſi cauſat ſatisfactionem, vt quatuor, iteratum decem vicibus in habente diſpoſitionem, vt quatuor cauſat ſatisfactionem, vt quatraginta. Si tamen ſolum dicam quinque Miſſas cauſat ſolùm ſatisfactionem, vt viginti: & ſic defraudo dantem eleemoſynam in re notabili, qualis eſt viginti gradus ſatisfactionis: ergo ille Sacerdos, qui ab vna eadem perſona accipit decem ſtipendia pro decem Miſſis celebrandis tenebitur totidem Miſſas celebrare pro dicta perſona, & ſi ſecus fecerit peccabit grauiter contra iuſtitiam, & tenebitur ad reſtitutionem.

13 Secundam verò partem dictę limitationis probat dictus Pater Hurtado vbi ſupra nu. 188. quia vtrique danti decem ſtipendia applico decem ſacrificia, quę decies iterata cauſabunt ſuum effectum iuxta vniuſcuiuſque diſpoſitionem, & ſic nulli fit iniuria. Neque enim contra iuſtitiā eſt pro pluribus ſtipendium accipere, & ſacrificium vnum offerre: neque etiam eſt contra fidelitatem, etiam ſi promittam danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram; quia obligatio ex fidelitate eſt obligatio ex virtute, quę neceſſariò eſt circa honeſtum; atqui honeſtum non eſt, quod ſuppoſito quòd alius indigeat pane, quod ego promittam Petro me non porrecturum panem indigenti. cumque omnes indigeamus fructu ſacrificii incruenti non poſsum obligari ex fidelitate: ita offerre ſacrificium pro Petro, quod non offeram pro Ioāne, ſiquidem ex eò quod applicetur iſti nullum ſequitur detrimentum illi, & propter eādem rationem exiſtimat dictus Pater Hurtado num. 189. quod etiam ſi apponatur iuramentum de non applicando alteri non tenetur Sacerdos ad iuramentū: quia eſt iuramētum de re illicita & contra charitatem fraternam.

14 Limitat ſecundo num. 191. niſi, Superior Pontifex Summus, vel Epiſcopus ſub pręcepto formali mandet, & pręcipiat quod non ſequatur, aut defendatur opinio, quę aſſerit ſacrificium eſſe infinitum tam intenſiuè, quā extenſiuè, ſed limitatum effectū cauſare, qui diuiſus inter plures minor eſt vnicuiq; quod docet ſchola Scoti, & plures alij DD. eſt quę valdè probabile, & tutū in praxi: quod ſuperioris pręceptum exequi teneatur ſubditus, & ſecundum illud ſuas actiones regulare.

15 Quarta ſententia, & quę verior, & probabilior mihi videtur ſubſtinet abſolutè fructū ſpecialē Miſſę Sacerdoti correſpondentem eſſe applicabilem ab ipſo Sacerdote pro alijs perſonis, & cōſequenter poſſe ſacerdotem pro dicta applicatione ſtipendium diſtinctum accipere ab eo, quod accipit pro applicatione fructus medij nō obſtāte decreto Vrbani Octaui de Celebratione Miſſarum: quia (ni fallor) non loquitur in caſu pręſenti, vt poſteà dicam ſaltem dum contrarium non declaratur à Pontifice Summo, & ſacra Congregatione, & hoc ſiuè Sacerdos ſtipendia acci-

Digitized by Google

piat à pluribus perſonis: aut ab vna eademq; perſona, hanc ſententiam tenent antiqui,&grauiſſimi DD. qui ſcripſerunt ante Decretum ſacræ Congregationis de Celebratione Miſſarum, vt Molfeſius in ſumma to.1.tract. 3.cap.15.nu.40. Henriquez in ſumma lib.9.cap.21.nu.7.Naldus in ſumma verbo Miſſa num. 12. Philiarcus in ſumma par.1.lib.2. cap.14. Sot.in 4.diſt.11.quęſt. 2. art.5. & diſt.13.q.2.art.1.Nauar. in Manual.c.25.n.92.& 111. Scorzia de ſacrificio miſſę lib.1.cap.9. n.2 Nugnus 3.part.to.1.quęſt.83. dubio 3. in fine. Poſt prędictum Decretum hanc ſententiam defendunt Bartholomeus à Sancto fauſto tract.de Euchariſtia lib.2. quęſt.158. & clarius quęſt. 58. Reuerendiſſimus Pater Franciſcus Bordonus tertię Ordinis ſãcti Franciſci digniſſimus Generalis tom.1. Conſiliorum Regularium reſolut.29.quęſt.8.n.15. & hãc opinionem admittit Peijrinus de priuilegijs regularium tom.3. cap.1. num. 25. caſu quo in aliquo Monaſterio paupere creuiſſet adeo Miſſarũ numerus, vt ſatisfieri minimè poſſint Sacerdotes ibi commorantes, nec haberent aliundè modum vndè poſſint dictas Miſſas alijs dato ſtipendio commendare.

16 Probatur primo hęc ſentẽtia: quia fructus ſpecialis, qui Sacerdoti ex Miſſę ſacrificio competit eſt communicabilis, & poteſt à Sacerdote celebrante pro alijs. dictum fructum ſibi proprium applicari: ergo conſequenter poterit pro dicta applicatione ſtipendium accipi ad ſui ſubſtentationem congruam. antecedens conſtat ex probatione primę partis ſecundę ſententię in qua cum tertia, & hac quarta ſentẽtia conuenit, & amplius conſtabit ex ſolutione argumentorum primę ſententię. conſequentiam verò probo, tum à paritate rationis: quia pro applicatione fructus medij poteſt licitè Sacerdos celebrans Miſſam ſtipẽdium accipere ergo dato quod fructus ſpecialis ſacerdoti proprius illius correſpondens eſt applicabilis alteri perſonę ab ipſo ſacerdote poterit vtiq; ſacerdos pro dicta applicatione ſtipendium accipere: tum etiam quia accipere ſtipendium pro applicatione fructus ſpecialis ſacerdoti competentis nõ eſt prohibitum aliquo iure: aut naturali: aut poſitiuo Eccleſiaſtico, vt ex poſtea dicẽdis conſtabit ergo poterit licitè Sacerdos pro applicatione dicti fructus ſpecialis ſtipendium accipere.

17 Secundo probo hanc ſententiam contra Patrem Magiſtrum Fratrem Ioannem Baptiſtam de Lezana argumento meo videri ſatis efficaci: quia in ſententia dicti Patris de Lezana fructus ſpecialis, qui ex Miſſę ſacrificio ſacerdoti correſpondet, poteſt à ſacerdote pro alio applicari ergo poterit ſacerdos pro tali applicatione ſtipendium accipere. Antecedens eſt certum apud Lezanam conſequentiam verò probo argumẽto ad hominem; ideo poteſt ſacerdos applicare alteri fructum ſpecialem ſibi propriũ eiq; correſpondentem ex Miſſę ſacrificio; quia eſt eiuſdem rationis cum fructu medio, qui competit ei pro quo ſpecialiter Miſſę ſacrificium offertur; atqui pro fructu medio correſpondente ei pro quo ſpecialiter ſacrificium offertur poteſt ſacerdos accipere ſtipendium ergo eadem ratione poterit accipere ſtipendium pro applicatione fructus ſpecialis ipſi ſacerdoti ex Miſſę ſacrificio

cio

Digitized by Google

cio correſpondentis : alias non erunt eiuſdem rationis iſti duo fructus ſacrificij Miſſæ, quod non concedit Pater Lezana . neque video cur ſi vterque fructus applicari poſſit à ſacerdote alijs perſonis non poſſit pro vtriuſq; applicatione ſacerdotem ſtipendium accipere.

18 Tertio eamdem ſententiam probo : quia ſi ob aliquam rationem non liceret ſacerdoti ſumere ſtipendium pro applicatione fructus ſpecialis ipſi ex ſacrificio Miſſę correſpondẽtis hoc maximè oriretur, ex eò quod videtur prohibitum eſſe à Sacra Congregatione Concilij in decreto de Celebratione Miſſarum ſuperius relato, & pręcipuè in declarationibus eiuſdem Sacrę Congregationis ad dubia facta ſuper eiſdem decretis vbi in reſponſione ad quartum ſic habetur : ſacerdotes, quibus diebus tenentur Miſſas celebrare ratione beneficij, ſeu Cappellanię, legati, aut ſalarij, ſi eleemoſynas pro alijs etiam Miſſis celebrãdis ſuſceperint, non poſſe eadem Miſſa vtrique obligationi ſatisfacere ; atqui neq; ex hoc decreto; neq; ex aliquo alio clarè conſtat ſacram Congregationem prohibere ſacerdotibus, vt pro applicatione fructus ſpecialis Miſſę ipſis correſpõdentis poſſint ſuſcipere ſpeciale ſtipendium : ergò licitè poſſunt pro dicta applicatione fructus ſpecialis Miſſę ipſis ex Miſsę ſacrificio correſpondentis accipere ſtipendium. maior eſt pręcipuum fundamentum contrarię ſententię, minorem verò probo, tùm quia in pręditis decretis non eſt aliquod verbum expreſsè prohibens ſacerdoti vt poſſit fructum Miſsę ſibi propriũ alteri per applicare, & pro prædicta applicatione ſtipendium accipere . Nec valet reſpondere quod licet in pręditis decretis hoc nõ prohibeatur formaliter, & explicitè prohibetur tamen virtualiter, & implicitè vt conſtat ex illis verbis, in quibus ſacra Congregatio pręcipit ſub obteſtantione diuini iudicij, vt abſolutè tot Miſſę celebrentur quoad rationem attributę eleemoſynę pręſcriptę fuerint : ita vt alioquin ij, ad quos pertinet, ſuę obligationi non ſatisfaciant, quinimmo grauiter peccent, & ad reſtitutionem teneantur. Hoc inquam non valet : nam cum pręditca lex ſit pœnalis potius reſtringendã : quam ampliandã eſſe videtur ſecundum communem illam regulam Iuris in 6. Fauores ſunt ampliandi, & pęnę reſtringendę ; ergo aſſerere debemus, quod ex vi decretorum ſacrę Congregationis non cenſetur prohibitum ſacerdotibus Miſsas celebrantibus, vt poſſint fructum Miſsę ſibi proprium alteri perſonę applicare, & pro dicta applicatione debitum ſtipendium ad ſui neceſsariam ſubſtentationem accipere: tũ etiam quia ſacra Congregatio in prædictis decretis ſolum prohibet ſacerdotibus, tam ſęcularibus, quam regularibus, vt pro fructu Miſsę, qui correſpondet ei pro quo Miſsę ſacrificium principaliter offertur, qui dicitur fructus medius, non accipiant plura ſtipendia, vt ex tenore pręditorum decretorum manifeſte conſtat : ergo nullo modo loquitur ſacra Congregatio in pręditis decretis in noſtro caſu.

19 Ex dictis infero male, & ſine ſolido fundamento (ſalua pace) per eruditum Dianam cenſurare Patrem Bartholomeum à ſanctofauſto aſſerendo pręditum Patrem fore ſibi contrarium cũ

in

in quæſtione 58. ſuperius citata: vbi poſtquam affirmaſſet poſſe Sacerdotem portionem ſuam, ſcilicet fructum Miſſæ ſpecialem ſibi proprium alteri perſonæ tribuere, ſeù applicare ſtatim ſubdit hæc verba: ex quo infertur poſſe Sacerdotem pro vna Miſſa dupplex ſtipendium accipere, vt pro vno partem ſuã tribuat, & pro alio ſolitam partẽ applicet. & poſtea quęſt. 156. doceat Sacerdotem, qui tenetur dicere Miſſam, pro ſola præſentia, vt aſſerunt, non poſſe aliud ſtipẽdium accipere, & aliud pro applicatione valoris Miſſæ; quia vnica Miſſa non meretur niſi vnicum ſtipendium, vt conſtat ex decretis Sacrę Congregationis. ex quibus verbis occaſionẽ ſumpſit dictus Pater Antoninus Diana to. 5. tract. 14. reſolut. 45. ad proferendum hæc verba cõtra Bartholomeum à Sanctofauſto in 5. adde quod Fauſtus: neſcio quomodo poſtea teneat in caſu de quo loquimur poſſe Sacerdotem accipere pro vna Miſſa dupplicatum ſtipendium cum in vtroque caſu eadem ſit ratio; decreta videlicet ſupradicta prohibentia dupplicata ſtipẽdia pro vna Miſſa accipere.

20 Sed quis non videt, ſi attentè, & ſana intentione verba legat Bartholomei à Sanctofauſto ab ipſo Diana relata non ſolum nullam contradictionem inuoluere (vt Diana malè iudicat) imò ſanam, & conſequentem doctrinam obſeruare: nam in quęſtione illa citata 58. affirmat, & benè Fauſtus: quod eò ipſo quod fructus ſpecialis MiſſæSacerdoti correſpondens ex dicto Miſſæ ſacrificio poſſit ab ipſo Sacerdote applicari alteri perſonæ, infertur conſequenter poſſe Sacerdotem pro vna Miſſa dupplicatũ ſtipẽdium accipere taliter: quòd pro vna perſona partem ſuam, ideſt fructum ſpecialem, qui ei ex Miſſę ſacrificio correſpondet, applicet, & pro alia perſona partem ſolitam, ideſt fructum Miſſæ medium applicare teneatur. quod etiam docet quæſt. 158. in quęſt. autem 156. docet quod Sacerdos, qui tenetur dicere Miſſam, pro ſola præſentia, vt aſſerunt, non poteſt aliud ſtipẽdium accipere pro applicatione valoris Miſſæ, quia vnica Miſſa non niſi vnicum ſtipendium meretur ex dictis decretis, qui ſecundus caſus valdèdiuerſus eſt à primo; & ſic non eſt in vtroq; eadem ratio (vt falsò putat Diana) quia in primo caſû applicat Sacerdos dupplicem fructum Miſſæ diſtinctum pro diſtinctis perſonis: ſcilicet pro vna applicat fructum Miſſæ ſpecialem, & ipſius Sacerdotis proprium ex opere operato, qui ei correſpõdet non vt eſt priuata perſona: ſed vt perſona publica, & vt nomine Eccleſiæ gerit vicẽ Chriſti offerens ſacrificium cruentum altaris, ſcilicet, corporis, & ſanguinis Chriſti; & pro alia perſona applicat partem ſolitã, quæ dicitur fructus Miſſæ medius, & cõſequenter poteſt dupplicatum ſtipendium accipere pro eadem Miſſa, applicando pro diſtinctis perſonis diſtinctos fructus eiuſdẽ Miſſæ, quod non eſt contrauenire decretis ſacræ Congregationis, vt ſupra probauimus: in ſecundo autem caſu docet Fauſtus Sacerdotem, qui tenetur dicere Miſſam, pro ſola præſentia, vt aſſerunt non poſſe aliud ſtipendium accipere pro applicatione valoris Miſsæ: quia vnica Miſsa non meretur niſi vnicum ſtipendium ex dictis decretis, in quo caſu ſolum vult

Digitized by Google

Bartholomæus à Sancto Fauſto, vt non liceat Sacerdotibus, tam ſæcularibus: quam regularibus accipere dupplex ſtipendium pro vnica Miſſa, ideſt pro applicatione pręſētię perſonalis pro vna perſona, quæ præſentia perſonalis eſt fructus ex opere operantis, & pro applicatione valoris Miſſæ pro alia, quę eſt fructus ex opere operato, ſeù fructus medius, non applicando pro prima perſona partē propriam ipſius Sacerdotis, hoc eſt fructum ſpecialem ipſi Sacerdoti ex Miſſę ſacrificio correſpondētē: quia hoc eſſet accipere dupplicatum ſtipendium pro applicatione eiuſdem fructus Miſſę pro diuerſis perſonis, quod prohibitum eſt in decretis ſacræ Congregationis. Dicat ergo quęſò mihi Pater Diana in quo ſibi contrarius eſt Bartholomeus de Sancto Fauſto in quęſtionibus ab ipſo citatis.

21 Ex dictis infero cum Reuerendiſſimo Bordono vbi ſupra, dicta reſolut. 25. quęſt. 13. num. 22. poſſe hanc noſtram opinionem ſecurè in conſcientia amplecti omnes Sacerdotes, & qui eam ſequuntur verè excuſantur à peccato; & à reſtitutione ſtipendij accepti, cum operentur ex opinione valdè probabili, quę in omnium opinione à peccato, & à reſtitutione excuſat, vt cum eodem Bordono tenent Leander à Sanctiſſimo Sacramento part. 2. tract. 8. de ſacrificio Miſſę diſput. 4. de ſtipendio Miſſę quęſt. 10. §. poterūt igitur. Philibertus Marchinus de Sacramento Ordinis tractat. 3. part. 2. cap 16. à nu. 7. Homobonus part. 2. examen tractat. 4. cap. 3. quęſt. 225. vbi affirmat multos graues viros illam docuiſſe. Eā expreſsè docet Pat. Benedictus Remigio Noijdens in ſumma tractatu 5. cap. 4. §. 7. nu. 2. quod latè, & eruditè probat dictus Reuerendiſſimus Bordonus loco ſuperius citato: tum quia obligatio reſtituendi, oritur ex formali ratione iuſtitiæ, vt omnes Doctores docent, atqui in dicto caſu quo Sacerdos pro vna eadem Miſſa dupplicatum ſtipendium accipiat applicando pro vna perſona fructum ſpecialem ſibi propriū, qui ei ex Miſſę ſacrificio ex opere operato correſpondet, & pro alia fructum Miſſę medium nulla eſt huius generis lęſio: ergo Sacerdos, qui hanc opinionem ſequitur nec peccat mortaliter: nec tenetur ad reſtitutionem ſtipendij accepti. Conſequentia eſt formalis, et maior eſt per ſe nota minor verò probatur: quia Sacerdos celebrans ex opinione hac probabili intendit ſatisfacere danti ſtipendium applicando illi fructum Miſsę ſpecialem ſibi proprium, & prudenter credit ſatisfacere, cum agat ex opinione probabili ergo non operatur contra iuſtitiam, nec lędit lęſione formali contra iuſtitiam perſonę danti illi ſtipendium pro Miſsę applicatione, & conſequenter, nec peccat grauiter nec ad reſtitutionem tenetur ſtipendij accepti in tali caſu: tum etiam quia adhoc, vt quis teneatur ad reſtitutionem neceſſe eſt, vt adſit formalis violatio iuſtitię, ideſt, vt ſciat ſe lædere tertium, vt bene Megala prima ſecundę lib. 2. cap. 31. num. 31. atqui Sacerdos, qui hanc opinionem ſequitur non habet certitudinē, quod violet formaliter tertiū contra iuſtitiā:

imò

Digitized by Google

imò probabiliſſimè iudicat in tali actione ſeù caſu nullam eſſe formalem violationẽ tertij cõtra iuſtitiam:cum ſolum teneatur operari ſecundum opinionem probabilem,vt eſt iſta,quam nos defendimus ergo &c.

22 Nec valet id, quod cõtra hoc arguit Raphael de Auerſa de Sacramento Euchariſtiæ quæſt. 11. ſect. 17. quem refert Diana dicta part. 8. tract. 7. reſolut. 73. quia licèt in tali caſu Sacerdos bona fide celebrans cum hac opinione probabili, & accipiens duplicatum ſtipendium pro vna Miſſa applicando ſcilicet vni perſonæ fructum ſpecialem Miſſæ ſibi proprium ex opere operato, & alteri perſonæ fructum Miſſæ medium, non teneatur ratione iniuſtę acceptionis ad reſtitutionem, tamen tenebitur ratione rei acceptæ, ſicut quandocumq; quis bona fide accepit rem, quã putauit ſuam, vel putabit iuſto titulo acquirere; ſi poſtea depręhendit, rem non fuiſſe ſuam, aut non iuſto titulo acquiſitam tenetur vtiquè reſtituere, ſeu ſatisfacere: ergo debebit ille ſacerdos cognita veritate, vel aliam Miſſam celebrare, & applicare, vel ſtipendium reſtituere. hoc inquam nõ valet nam totus iſte diſcurſus Raphaelis de Auerſa eſt merè gratis ab ipſo excogitatus abſque ſolido fundamento: aliud eſt enim, quod quis bona fide habet rem vt ſuam: vel iudicat iuſto titulo illam habere; ſi poſtea certò, & infallibiliter ſciat rem non eſſe ſuam, aut non iuſto titulo illam habere, quod ad reſtitutionem teneatur non ratione rei acceptæ: ſed ratione iniuſtæ retentionis eiuſdem rei; cum poſſeſſor bonæ fidei amiſſa bona fide teneatur ad reſtitutionem rei, quam bona fide habebat ratione iniuſtæ retentionis: nam eò ipſo quod amiſit certò, & infallibiliter bonam fidem, qua rem poſſidebat, incepit eſſe poſſeſſorẽ malæ fidei, & conſequenter incepit habere obligationem reſtituendi illam rem proprio domino non ratione iniuſtę acceptionis: ſed ratione iniuſtæ retentionis illius rei, quam iam hic & nunc ſcit eſſe alienam. aliud verò eſt in noſtro caſu: nam Sacerdos accipiens dupplicatum ſtipendiũ pro eadẽ Miſſa, alterũ pro applicatione fructus Miſſę ſpecialis ſibi correſpondẽtis ex opere operato, quẽ poteſt pro altera perſona applicare: alterũ pro applicatione fructus medij eiuſdẽ met Miſſæ ſemper ſtat in bona fide de probabilitate huius opinionis & operatur opinione probabili tam ab extrinſeco (ob multos, & graues DD. qui eam tenent: tam ante Decretum Sacræ Congregationis: quam poſt dictum Decretum) quam ab intrinſeco ob ſolidas, & fundamentales rationes, in quibus hęc ſententia fundatur: ergo abſque fundamento dicitur dictum Sacerdotem teneri ad reſtitutionem ſtipendij duplicati accepti ratione iniuſtę retentionis dicti ſtipendij. quod oſtendo eodem met exemplo adducto per Raphaelem de Auerſa, ſi quis poſſideat aliquam rem iudicando bona fide eſſe ſuam, vel illam habere iuſto titulo, & poſt aliquod tempus incipiat dubitare an res ſit ſua: vel illam habeat iuſto titulo, nec nè ſit adhibita moralis diligentia ad inquirendum: an talis res ſit verè ſua: vel illam habeat iuſto titulo, inueniat probabilitatem, quòd res eſt verè ſua, & illam habet iuſto titulo, licèt ſimul habeat probabilitatem æqualem, quod non eſt ſua nec habet illam iuſto titulo:

in tali caſu certum eſt ipſum nõ teneri ad reſtitutionem, cum in rebus dubijs melior eſt cõdictio poſſidentis eum habetur in regolis iuris in 6. & ita non poteſt à poſſeſſione ſpoliari in foro fori ſtante probabilitate quod res eſt ſua: licèt etiamſi probabile æquè quod non eſt ſua nec in foro cõſcientiæ tenetur ad reſtitutionẽ: nec ratione iniuſtæ acceptionis, nec ratione iniuſtæ retentionis illius rei: quia retinet illam cum probabilitate ſufficientis, quod res eſt ſua: ergo ſimiliter in noſtro caſu.probo conſequentiam: nã licèt ſupponamus æque probabilem eſſe opinionem negantem poſſe ſacerdotem dupplicatum ſtipẽdium accipere pro eadem met Miſſa applicando vni fructum ſpecialem ſibi proprium ei correſpondẽtem ex Miſſæ ſacrificio ex opere operato & alteri applicando fructum Miſſę medium cum opinione affirmante hoc poſſe fieri à ſacerdote tuta conſcientia ſine eò quod faciat contra iuſtitiam, accipiẽdo duo ſtipendia à diuerſis perſonis applicando vni fructum Miſſæ ſpecialem ſibi proprium ex opere operato, & alteri fructum Miſſæ medium. ſtante igitur hac æqualis probabilitate harum opinionum nullo modo poteſt conuinci quod ſacerdos accipiens duplicatum ſtipendium pro vna eadem Miſſa modo ſupra dicto applicata peccet mortaliter: aut ad reſtitutionẽ teneatur in hac opinione ęquè probabili affirmatiua cum altera negatiua quo ad reſtitutionem teneatur etiã ratione iniuſtæ retentionis: nam ſupponitur gratis ſacerdotem in tali caſu iniuſtè prędictum ſtipẽdium retinere: ſicut ſtante ęquali probabilitate quòd res aliqua eſt mea, & quòd non eſt mea iuſtiſſimè illam rem apud me retineo; nec teneor ad reſtitutionẽ illius rei aliquo titulo dum non conuincor euidenter quòd res non eſt mea: ergo ſimiliter dum nos non coniunxit Pater Auerſa quod hæc noſtra opinio non eſt probabilis abſque fundamẽto, & ex proprio cerebro affirmat ſacerdotem ſequentem noſtram opinionem: aut grauiter peccare: aut ad reſtitutionem teneri ratione iniuſtæ retentiones, & ſtipendij accepti.

23 Ad primum argumentum primę ſentẽtiæ pro prima eius parte, reſpondet Pater Philibertus Marchionus dicto tract.3.de Sacramento ordinis part.2. ca. 16. antecedens nõ eſſe vniuerſaliter verum: & ita nullam vim argumentum habere: cæterum non placet reſponſio cum nulla ſit ratio, quæ nos cogat adhoc aſſerendum, & antecedens prædicti argumenti ab omnibus Doctoribus communiter concedatur, nec ſit firmum aliquod fundamentum ad illud negandum.

24 Quare ad argumentum aliter reſpondeo: concedendo antecedens, & conſequentiam, negando minorem ſubſumptam; quia in Miſſa, & poſſumus conſiderare rationem Sacramenti, & rationem ſacrificij, & ſecundum vtramque rationem habet effectum ſibi proprium, & alijs Sacramentis incommunicabilem, ſi conſideretur Miſſa, vt eſt Sacramentum: ſeù vt habet rationem Sacramenti habet pro effectu ſibi proprio conuertere ſumentem in illum Dominicum cibum iuxta illud Ioannis cap. 6. qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet, & ego in eo, qui effectus nõ cauſatur ab alijs Sacramentis, vt docent Theologi in materia de Eu-

Digitized by Google

Euchariſtia: ſi verò cōſideretur, vt ſacrificium habet cauſare; offerenti gratiam per modum cibationis, ſeù per modum conuiuij: & ita non infertur quod fructus ſpecialis, qui ſacerdoti correſpondet in Miſſæ ſacrificio ex opere operato ſit tam proprius ipſius ſacerdotis: vt non poſſit illum alteri communicare vt bene probat ſecunda ſententia.

25 Ad ſecundum argumentum pro eadem parte eiuſdem ſentētiæ factum à Patre Frāciſco Pellizario, vt reſpōdeamus, notandum eſt primo cum Patre Magiſtro Lezana tom. 4. verbo Miſſa nu.7. fructum ſeù effectum ſacrificij Miſſæ generaliter loquendo triplicem eſſe, ſcilicet collationem gratiæ, & remiſſionem peccatorum venialium, ac proinde vocari propitiatorium; remiſſionem pœnæ temporalis, quem vocam ſatisfactorium; & impetrationem omnium bonorū, ſiuè ſpiritualium, quem vocant impetratorium. de quibus, & quomodo ex vi ipſius cauſentur cōmunitèr DD. ſpecialiter Azor. cap.20. & Suarez tom.3. in tert. partem diſput. 79. & alij.

26 Secundo notandum eſt etiam generaliter loquendo huiuſmodi fructum, ſeu effectum Miſſæ applicari omnibus pro quibus offertur magis, vel minus iuxta quantitatem deuotionis ipſorū. ita enim colligitur primo ex verbis Eccleſiæ in Canonæ Miſſæ: quorum fides tibi cognita eſt, & nota deuotio pro quibus tibi offerimus, vel qui vbi offerunt &c. Secundo ex ſimilitudine paſſionis Chriſti Domini, de cuius fructu participant fideles magis, vel minus iuxta quantitatem fidei, deuotionis &c. Tertio ex ſimilitudine Sacramentorom, ea enim producūt maiorem, vel minorem effectum iuxta quantitatem maiorem, vel minorem diſpoſitionis recipientium illa. Quartò ex Diuo Thom. 3. part. quęſt.79.art.5. vbi ſic ait quamuis ergo hæc oblatio ex ſui quantitate ſufficiat ad ſatisfaciendum pro omni pœna, tamen fit ſatisfactoria illis pro quibus offertur vel etiam offerentibus iuxta quātitatem ſuæ deuotionis, & non pro tota pœna.

27 Quibus ita pręnotatis reſpondetur ad argumentum conceſſa maiori, & minori negando conſequentiam: nā non eſt in vtroq; caſu eadem ratio: quia Sacramētum baptiſmi habet pro effectu principali cauſare aliquem gradum ſanctitatis, & remittere culpam moralem commiſſam ſi nō ponatur impedimentum ex parte recipientis; quod recipiens non poteſt alteri applicare: attamen fructus ſpecialis Miſſæ, qui ipſi ſacerdoti celebranti cōpetit ex opere operato non eſt aliquis gradus ſanctitatis, nec remiſſio culpæ ſaltem mortalis; & ex alio capite eſt eiuſdem rationis cum fructu mèdio, qui applicatur ei pro quo ſpecialiter Miſſa offertur: & ita prædictus fructus alteri communicabilis eſt. Deinde quia licet verū ſit quod prædictus fructus Miſſę cauſet in ſacerdote celebrante cum debita diſpoſitione augmentum gratię, & remiſſionem peccatorum venialium, ac proinde ſecundū hanc rationem non ſit à ſacerdote alteri communicabilis; tamen prędictus fructus, vt cauſat remiſſionem pœnę temporalis, qui effectus vocatur ſatisfactorius; & impetrationem omnium bonorum, ſiue ſpiritualium, qui effectus vocatur impetratorius poteſt alteri à ſacerdote applicari, vt conſtat ex primo, & ſecundo

cundo notabili,& conſequenter pro tali applicatione ſtipendiũ accipere.

28 Sed dices cum Patre Antonino Diana par.2.tract.14.reſolut. 80. §. ſed his non obſtantibus : quia ſtipendium non datur pro ſacrificio ipſo,& fructu ſpirituali: nam hoc eſſet ſimonia: ſed exhibetur pro labore extrinſeco quod eſt prętio extimabile:ideoque Epiſcopus his omnibus cõſideratis ſtatuit quantitatem iuſti ſtipendij: ergo vna Miſſa nõ meretur niſi vnicum ſtipendium iuxta Epiſcopi taxationem.Reſpondetur conceſſa maiori negãdo vniuerſaliter minorem: nam multoties ſtipendium taxatum ab Epiſcopo non ſufficit pro cõgrua Sacerdotis ſubſtentatione, quę congrua ſubſtentatio non conſiſtit ſolùm in victu: ſed etiã in veſtitu, & in alijs neceſſarijs ad vitę ſubſtentationem abſq; ſuperfluitate : niſi aliàs Sacerdos diues ſit, & habeat patrimoniũ, aut Cappellaniam ex quibus cõgruè, & decenter viuere poſſit. quę veritas certa eſt apud Catholicos : imo definita in Concilio Agathẽſi cap.36. colligiturque tũ ex prima ad Corintheos. 9.vbi dicitur quis militat ſuis ſtipendijs vnquam? quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? tũ etiam ex verbis Chriſti Domini Matth.10. dignus eſt operarius cibo ſuo.

29 Et ſi inquiras in quo differant dare, vt ſtipẽdium ad ſubſtentationem Sacerdotis celebrantis ſiuè totalem: ſiuè partialem dare, vt prętium ſacrificii. optimè adhoc reſpondet Pellizarius in manuali regularium tom.1. tract.5.cap.9.ſect. 3. queſt.1. nu. 52. exemplo pictoris, qui fortè nõ vellet vendere ſuas picturas: ſed vouiſſet gratis pingere pro aliqua Eccleſia, iſte enim ſine dubio non faceret contra tale votum, ſi ab Eccleſia illa peteret ſumptus neceſſarios ad colores, ad tabulam, & alia omnia,vt potè, qui adhuc diceretur gratis pingere : & hoc licet peteręt ſimul, aut potum peculiarem, quo indigeret ad pingendum; cum talis cibus,& potus computandus eſset inter expenſas neceſſarias ad picturam: adeoque pictor dici poſſit pingere gratis: ſic ergo Sacerdos nõ facit cõtra pręceptum Chriſti gratis dandi, quod gratis accepit ſi ab ijs pro quibus celebrat recipiat neceſſaria ad tale miniſterium exequẽdum, panem ſcilicet; vinum, ceram, & alia neceſſaria ad Sacrificium inter quę computanda eſt, & ſubſtentatio ipſius ſacerdotis: quippè qui ſicut non poteſt celebrare abſq; miniſtro, pane, & vino, cera &c. ita nec poteſt ſine ſeipſo ſubſtentato, & benè diſpoſito: vnde etiam ſi Sacerdos hęc omnia accipiat à petente Miſsam: nihilominus gratis dicitur offerre ſacrificiũ pro ipſo; cum non petat niſi quę ſunt neceſſaria ad ipſum ſacrificium, & hęc illi debeantur ex iuſtitia non vt prętium: ſed vt neceſſaria ad ſacrificium quod petitur. en clarius in quo ſenſu, & quomodo poſſit Sacerdos licitè accipere peculiare ſtipendium pro applicatione fructus ſpecialis ipſi ex Miſſę ſacrificio correſpondentis abſque labe ſimoniæ.

30 Ad primum fundamentum Patris Pellizarij pro ſecunda parte eiuſdem ſententię reſpondet Marchinus vbi ſupra, quod adhoc, vt Sacerdos poſſit alteri applicare fructum Miſsę ſibi proprium

prium ex opere operato ſatis eſt vt non ſciat ſe eſse in peccato mortali: ſed habeat certitudinẽ moralem ſe eſſe in gratia, & amicitia Dei: quatenus non habet conſcientiam peccati mortalis: & ita non eſse neceſſarium adhoc, vt Sacerdos poſſit prædictum fructum Miſſę, ſibi proprium alteri perſonę applicare, & pro applicatione dicta ſtipendium accipere: vt ſit certus certitudine phyſica ipſum eſse capacẽ talis receptionis fructus ſpecialis Miſſę ei correſpondentis: ſed ſufficit quod ſit certus certitudine morali, ad quã certitudinem ſufficit, vt non habeat ſcientiam certam, ſe eſse in peccato mortali; qua doctrna ſuppoſita, reſpondet dictus *M*archinus in forma ad argumentum diſtinguendo maiorem, debet Sacerdos certò ſcire ſe eſse in gratia, & amicitia certitudine morali concedit maiorem, debet ſcire ſe eſse in gratia, & amicitia Dei certitudine phyſica, negat maiorem, & conceſsa minori ſub eadem diſtinctione negat conſequentiam, & in eodem ſenſu reſpondet ad probationem maioris applicando eãdem diſtinctionem.

31 Sed hęc ſolutio quatenus ex ea infertur, quòd Sacerdos exiſtens in peccato mortali ſi cum illo celebret non pręmiſsa confeſſione: aut contrictionis actu: non poſse alteri applicare fructum Miſsę ſibi pręprium ex opere operato, & pro dicta applicatione ſtipendium accipere mihi non probatur: tum quia prędictus fructus ſpecialis Sacerdotis, qui ei correſpondet ex Miſſæ ſacrificio, certũ eſt apud omnes quod eſt fructus ex opere operato: ſicut fructus Miſſę generalis, & medius: ergo ipſo Sacerdote in peccato mortali exiſtente adhùc habet hunc Miſsę fructum ſibi correſpondentem ex opere operato: ergò licitè, & validè poterit Sacerdos ipſum fructum ſibi proprium alteri applicare, & pro applicatione ſtipendium accipere: ſicut validè poteſt applicare fructum Miſsę medium, & pro applicatione ſumere ſtipendium abſquè obligatione reſtitutionis: tum etiam quia fructus ſpecialis Sacerdotis celebrantis eſt eiuſdem rationis cum fructu Miſsę, qui dicitur medius, vt ſupra diximus: ergo ſicut Sacerdos celebrans in peccato mortali validè applicat fructum Miſsę medium pro eo pro quo Miſsam tenetur celebrare, & licitè accipit ab eo ſtipendium; idem dici debet de fructu ſpeciali Sacerdotis celebrantis: etiam ſi in peccato mortali celebret. Tota hęc doctrina ſubſtinetur à Reuerendiſſimo Patre Franciſco Bordono reſol. 25. ſuperius citata de Celebratione Miſsarum quęſt. 8. num. 15. 9. reſpondetur ad primum: vbi cõſtituit diſparitatem inter effectum cauſatum ab alijs Sacramentis, & fructum, quem cauſat Miſsę ſacrificium; ſiue ſermo ſit de fructu medio, ſiue de fructu ſpeciali, ſeù ſpecialiſſimo, qui competit ipſi Sacerdoti celebranti: nam Sacramenta (inquit doctus Bordonus) pręcisè inſtituta ſunt pro ipſo recipiente, qui vt gratiam, & remiſſionem peccatorum conſequatur; debet illis cooperari, ſe ad ea diſponendo; ad conſequendum verò fructum Miſsę ſufficit recepturo ſi ſit in gratia, ita quod ex parte ſua nihil debet cooperari, imò eidem ignoranti confertur fructus Miſsę, ſiue ſit medius, ſiue ſpecialis. pręterea ſacrificium

ſacrificium ex conditione ſua, quatenus eſt ſatisfactorium inſtrumentum eſt, vt proſit non tantum celebranti, quam alijs; Sacramentum verò ſoli recipiẽti, & non alijs. Deinde Confeſſarij nonnulli iniungunt pro pęnitentia, vt recitetur officium defunctorum pro mortuis, & eſt opinio probabilis amplexata à Turriano apud Dianam part. 3. tract. 4. de Sacramentis reſolut. 54. de indulgentia dico cum tãtum valeat quantum ſonat eam tertio applicari non poſſe: niſi Papa à quo, id pendet, id exprimat, vt cũ alijs citatis docet Boſſius ſect. 4. de Iubil. caſu 8. ad finem, applicatio autẽ ſacrificij eſt in poteſtate, & volũtate celebrãtis; ideoq; applicare poteſt cui vult proprium fructum, cũ illius ſit Dominus, & ſicut poteſt illũ reſpuere: ita, & applicare. Et num. 16. eiuſdem reſolutionis, vbi inquirit, an opera bona facta in peccato mortali proſint agẽti vel alijs pro quibus fiunt? poſtquam refert, tum opinionem Thomiſtarum aſſerentium nihil prodeſſe facienti, neque alijs, quoad ſatisfactionem, exceptis indulgentijs, & Miſſa, quam ab exiſtente in mortali applicatę Defunctis proſunt. Tum etiam alia opinio aſſerentium, ſuffragia facta ab exiſtente in mortali prodeſſe non ſolùm ſibi: ſed etiam alijs, non ſolum quoad bona temporalia, ſeu ad diſpoſitionem: ſed etiã ad ſatisfactionem, nulla autẽ ratione ad merendam vitam ęternam pro qua opinione citat Scotum in 4. diſt. 15. q. 1. ar. 4. §. de quarto dicitur. Maiorem, Gabrielem, Medinam, & alios, quorum opinioni adhęret non ſolum motus authoritate Doctorum: ſed etiam validiſſimis rationibus, quę apud ipſum videri poſſunt. Quarum vna eſt quia exiſtens in peccato mortali poteſt pro ſe ſatisfacere reſpectu pœnę culparum iam remiſſarum: ergo, & pro alijs maxime Defunctis, conſequentia tenet, quia in vtroque eſt par ratio. Antecedens ſua detur tum quia pœna, cui ſatisfaciendum eſt cum temporalis ſit, & finita compenſari poteſt ſine gratia iuſtificante, & dignitate perſonę, aliud eſt enim meritũ aliud ſatisfactio, illud enim pręſupponit gratiam in merente, hęc verò ſolùm remiſſionem culpę eorum peccatorum, quorum pœnę ſatisfaciendum eſt. Tum etiam quia debitor, ſiue amicus, ſiue inimicus ſuo creditori ſoluendo ſatisfacit: ergo ita dicendum eſt reſpectu ſpiritualis ſatisfactionis, ex quibus omnibus noſtram doctrinam ſuperius traditam colligit his verbis: colligitur ergo ex his Sacerdotem partem ſui fructus ſibi contingentis ex Miſſa poſſe alteri applicare, & ei prodeſſe, tam ex parte operis operantis. (ſiue nomine proprio, ſiue nomine Eccleſię) quam ex parte operis operati licet ſit in peccato mortali celebrans, non enim bene operans nomine alterius reſpicitur, ſed perſona, quę bonum opus mandauit, vel ea pro qua fit, et ſi defuncta eſt iam cenſetur in gratia, cum ſit in purgatorio.

32 Quare ad argumentum in forma reſpondeo negando maiorem: et ad eius probationem conceſſa maiori neganda eſt minor: quia applicatio fructus Miſſę ſpecialis, qui ex Miſſę ſacrificio Sacerdoti competit non pendet ex hoc quod Sacerdos ſit capax recipiendi in ſe illum fructum, vel non cum non ſit

fructus

fructus ex opere operantis, ſed ex opere operato: nam ſicut Sacerdos poteſt ſibi applicare fructum Miſſæ ſpecialẽ poteſt etiã ſibi applicare fructum Miſſę medium: & tamen ſi celebret in peccato mortali poteſt alteri applicare fructum Miſſæ mediũ, & pro applicatione ſtipendium accipere: ergo idem dicendum eſt de applicatione fructus miſſæ ſpecialis, qui competit Sacerdoti ex miſſæ ſacrificio, cum in vtroque caſu ſit eadem ratio vt ſupra dictum eſt.

33 Ad ſecundum fundamentum eiuſdem Patris Pellizzarij pro eadem parte eiuſdem ſententiæ reſpondetur negando antecedens quoad vtramque partem, quoad primam quidem: nam ante decretum Sacræ Congregationis Concilij de Celebratione miſſarum nonnulli Theologi magnæ authoritatis tenuerunt iſtud ſtipendium miſſæ ſumendum eſſe non ex taxatione facta lege, aut conſuetudine, ſed in ordine ad congruam Sacerdotis ſubſtentationem; ita vt iuſtum ſtipendium miſſæ illud ſit, quod eſt neceſſarium pro qualibet die ad prædictam congruam Sacerdotis ſubſtentationem. ita Aragon. de iuſtit. & iur. q.85. ar.3. Canus lib. 12. de locis canon. 12. ad 10. Petrus de Nau. lib.2. de reſtit. c.2. nu.433 & alij plures, quos refert Lezana to.4. ſum. regul. verb. miſſ. n.14. atqui hoc non eſt licitum affirmare ſi eſſet contra ius naturale plura ſtipendia accipere pro eadẽ miſſa: ergo abſolutè loquendo falſũ eſt antecedens argumẽti Pellizzarij quod ad primã eius partem.

34 Sed demus gratis Patri Pellizzario quod accipere duplex ſtipendium pro vna, & eadẽ miſſa ſit contra ius naturale, quatenus vnicuique quod ſuum eſt debeat tribui. Certè hoc nõ tenet in noſtro caſu: quod manifeſtè oſtẽdo ex doctrina eiuſdem Pellizzarij in manuali regular. to.2. tract. 5. cap.9. ſect.3. qu.3. vbi interrogat quem fructum miſſæ teneantur Sacerdotes applicare ei pro quo illam offerunt ex recepto ſtipẽdio, & reſpondet nu.57. cũ communi Doctorum ſentẽtia, quod tenetur ſolum applicare fructum medium: non autem ſpecialem, & proprium ipſius Sacerdotis celebrantis. quod probat tum ex vſu expreſſo Eccleſiæ, quæ miſſas inſtituit pro viuis, & defunctis: imò & pro hoc, vel illo defuncto, pro hoc vel illo viuo, pro ſalute, pro itinere, alijſque particularibus neceſſitatibus: tum ex conſuetudine Sacerdotum miſſas applicantium pro hac: aut illa neceſſitate: tum ex intentione petentium miſſas ex ſtipendio, qui in particulari volunt ſibi offerri ſacrificium iuxta ipſorum arbitrium, quæ omnia probant Sacerdotem ex ſtipendio celebrantem pro alio ſolùm teneri ipſi applicare fructum miſſæ, quem vocamus medium, ergo licèt eſſet contra ius naturale accipere duplex ſtipẽdium pro vna, & eadem miſſa applicando pro diſtinctis perſonis eumdem numero miſſæ fructum medium: quia tunc non redderetur vnicuique quod ſuũ eſt, & quod ei debetur ex iuſtitia, hoc non habet locum in noſtro caſu, in quo Sacerdos celebrans applicat vni perſonę fructũ miſſæ mediũ, & alteri applicat fructũ miſſę ſpecialẽ propriũ ipſius Sacerdotis, & pro dicta applicatione aliud ſtipendium licitè, & validè accipit.

35 Secunda pars antecedẽtis etiã

eſt falſa, nã vt diximus in 3. prob. noſtræ ſentẽtiæ, accipere Sacerdotem ſtipendium pro applicatione fructus ſpecialis miſſę, qui ipſi Sacerdoti ex miſſæ ſacrificio correſpondet, non eſt prohibitũ à ſacra Congregatione Concilij in decretis de Celebr. miſs. neq; explicitè, & formaliter neq; implicitè, & virtualitèr. Ex quibus patet reſponſio ad probationes antecedentis argumenti Patris Pellizzarij pro vtraque parte eiuſdem antecedentis.

36 Ad fundamentum ſecundæ ſententię pro ſecunda eius parte (in qua ſolùm differt à noſtra ſententia) vt reſpondeamus ad queſtionẽ illã celebrem Theologorum premittere operę pręium erit: an ſcilicet ſacrificium miſſę ſit infiniti valoris: tam intenſiuè, quam extenſiuè, vel ſolum valoris finiti, & inter varias Theologorum ſententias illa eſt mihi probabilior, quę aſſerit eſſe infiniti valoris, tam intenſiuè; quàm extenſiuè, ratio eſt quia valor, & dignitas cuiuſcumque oblationis ex duplici pręcipuè capite ſumi debet: ſcilicet ex parte rei oblatę per ipſam vel ſaltem (principalius) ex dignitate perſonę illam offerentis oblationem; atqui res oblata in ſacrificio miſſę, & principalis offerens, eſt Chriſtus Dominus, qui res eſt infiniti valoris, & dignitatis: quippè ratione vnionis hypoſtaticę humanitatis cũ verbo diuino infiniti valoris, & dignitatis eſt: ergo ipſum etiam ſacrificium erit infinitę dignitatis, & valoris.

37 Confirmatur à ſimili de oblatione: ſeù ſacrificio cruẽto Crucis: nam ideò fuit infiniti valoris, & dignitatis; quia tam res oblata: quam perſona principaliter offerens: ſcilicet Chriſtus Dominus erat infiniti valoris; & dignitatis; atqui ſacrificium incruentum Altaris eſt idem eſsẽtialiter cum ſacrificio Crucis non ſolum ex parte rei oblatæ: ſed etiam ex parte principalis offerentis: ſcilicet ipſius Chriſti: ergo etiam erit infiniti valoris, & dignitatis. Maior eſt certa in ſacra Theologia: minor verò probatur ex Concilio Tridentino ſeſſ. 22. cap. 2. vbi ait, vna enim eademque Hoſtia, idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc in Cruce obtulit, ſola offerendi ratione diuerſa, cuius quidem oblationis, cruentæ, inquam, fructus per hanc incruentam vberrimè percipiuntur: ergo &c.

38 Ex qua ſententia, & doctrina rectè, & conſequenter infertur alia ei conformis: ſcilicet quòd ſacrificium miſſæ ex opere operato eſt infiniti valoris, & dignitatis cõſequenter ſequitur quòd pluribus applicatum à Sacerdote, tantum prodeſt cuilibet, quantum ſingulis; ita vt nihil detrimenti accipiat ille pro quo miſſa celebratur ſi pro alijs etiã dicto modo applicetur. Quod colligitur primo ex Canon. 23. non mediocriter de conſecratione diſtinctione 5. vbi ex diuo Hieronimo ſic habetur: cum igitur pro cunctis animabus pſalmus, vel miſſa dicitur: nihilominus quaſi ſi pro vnoquoque ipſorum diceretur accipitur. Colligitur 2. ex infinitate valoris miſſę; quemadmodum enim ſi in mari eſſet aqua infinita quantumuis infiniti homines, ex eo aquam haurire poſſent omnes quantùm velint aquę haurire ſine detrimento aliorũ abſq; eo quod mare euacuaretur.

In-

Digitized by Google

infinitum enim in exhauribile eſt,& finiri non poteſt: ita ſimiliter de ſacrificio Miſſæ dicto modo ſumpto affirmari debet, ita vt iuxta cuiuſcumque deuotionem profit omnibus æquè: ac ſingulis. Colligitur 3. ex ſimilitudine Sacramentorũ: ſi enim baptiſmus: vel pœnitentia pluribus (etiam infinitis ſi fieri poſſet) applicentur, ſinguli eorum, qui abſoluuntur: vel baptizantur tantum fructum reciperent; ac ſi ſoli ipſi eſſent: ergo idem de fructu Miſſę dicendum erit.

39 Quapropter ſtando in hac opinione reſpondetur primo ad fundamentum Patris Lezanæ conceſſa maiori: negando minorem: nam eo ipſo quod ſacrificium Miſſæ ex opere operato ſit infinitum, tam intenſiuè: quã extenſiuè non poteſt præſtare effectus inæquales maiores, & minores quantum eſt ex parte ipſius ſacrificij vt infiniti, cum hoc ſit contra rationem infiniti, vt ex ſe notum eſt: ergo debet præſtare effectus æquales: ergo cum fructus ſpecialis, qui Sacerdoti ex Miſſæ ſacrificio correſpondet, ſit ex opere operato, & eiuſdem rationis cum fructu medio, vt ſentit ipſe Lezana loco ſupra citato, conſequens eſt vt ſint æquales; & cũ ex alio capite in ſententia ipſius Lezanæ poſſit Sacerdos prædictum fructum Miſſæ ſibi proprium alteri applicare, nõ video, cur pro dicta applicatione non poſſit debitum ſtipendium accipere. Cæterum aduerti debet, quòd cum valor, & effectus Miſſæ diſtinguantur ſicut actus primus, & ſecundus, eſto communiter à Theologis confundantur quamuis valor Miſſæ modo explicato ſit infinitus nihilominus: quia non eſt talis, quoad efficaciam, ſed ſolum quoad ſufficientiam; ideò non producit effectum infinitum actu: aut intenſiuè; aliàs non eſſet neceſſarium, quod fideles pro ipſorum animabus celebrare facerẽt niſi solùm vnicam Miſſam: nihilominus poteſt dici infinitus in potentia, & extenſiuè quatenus infinitis applicari poſſet ſi tot eſſent, & infinito modo, ſi infinita deuotio, & diſpoſitio eſſet ex parte illorum.

40 Sed dices cum Lezana dicto tom.4.ſummæ verb.Miſſ.nu.10. quod non propter dicta, infertur poſſe Sacerdotem plura ſtipendia pro vna eadem accipere: quia aliàs priuarent offerentes talia ſtipendia fructu aliquo Miſſæ, quem ipſi intendunt: nam licet fructus ex opere operato correſpondens ipſi ſacrificio, vt talis non minuatur: ex eo quod Miſſa pro pluribus applicetur, nec ex hoc capite oriatur inæqualitas inter fructum Miſſæ medium, & fructum ſpecialem ipſius Miſſæ proprium Sacerdotis celebrantis, vt probat doctrina ſuperius à nobis relata pro ſolutione fundamenti ipſius Lezanæ, fructus tamen ex opere operantis correſpondens orationibus, precibus, cæremonijs, & alijs pijs actionibus, quę in Miſſa fiunt, cum ſit finitus, & limitatus proculdubio minuitur pro pluribus applicatus; quia in ipſo diuiditur; atqui dantes ſtipendia Sacerdoti pro Miſſæ celebratione omnem fructum ipſius Miſſæ, tam ex opere operato: quam ex opere operantis petunt ſibi applicari: ergo ex quo capite non licere Sacerdoti plura ſtipendia pro vna Miſſa accipere; etiam ſi vni applicet fructum Miſſæ medium, & alteri fructum ſpecialem ipſius Sacer-

doris illi competit ex Miſſæ ſacrificio.

41 Reſpõdetur cum Pellizzario in manuali regularium tom. 1. tract.5. cap.9. quæſt.5. num.60. Sacerdotem non teneri applicare pro perſona, quæ ei daret ſtipendium pro celebratione Miſſę: niſi fructum medium ex opere operato: non autem fructum, ſeù effectum ex opere operantis: cuius ratio eſt: quia ex vna parte per huiuſmodi oblationes nihil detrahitur fructui, qui reſpondet oblationi, ſacrificij pro vt fit in perſona Chriſti, & conſiſtit in opere operato: ex alio capite petens Miſſam ex ſtipendio non videtur intendere niſi hunc ipſum fructum: non autem illũ, qui ſe tenet ex opere operantis: alioquin Sacerdos celebrans ex malo fine non ſatisfaceret ſuæ obligationi, vt potè defraudans dantem ſtipendiũ fructu reſpõdente ex opere operantis: quòd tamen non admittitur cõmuniter à Doctoribus, vt teſtatur Diana par.5. tra. 14. reſolut.80.

42 Siſtendo autem in opinione aliorum Theologorum affirmãtium Miſſæ ſacrificium eſſe finiti valoris. Reſpondeo 2. Ad argumentum ſupra relatum pro ſecunda parte ſecundæ ſententiæ conceſſa maiori negando minorem; nam vt benè Marchinus vbi ſupra fructus ſpecialis Miſſę, qui Sacerdoti competit ex opere operato maior eſt quam fructus Miſſæ medius, qui reſpondet ei pro quo Miſſa dicitur: cuius ratio eſt: quia ille habet plus de ſacrificio Miſsæ, qui propinquior eſt ſacrificio; atqui Sacerdos propinquior eſt Miſſæ ſacrificio, vt ex ſe notum eſt: ergo plus debet habere de fructu ſacrificij Miſſæ: ergo fructus ſpecialis Miſſæ correſpondens Sacerdoti celebranti maior eſt: quam fructus medius correſpõdens ei pro quo Miſſa dicitur: ergo Sacerdos applicans alteri fructum ſibi proprium applicat fructum certum, & determinatum, ergo pro tali applicatione poteſt nouum ſtipendium accipere.

43 Ad ſecundum argumentum huius ſecundæ ſententiæ pro ſecunda eius parte reſpondetur cum Leandro à Sanctiſſimo Sacramento part.2. tract.8. diſput. 4. quæſt.10. concedendo maiorem, & negando minorem, & ad eius probationem conceſſo antecedenti diſtinguendo conſequens quoad ſecundam eius partem. Applicat fructum incertum, & dubium dubietate phyſica tranſeat conſequens: dubietate morali nego conſequentiam. Nam licèt verum ſit, quod noſtra opinio, & ſententia poſſit dici metaphyſicè loquendo aliquo modo dubia, & incerta; non tamen loquendo moraliter: quia in ſenſu morali certa eſt, cum re vera ſit probabilis opinio, vt tam ex authoribus: quàm ex ratione, qua munitur notum eſt. Nam vt benè docet Paſqualigus deciſ. 5. num. 6. id quod probabile eſt, non debet dici dubium, ſed moraliter certum cenſendum eſt, & exiſtimãdum. Ideoque omninò eſt negandũ, quod ille, qui ſtipendiũ certum dedit, fiat ſatisfactus per incertam ſolutionem applicando illi Sacerdos fructum ſpecialem Miſſæ ſibi debitum, & qui ei ex Miſſæ ſacrificio competit ex opere operato; cum re vera per certam ſolutionem moraliter, iuxta noſtram prudentem ęxiſtimationem fundatam in opinione probabiliſſima ſatisfaciat.

Digitized by Google

faciat. In rebus enim moralibus talis certitudo moralis ſufficit ad iuſtè, & rectè operandum etiam in materia iuſtitiæ, vt omnes DD. fatentur.

44 Qua doctrina ſuppoſita ita contra authores ſecundę ſententiæ ad hominem arguit Pater Leander à Sanctiſſimo Sacramẽto vbi ſupra. Nam ipſimet contrarij (pręcipuè Pater de di Caſtillo tract. 6. diſput. 1. dub. 14. num. 202. & 205. & Diana part. 10. tract. 13. reſolut. 50. & tract. 16. reſol. 88.) concedunt quod Sacerdos, qui in ordinatione tangeret Calicem, & Patenam, & non Hoſtiam ſupra illam poſitam, ſecurè poſſit celebrare Miſſam, & ſtipendium pro illa accipere; atqui ſolum eſt moraliter certum talem Sacerdotem eſſe verè ordinatum cum res poſita ſit in opinione: ergo ſimiliter dicendum eſt de Sacerdote applicante pro aliqua perſona fructũ ſacrificij ſibi proprium, & accipiente ſtipendium pro dicta applicatione cum in vtroque caſu ſit par ratio: deindè in ſententia Patris Dianæ par. 4. tract. 4. reſol. 40. & part. 6. tractat. 6. reſolut. 12. & pœnes ipſum Antonius Ruteus, & Philibertus tract. 3. part. 2. cap. 24. num. 8. & alij. Sacerdos obligatus ad celebrandum in Altari priuilegiato, ob maiorẽ ſtipendium acceptũ verè ſatiſfacit celebrando alibi cum calculo v. g. Sancti Caroli &c. Ita vt nullo modo teneatur ad reſtitutionem talis elemoſynæ receptæ, & tamen ſolum eſt certum moraliter, cum alij DD. probabiliter contrarium ſentiãt, quod ęqualiter Sacerdos ſatiſfaciat pręd icto modo celebrando: ergo ſi in his caſibus ſufficienter ſatiſfacit Sacerdos, eo quod opinionẽ probabilẽ ſequatur: ergo idem dici debet in noſtro caſu cũ ſit eadem met ratio.

45 Ad fundamenta ſententię Patris Thomæ Hurtado: quatenus noſtram ſententiam limitat aſſerendo non poſſe Sacerdotem ſi ab vna eademque perſona diuerſa ſtipendia congrua pro diuerſis Miſſis celebrãdis accipiat applicando pręd ictæ perſonæ: tum fructum medium, qui illi perſonæ correſpondet ex Miſſæ ſacrificio: tum fructum ſpecialẽ ſacrificij proprium ipſius Sacerdotis, illique ex opere operato correſpondentem, reducere Miſſas licitè, & validè, v. g. ſi Sacerdos aliquis accipiat ab vna & eadem perſona decem tarenos pro decem Miſsis celebrandis non ſatiſfacit ſuæ obligationi celebrando pro dicta perſona decem dumtaxat Miſſas; quamuis illi applicet vltra fructum medium Miſsę vniuſcuiuſque fructum ſpecialem correſpondentẽ Sacerdoti ex Miſſæ ſacrificio, qui, vt ipſe fatetur, applicabilis eſt à Sacerdote alteri perſonę, & ſi fecerit, teneri ad reſtitutionem ex iuſtitia. Qui modus dicendi iſtius Doctoris licèt probabilis ſit adhùc non caret difficultate: quia ſi Sacerdos poteſt alteri perſonę fructũ Miſsæ ſibi proprium applicare, & pro applicatione ſtipendium accipere non poteſt aſſignari efficax ratio conuincens, quod ſi Sacerdos accipiat ab vna perſona dupplex ſtipendium pro duobus Miſſis celebrandis ſi illi applicet vltra fructum Miſsæ medium fructum ſpecialem correſpondentem ipſi Sacerdoti ex ſacrificio Miſsę correſpondentẽ, non ſatisfaciat ſuę obligationi celebrando pro dicta perſona vnam tantum Miſsam: ergo hęc limitatio gratis videtur poni.

An-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

Digitized by Google

Antecedens probatur: quia ſi aliqua eſſet aſſignabilis ratio maximè illa, quam aſſignat iſte Doctor nempè quod ſacrificiũ ſi cauſat ſatisfactionem, vt quatuor, iteratum decem vicibus in habente diſpoſitionem, vt quatuor cauſat ſatisfactionem, vt quatraginta; ſi tamen Sacerdos ſolùm celebret quinque Miſſas pro vna perſona, quę illi dedit decem tarenos. v. g. pro decem Miſſis celebrandis ſolum cauſat ſatisfactionem, vt viginti, & ſic defraudat dictam perſonam eleemoſynam illi dantem in re notabili, qualis eſt viginti gradus ſatisfactionis; atqui hęc ratio non conuincit: ergo nulla eſt aſſignabilis ratio, quę efficaciter probet nõ licere Sacerdoti dicto modo Miſſas reducere abſq; obligatione reſtitutionis. maior eſt prçcipuum, & totale fundamentum Patris Hurtado pro hac ſua limitatione. Minor autem in quo eſt tota difficultas probatur: quia fructus Miſſæ medius, & fructus ſpecialis Sacerdotis ſunt eiuſdem rationis: vtpotè effectus eiuſdem ſacrificij: ergo ſi vnus cauſat ſatisfactionem perſonę pro qua applicatur etiam alius debet ſatisfactionem cauſare: ergo fructus ſpecialis ſacrificij Miſſę Sacerdoti celebranti correſpondens cauſabit hanc ſatisfactionem cuicumque perſonę applicetur, ſiue applicetur illi, cui applicatur fructus medius, ſiue alteri perſonę diſtinctę. Ponamus exemplum, fructus Miſſę medius habeat virtutem cauſandi ſatisfactionem, vt quatuor, & fructus ſpecialis eiuſdem ſacrificij, qui Sacerdoti correſpondet habeat ſimiliter virtutem cauſandi ſatisfactionem, vt quatuor. Petrus habens diſpoſitionẽ, vt quatuor tribuit Sacerdoti cuidam decem ſtipendia pro decem miſſis celebrandis in ſatisfactionem ſuorũ peccatorum, iſte Sacerdos celebrat pro hac perſona Miſſas quinque applicando illi tam fructum medium Miſſę illi debitum: quam fructum ſpecialẽ ipſius Sacerdotis illi debitum: ergo per applicationem horum fructuum cauſat ſatisfactionem, vt quatraginta: ergo in nihilo defraudatur; vltima conſequẽtia neceſſariò ſequitur ex prima: primam vero euidẽter demonſtro, vterque fructus Miſſę ex ſe eſt cauſatiuus ſatisfactionis peccatorum, ſeù pœnarum debitarum pro peccatis illius perſonę pro qua dicti fructus à Sacerdote applicantur: ergo ſi perſona illa pro qua applicatur habeat diſpoſitionem, vt quatuor ſi quilibet fructus Miſſę, ſcilicet medius, & ſpecialis Sacerdotis, habet vt ſupponimus cauſare ſatisfactionẽ, vt quatuor, quilibet dictam ſatisfactionem cauſabit: ergo applicando eidem perſonę dupplicatum dictum fructum Miſſę quinquies, idem erit ac ſi decem vicibus applicaretur illi celebrando pro illa perſona decem Miſſas ſolũ fructus medius vniuſcuiuſque Miſſę, & conſequenter illę quinq; Miſſę modo dicto applicatę cauſabunt ſatis factionem, vt quatraginta; ſicut decem Miſſę; applicando pro dicta perſona ſolùm fructum medium illarum Miſſarum aliàs ſequeretur, quod ſi perſonę diſpoſitę, vt quatuor applicaretur ex vna Miſſa à Sacerdote fructus medius, & fructus ſpecialis, dictus ſpecialis fructus *Miſſę* illi perſonę applicatus non cauſaret effectum ſatisfactionis, quod eſt planè falſum: nam ſi eidem perſonę diſpoſitę, vt quatuor

quatuor applicaretur ab vno Sacerdote fructus miſſę medius, & ab alio fructus miſſę ſpecialis proprius ipſius Sacerdotis, ſine dubio cauſarent ſatisfactionem, vt octo reſpectu illius perſonę: ergo idem dicendum eſt quando iſti duo fructus ab eodem Sacerdote in eadem miſſa eidem perſonę applicantur: cum in vtroq; caſu ſit eadem ratio: tam ex parte effectuũ miſſę habentium virtutem cauſatiuam ſatisfactionis: quã ex parte diſpoſitionis perſonę pro qua fit ſatisfactio. Ex quo patet ſolutio ad fundamentum Patris Hurtadi pro prima limitatione.

RESOLVTIO SECVNDA (vtrum poſſit Sacerdos pro vna miſsa duplex ſtipendium accipere, applicando vni fructum miſsę medium, alteri verò indulgentiam, vel ratione Altaris priuilegiati, vel ratione numiſmatis: aut calculi priuilegiati.

46 IN hac difficultate ſingularis eſt opinio Reuerendiſſimi Patris Franciſci Bordoni tom. 1. conſiliorum regularium reſolut. 25. quęſt. 9. vbi inquirit: an non obſtante decreto Sacrę Congregationis Concilij de celebratione miſſarum poſſit Sacerdos quotidie obligatus eadem miſsa ſatisfacere obligationi ex nouo ſtipendio aduenienti mediante indulgentia, aut Altari priuilegiato, quibus liberantur animę à pœnis Purgatorij, & num. 17. affirmatiuè reſpondet, quam ſuã ſingularem opinionem primo ſuadere intendit: quia Sacerdos, qui habet obligationem quotidiè celebrandi, & accipit ſtipẽdium aliud ab alia perſona pro miſſę celebratione ſatisfacit virtute fructus medij ex miſsa celebrata obligationi ordinarię, & mediante indulgentia ſatisfacit alteri obligationi: nam liberatur anima de purgatorio ex vi illius indulgentię, vnde in quibuſdam conceſſionibus, vt dicitur quòd celebrans: ſiuè ex deuotione, ſiue, ex obligatione adhibito grano benedicto liberat animam de purgatorio: ergo ſatisfacit vtrique obligationi vnica miſſa: quin faciat contra diſpoſitionem decreti ſacrę Congregationis Cõcilij de celebratione miſsarum: cum ceſsent omnia inconueniẽtia quibus factum fuit illud decretum ad ea exterminanda.

47 Secundò ſuadet: quia poteſt quis conſequi indulgentiam ſiuè pro ſe: ſiue pro mortuis adimplendo ſemel illud opus bonum, quamuis aliàs ad illud teneatur, deſignatum pro ea obtinenda, ita quod indulgentiam lucratur, & ſatisfacit prętereà obligationi, ad quam tenebatur, ſiuè ex pręcepto naturali: ſiue diuino, aut Eccleſiaſtico, vel ex voto, vel, ex iuſtitia, vt docet Boſſius de Iubileo ſect. 4. caſu 9. vbi pro ſe citat Cordubam de indulgent. quęſt. 1. propoſit. 3. Henriquez lib. 7. cap. 10. num. 6. Comitolum lib. 1. reſp. moral. quęſt. 38. Rodriquez in bulla Cruciatę §. 7. Vegam tom. 2. cap. 7. caſu 24. & 25. Laymanum lib. 5. tract. 7. cap. 8. nu. 13. Benz. lib. 1. dub. 13. Hyeronimum Gratianum par. 2. de iubilęo, & alios, quos ibidem refert Pater Bordonus: ergo ſicut non eſt inconueniens aſserere, quòd eodem opere bono aliquis ſatisfaciat duplici obligationi: nempè, & quod liberet animam de purgatorio, & ſatisfaciat ſimul pręcepto: aut voto: ita nullum erit inconueniens, quòd Sacerdos in caſu propoſito vnica miſsa duplici obli-

Digitized by Google

obligationi ſatisfaciat celebrãdo illam in altari priuilegiato, aut mediãte calculo benedicto. quo liberatur anima è purgatorio applicando illi indulgentiam cũ in vtroque caſu videatur eſse eadem ratio.

48 Tertio ſuadet: quia poteſt quis eadem oratione ſemel recitata conſequi diuerſas indulgentias v. g. tot annos, ſi concedantur à diuerſis Pontificibus recitantibus v. g. vnum Miſerere &c. Ita Corduba quęſt. 35. de indulgentijs. Graffis lib. 1. Append. cap. 5. num. 55. vbi citat Aſtenſem, & ex Hoſtienſem, vbi probat exemplo recitantis ſemel officium diuinum ex diuerſis obligationibus quibus ſatisfacit vnica recitatione; & Sacerdotis vnica abſolutionis prolatione remittentis plura peccata. Quare ergo, & à ſimili per vnicam miſsam non poteſt Sacerdos ſatisfacere diuerſis obligationibus.

49 Etſi ad omnes has inſtantias reſpondeas, omnia prędicta habere locum, vbi non interuenit obligatio iuſtitię, vt in ipſo caſu pręſenti contingit, in quo Sacerdos tenetur ex iuſtitia: vt ſupponitur quotidiè vnam miſſam celebrare, & etiam tenetur ex iuſtitia celebrare alteram ratione noui ſtipendij accepti ex quo infertur manifeſtè nõ poſse Sacerdotem vnica, & eadem miſsa vtrique obligationi ex iuſtitia ſatisfacere. Contra hanc reſpõſionẽ arguit Eruditiſſimus Bordonus aſserendo illã nullius eſse momenti: tum quia dicta reſponſio benè currit in rebus temporalibus: non tamen in ſpiritualibus: tum etiam quia in caſu propoſito ex parte obligationis duo ſpectari poſsunt: ſcilicet ſatisfactio, & ſtipendium, hoc autem ſequitur conditionẽ illius, vnde ſi ſatisfactũ ſit animę exiſtenti in purgatorio ęque benè, ac ſi pręcisè tota ipſa, & totaliter (vt ita loquamur) dicta eſset integraliter pro illo defũcto, pro quo petita fuit, conſequens eſt, vt mereatur Sacerdos illud ſtipendium, vt in caſu propoſito cenſetur ſatisfeciſse; quia licèt miſsa ſit medium perfectiſſimum ad conſequendum fructum ſatisfactorium: tamen etiã indulgentia eſt optimum remedium ad liberandum animas à purgatorio, de quo nullus dubitat.

50 Et ſi illi obicias, quòd Sacerdos debet ſatisfacere ex iuſtitia intentioni perſonę dantis eleemoſynam pro miſsę celebratione; atqui applicando indulgentiam pro anima exiſtente in purgatorio ratione Altaris priuilegiati: aut ratione calculi benedicti, quibus anima è purgatorio liberatur, Sacerdos non ſatisfacit, intentioni petentis miſsam, cum ipſe non petat applicationem indulgentię pro illo defuncto: ſed quòd pro illo miſsę ſacrificiũ celebretur medio quo Dei Maieſtas dignetur animam illius defuncti è pœnis purgatorij liberare: ergo tota doctrina tradita ſuperiùs corruit.

51 Ad hoc argumentum, quod valdè efficax videtur, reſpõdet: Reuerendiſſimus Magiſter Bordonus diſtinguendo maiorem Sacerdos tenetur ex iuſtitia ſatisfacere intentioni materiali petentis miſsam, & dantis ſtipendium pro illius celebratione: negat maiorem: tenetur ſatisfacere intentioni formali, ſeù finali petentis miſsam: ſeù dantis ſtipendium, vt miſsa celebretur pro anima defuncti in pur-

purgatorio exiſtenti concedit maiorē. Et in eodem ſenſu diſtinguit minorem Sacerdos applicando indulgentiam tantum pro anima defuncti exiſtentis in purgatorio pro qua celebratio ſacrificij Miſſæ (fuit poſita à dante eleemoſynam, non ſatisfacit intentioni materiali petentis Miſſam concedit minorem: applicando pro dicta anima pro qua Miſſæ celebratio petita fuit tantùm indulgentiam; aut ratione Altaris priuilegiati: aut ratione calculi benedicti, quibus medijs anima è pœnis purgatorij liberatur non ſatisfacit intētioni formali: ſeu finali petentis Miſſam pro tali defuncto, & dātis ſtipendium pro Miſſæ celebratione negat minorem, & ſimiliter negat conſequentiam: quia per talem applcationem indulgentiæ pro illa anima in purgatorio exiſtenti ſatisfactum eſt principali intento petentis Miſſam, quod eſt finis, & effectus præciſè à petente intentus, nempè remiſſio pœnarum, miſſa verò petita eſt vt mediū, & inſtrumentum ad eam conſequēdam, ſicut eſt etiam indulgentia plenaria: ergo dum quis cōſequitur effectum ab alio ſibi demandato non eſt curādum quo medio ad illum proueniat: ergo doctrina ſuperius tradita à Magiſtro Bordono in præſenti caſu illæſa manet non obſtante argumento facto.

52 Secunda ſententia ſubſtinet non poſſe Sacerdotem accipere duo ſtipendia pro vna Miſſa, applicando vni fructum Miſſæ medium, & alteri indulgentiam plenariam, quæ habeatur celebrando miſſam in Altari priuilegiato: aut cum calculo benedicto &c. nec ſatisfaecere vtrique obligationi: imò grauiter peccare, & ad reſtitutionem teneri: ita Magiſter Ioannes Baptiſta de Lezana tom.4. ſummæ regularium verbo Miſſa num. 18. vbi ſententiam Bordoni non ſolum ſingularem appellat, cum nullum alium pro ſe Patronum habeat: ſed etiam contra communem ſenſum fidelium: imò & contra intentionem Pontificum concedentium tales indulgentias, qui ſine dubio intendunt, vt pro applicatione talium indulgentiarum nullum accipiatur ſtipendium pro dicta applicatione: & concludit Lezana his verbis: quare non video quomodo hæc ſententia Bordoni ſubſtineri poſſit, maximè poſt decreta Sacræ Congregationis generaliter prohibentia recipi plura ſtipendia pro vna Miſſa, quæ tamen dicta ſint (inquit Lezana) ſine præiuditio dicti Bordoni viri ſanè docti, & pij. Huic ſententiæ conſentijt Diana conſultus, vt ipſe fatetur circa probabilitatem ſententiæ Bordoni à Patre Euſonio Noetino, & eiuſdem tertij Ordinis Diui Franciſci, qui magno cum labore opera Dianæ in compendium reduxit. Sed nec Lezana: nec Diana adducunt fundamenta Reuerendiſſimi Bordoni à nobis relata pro ſua ſententia: neque aliquibus rationibus ſuā ſententiam probant, & contrariam Bordoni impugnant: ſed ſolum dicūt eam ſubſtineri non poſſe: vt potè ſingularem, contra intentionem fidelium petētium Miſſas pro defunctis, cōtra Pontificum intentionē plenariam indulgentiam concedentium, & contra decretum ſacræ Congregationis Concilij de celebratione Miſſarum, vbi prohibetur Sacerdotibus generaliter plura ſtipendia pro vna

D Miſſa

Digitized by Google

Miſſa accipere, quæ omnia pro vt fauent, huic ſententię, & ſententiam Bordoni impugnãt, poſſunt adhanc formam reduci. Sententia ſingularis doctoris contra omnium Doctorum cõſenſum non licet practicari: nequè in praxi licitè ſequi, atqui ſententia Bordoni eſt huiuſmodi: cum nullum alium Doctorẽ præter Bordonũ pro ſe habeat: ergo non poteſt licitè in praxi ſequi: deinde: quia Sacerdos titulo fidelitatis ſeu ex virtute fidelitatis, & ex virtute iuſtitiæ tenetur adimplere quod promittit: præcipuè quando pro adimpletione promiſſionis accipit ſtipendium; atqui quando Sacerdos accipit ſtipendiũ pro celebranda miſſa pro aliquo defũcto promittit ſaltem implicitè miſſam celebrare pro dicto defuncto, & intentio petentis miſſam eſt, quod miſſa pro defũcto celebretur, & nõ quod pro miſſę celebrationẽ Sacerdos indulgentiã proanima defuncti applicet: ergo non poteſt ex iuſtitia, neque ex fidelitate applicare indulgentiam loco applicationis miſſę, & conſequenter ſi hoc facit operatur tum contra intentionem petentis: tũ contra promiſſionem factam: ergo non poteſt licitè duplex ſtipendiũ accipit vnum pro applicatione fructus miſſę, & alterũ pro appilcatione indulgentię plenarię: ſiuè ratione Altaris priuilegiati: ſiue quacumq; alia ratione. Pręterea: quia hic modus applicãdi indulgentias ex ſtipẽdio eſt ſymoniacus, ergo eſt illicitus. Probatur antecedẽs: quia qui accipit rẽ tẽporalem pro re ſpirituali tribuẽda ſymoniam cõmittit; atqui Sacerdos, qui accipit ſtipendium pro applicatione indulgentiarũ dat rem ſpiritualẽ pro tẽporali prętio: ergo cõmittit ſymoniã, & dat anſam hęreticis aſſerendi, quod indulgentię in Eccleſia Dei ſeruiunt ad agendas pecunias, quod eſt omninò vitandum vtpotè propoſitio omnino damnanda: vel ſaltem reijcienda.

53 Antequam dicam in hac reſolutione, quod ſentio, ſupponere opere pręti um puto illam grauem quęſtionem exagitatam à Doctoribus: vtrũ ſcilicet vnius Doctoris: dictum ſufficiat ad opinionem probabilem conſtituendam, ad quam abſolutè reſpondent nonnulli DD. quos citat, & ſequitur Angelus Maria Verricellus in ſuis quęſtionibus moralibus, & legalibus tract. 1. quęſt. 5. à num. 1. quod colligit ex lib. 2. §. ſed neque C. de vet. Iure encul. ibi: ſed neque ex multitudine Authorum, quòd meliùs, & ęquius eſt iudicatũ, cum poſſit vnius forſan, & deterioris ſententia, & meliores, & maiores ſuperare: alij verò & fortaſsè melius cum diſtintione procedunt aſſerentes, quod ſi res pro qua eſt opinio ab Authoribus agitata non ſit, nemini poteſt eſſe dubium dictum vnius grauis, & pij Doctoris, qui ratione firma intelligitur moueri, ſufficere ad opinionem probabilem conſtituendam, tam ſibi, quam alijs: ſi verò res controuerſa ſit à paucis, poteſt vir doctus aduerſus illos ſentire ſi rationem firmam in contrarium habeat. Quod ſi à multis ſiuè ex profeſſo res agitata, & omnes penſis rationibus vnum ſentiãt, adhuc ęxiſtimat Ioannes Sanchez in ſelectis diſput. 44. nu. 6. poſſe virum doctum contrariũ probabiliter opinari, ſi videat aliquam rationem pro ſua parte ſtare ab alijs inſufficiẽter ſolutã,

hoc

Digitized by Google

hoc enim modo inquit Sanchez opiniones probabiles in Scholis fuerunt introductæ. Verùm & ſi hoc in aliquo caſu contingere poſſit, raro tamen: potius enim, vt benè docet Caſtro Palaus to.1.diſput.2. puncto primo num.3. talis doctor credere debet ſe errare, quàm aliorum iudicio præponi; timere enim debet ne lumen quod ſibi eſſe videtur, tenebræ ſint: prudenti enim, & humilitas petit aliorũ iudicio ſe ſubijcire, & conformare, vt rectè colligit Nauarr.cap. 27.num.286.& 288. ex cap. prudentia de off.delegat. & ex cap. de quibus diſtint.20. & concludit Caſtropalaus, quòd vnius Doctoris grauis dictum ſufficere ad probabilem opinionem aſſerendam, aduerſus communem; citans Azorium tom.1. cap.17. quæſt. 6. Vaſquez prima ſecundæ tom.1.diſput.26.cap.4.n.12. Thomam Sanchez lib.1.decalogum cap. 9. num. 9. Villalobòs in ſumma tom.1. tract. 1. diffic. 4.nu. 17. ex quibus infert idem Caſtro Palaus num 4. quod ſi in libro alicuius Doctoris Moderni inueniamus aliquas propoſitiones abſolutè affirmatas, quæ aduerſus communem videãtur, non debemus illas, vt improbabiles iudicare: imò potius illas debemus cenſere probabiles, dũ nobis non conſtat à Sede Apoſtolica eſſe, vt improbabiles iudicatas.

54 Secundo ſuppono, quod indulgentia conceſſa Altari priuilegiato applicanda defunctis habet infallibiliter effectum: ita Diana part.9.tract.2.reſolut.3. citans diuum Thomam in 4. diſtinct.21.quæſt.2.art.2. quęſt.2. (ſed ego apud Diuum Thomam in hoc loco nihil inuenio: nam Diuus Thomas in dicto artic.2. interrogat vtrùm confeſſio generalis ſufficiat ad delendum peccata mortalia oblita, & nihil ibi agit: neque in quæſtiũcula 1. neque in 2. de hac difficultate) Sotum diſtinct.21.quæſt.2.art. 3. Suarez, Valentiam, Coninch. apud Caſtropalaum to. 4. tract. 14. diſputat. vnica. puncto 10. num. 4. Leſſium in tertiam part. Diui Thomæ cap.5.de indulgẽt. lib.3. num. 41. Granadum in 3. part. controuerſia 12. tractat.3. diſput.5.num. 10. qui omnes citantur ab ipſo Diana dicta part. 9. tract.3. reſolut. 3. ſed vt dixi non fideliter citat dictum Thomas: nam licet Angelicus Præceptor hanc teneat opinionem, illam ſuſtinet in 4. diſtinct. 45. quæſt.2.art.3.quæſtiuncula 2. in corpore, vbi ſic habetur: Ad ſecundam quæſtionem dicendum quod indulgentia dupp liciter alicui prodeſſe poteſt: vno modo principaliter: alio modo ſecundariò: principaliter quandoquidem prodeſt ei qui indulgentiam accipit: ſcilicet, qui facit hoc pro quo indulgentia datur, vt qui viſitat limina alicuius Sãcti: vnde viri mortui nõ poſſint aliquid facere eorum, pro quibus indulgentiæ dantur eis indulgentiæ directè valere non poſſunt. Secundario autem, & indirectè proſunt ei pro quo aliquis facit illud, quod eſt indulgentiæ cauſa, quod ſicut diſtint.20.quæſt.1.ar.5. quæſtiuncula 3. ad ſecundum dictum eſt quandoque contingere poteſt: quandoque non poteſt ſecundũ diuerſam indulgentiæ formam ſi enim ſit talis indulgentiæ forma, quicumque facit hoc: vel illud habebit tantum de indulgentia ille, qui hoc facit, non poteſt fructum indulgentiæ in alium transferre: quia eius non

Digitized by Google

eſt applicare ad aliquid intentionem Eccleſiæ, per quam cōmunicātur communia ſuffragia, ex quibus indulgentiæ valent; ſi autem indulgentia ſub hac forma fiat quicumque fecerit hoc vel illud, ipſe, & pater eius vel quicumque ei adiunctus in purgatorio detentus: tantum de indulgentia habebit, talis indulgentia non ſolum viuo: ſed etiā mortuo proderit. Non enim eſt aliqua ratio quare Eccleſia poſſit transferre merita communia, quibus indulgentiæ innituntur in viuos; & non in mortuos: vel tamen ſequitur: quod Prælatus Eccleſiæ poſſit pro ſuo arbitrio animas à purgatorio liberare: quia adhoc, quod indulgentiæ valeant requiritur cauſa conueniens indulgentias concedendi, vt ſupra diſt.20.dictum eſt. Ratio huius notabilis deſumi poteſt ex Epiſtola Leonis Decimi ad Gaetanum: vbi de diſtributione Theſauri de indulgentiarum conceſſione viuis, ac defūctis facta loquens, nulla diſtinctione facta de omnibus affirmat prodeſſe; viuis: ſcilicet per modum abſolutionis; defunctis vero per modum ſuffragij; & vtramq; diſtributionem ex Apoſtolica Authoritate prouenire; atqui viuis prodeſt indulgentia infallibiliter ex poteſtate à Chriſto accepta: ergo etiā prodeſſe debet defunctis: cum ex eadem poteſtate applicatio proueniat. Quod poteſt confirmari: nam Summus Pontifex accipit à Chriſto Domino eius Theſauri diſpenſandi poteſtatem, & applicandi non ſolum viuis ſed etiam defunctis cauſa legitima intercedente: vt docet Diuus Thomas loco ſuperiùs citato, & diſt.in.20.quæſt.1. quæſtiuncula 2. & 3. ergo facta applicatione defunctis effectum obtinebit, aliàs inutilis eſſet hæc poteſtas, neque differret ab ea, quam habet quilibet homo theſaurum Chriſti pro animabus purgatorij applicandi: ſi quidem per vtramque poteſtatem Deo ſatisfactio ſufficiens offertur, exorādo illum, vt acceptam, & ratam habeat, intuituque illius pœnas defunctis remittat.

55 Quibus ſtabilitis Dico primo ſententiam Patris Bordoni eſſe probabilem ſaltèm ab extrinſeco, propter authoritatem tanti Doctoris: nā vt in primo notabili dixi vnius Doctoris pij, & docti dictum, ſufficit ad conſtituēdam opinionem probabilem præcipuè: quando difficultas, de qua agitur à paucis Doctoribus diſputatur, vt contingit in præſenti difficultate; atqui hæc omnia requiſita concurrunt in perſona Reuerendiſſimi Patris Franciſci Bordonij: ergo ſaltem ab extrinſeco dicta opinio eſt probabilis. Nec valet ſi dicas dictam opinionem eſſe contra cōmunem vſum fidelium, qui quādo petunt pro aliquo defuncto aliquam Miſſam celebrari cum indulgentia Altaris v.g. priuilegiati petunt tùm applicationem indulgentiæ, tùm fructū Miſſæ, qui communiter in alijs Miſſis applicatur: ergo non licebit Sacerdoti pro dicta applicatione nouum aliud ſtipendium accipere. Nam adhoc poteſt reſponderi, negando hoc eſſe contra communem conſenſum fidelium cum in nonnullis locis præcipuè apud Vandaliam ſit conſuetudo recepta: quod fideles quando petunt pro aliquo defuncto dici aliquam Miſſam cum indulgentia Altaris priuilegiati donant Sacerdoti duplicatum ſtipendium. Sed dato

quod

quod in alijs Regnis ſit conſuetudo in contrarium, & quod fideles quando petunt pro aliquo defuncto aliquam miſſam celebrari cum indulgentia Altaris: ſeu in Altare priuilegiato, ſolùm tribuant Sacerdoti ſtipendium ordinarium, & quod intendant, & explicitè petant applicationẽ, tùm fructuum miſſæ, tùm indulgentiæ Altaris, ſanè tunc ſi Sacerdos tale ſtipendium accipiat tenebitur in tali caſu vtramque applicationem facere ratione contractus: ſicut Sacerdos, qui minorem ſtipendium accipit, quàm quòd ab Ordinario taxatum eſt pro celebratione miſſæ non poteſt pro eadem miſſæ celebratione aliud ſtipendium accipere, quod ſatis ſit ad adimplendam taxationem ab Epiſcopo factam. Sed ex hoc nihil ſequitur contra Bordonum: nam poteſt reſponderi, quòd ille loquitur de caſu, quo Sacerdos accipiat ſtipendium pro Miſſæ celebratione, & quòd ipſe illam celebret in Altari priuilegiato liberè, & voluntariè, vt non teneatur aliquo pacto illam in Altari priuilegiato celebrare; & quod in tali caſu poſſit pro applicatione indulgentiæ aliud ſtipendium accipere, qui eſt caſus valdè diuerſus à caſu in replica poſito.

56 Deinde data probabilitate ſententiæ Bordoni non obſtat alia replica, quę fieri ſolet cõtra hanc opinionem ab aliquibus. Quia applicatio indulgentiæ ratione celebrationis Miſſæ pẽdet ab exiſtentia Sacerdotis celebrãtis in gratia, & amicitia Dei; atqui Sacerdos non poteſt certo ſcire ſe eſſe in gratia, & amicitia Dei: ergo non poteſt illi conſtare certo indulgentiam prodeſſe infallibiliter animæ exiſtẽti in purgatorio pro qua illam applicat: ergo non poteſt ſtipendium accipere licitè pro applicatione indulgentiæ dictæ. Hoc inquam non obſtat: nam facile poteſt reſpondere Bordonus negando maiorem propoſitionem: nam lucratio indulgentiæ pro defunctis non dependet à ſtatu gratię, cũ ſtet pro hac parte communis Doctorum ſententia, affirmans nõ eſſe neceſſariũ, vt exiſtat in gratia, & amicitia Dei, qui pro defunctis indulgẽtiam lucratur. Ita Ioannes Præpoſitus in 3. part. Diui Thomæ quæſt. 14. de indulgentiis dub. 10. nu. 93. Naldus in ſumma verbo indulgentia num. 7. vbi ſic ait, indulgentiam pro mortuis conſequi poteſt etiam in mortali exiſtens ſecundum magis receptam opinionem: in hoc enim caſu non dicitur malus pro alio ſatisfacere: ſed ſolũ facere opus ob quod Papa ſatisfactionẽ Chriſti, per Sacramenta impertitur: quia malus miniſterialiter pro alio ſatisfacere poteſt, vt eleemoſynam, vel aliud bonum mandato alicuius faciens. Ita ille, qui citat Nauarrum notab. 22. de indulgentijs n. 30. quibus addit etiam Fabrum in 4. diſtint. 19. quæſt. vnica diſput. 38. cap. 8. num. 256. Granadum in tertiam partem Diui Thomę de Sacramentis. Controuerſia 12. tract. 5. diſput. 6. num. 1. Trullench. in Bullam Cruciatę lib. 1. §. 6. dub. 4 num. 3. Portel. in dubijs regularium verbo indulgentia pro iubilęo num. 24. Dianam parte 5. tract. 12. reſolut. 38. Pellizzariũ in manuali regularium tom. 2. tract. 8. cap. 5. ſub ſect. 1. nu. 196. & ratio id ſuadet: tum quia ſtatus gratus tãquam diſpoſitio ad effectũ indulgentię in eo ſolũ requiritur, qui debet illũ recipere:

in

in noſtro autem caſu, non Sacerdos, qui Miſſam celebrat in Altari priuilegiato debet talem effectum recipere: ſed is cui applicatur: tum etiam: quia ratio ſatisfactionis in hoc caſu non eſt opus illius, qui eſt in peccato ſed indulgentia, & theſaurus meritorum Chriſti, ac ſanctorũ, opus autẽ particulare per quod applicatur defuncto fit nomine Eccleſiæ: in qua nũquam deeſt gratia. Cum autem ex alio capite ſit certum in probabiliori doctorum opinione noſtras ſatisfactiones infallibiliter applicari ijs, pro quibus offeruntur, vt docet diuus Thomas in 4. diſt. 45. quęſt. 2. art. 1. quęſtiuncula 1. & 2. vbi ſic, inquit, Ad ſecundam quęſtionem dicendum; quod charitas, quę eſt vinculũ vniens membra Eccleſiæ non ſolùm ad viuos ſe extendit: ſed etiam ad mortuos, qui in charitate diſcedunt: charitas enim vita corporis non finitur. Prima ad Corinteos 13. charitas nunquam excidit. Similiter etiam mortui in memorijs hominum viuentium viuunt, & ideò intentio viuentium ad eos dirigi poteſt, & ſic ſuffragia viuorum dupliciter mortuis proſunt: ſicut & viuis & propter charitatis vnionem, & propter intentionem ad eos directam, non tamen ſic eis valere credenda ſunt viuorũ ſuffragia, vt & ſtatus eorum mutetur de miſeria in felicitatem, vel è conuerſo, ſed valet ad diminutionẽ pœnæ, vel aliquid huiuſmodi, quod ſtatum mortui non tranſmutat. Cum autem ex vna parte habeamus non eſſe neceſſarium Sacerdotem eſſe in gratia, vt opera ſua bona applicet pro animabus exiſtentibus in purgatorio in ſatisfactionem pœnę: ſeù in diminutionem pœnę, qua in purgatorio cruciantur, nec ad id, vt applicet indulgentiã plenariam ei ratione Altaris priuilegiati in quo miſſam celebret; & ex alio capite habeamus ex ſupradictis, quod applicatio tã bonorum operum: quam applicatio indulgentiæ habeat infallibiliter effectum, conſequens eſt vt nihil obſtet in ſentẽtia Bordoni, quod Sacerdos in peccato mortali ſit, adhoc vt poſſit indulgentiam Altaris pro aliqua anima purgatorij applicare, & pro applicatione ſtipendium accipere.

57 Dico ſecundo: quod licèt opinio eruditi Patris Bordoni ſuperius relata ſit probabilis ab extrinſeco ob authoritatem tanti Doctoris, vt dixi concl. 1. nihilominus quoad principia intrinſeca illam non iudico ſequendam in praxi: nam fundamenta Bordoni ſolùm faciunt ſuam opinionem metaphyſice, probabilem, quàm in praxi exequibilem abſq; labe magni ſcrupuli: quòd ſic oſtendo: Sacerdos accipiens eleemoſynam ab aliqua perſona pro celebranda miſſa in Altari priuilegiato pro anima v.g. alicuius defuncti tenetur ex iuſtitia ſatisfacere intẽtioni formali petentis miſſam: ſeù dantis ſtipendium pro tali miſſa celebranda pro dicto defuncto; atqui Sacerdos applicans pro tali obligatione ſolùm indulgentiam Altaris priuilegiati, & non fructum mediũ miſsæ celebratę in dicto Altari non ſatisfacit intentioni formali: ſeu finali petentis: ſeu dantis ſtipẽdium pro miſſæ celebratione in Altari priuilegiato: ergo tenetur Sacerdos applicare pro dicto defuncto non ſolum indulgentiam Altaris priuilegiati: ſed etiam fructum miſſæ medium: ergo

Digitized by Google

ergo non poteſt prędictus Sacerdos in tali caſu accipere duo ſtipendia licitè, vnum pro applicatione fructus Miſſę, & aliud pro applicatione indulgentię Altaris priuilegiati: in quo Miſſam celebrat. Hęc ſecunda conſequentia: ſequitur ex prima; prima verò ex pręmiſſis manifeſtè cõſtat; maior autẽ cõceditur à dicto Patre Bordono loco ſuperius citato, minorẽ, in qua poteſt eſſe difficultas ſic oſtẽdo; dans ſtipendium iuſtum Sacerdoti, vt Miſſam celebret pro anima alicuius defuncti in pęnis purgatorij exiſtentis, explicitè petit celebrationem Miſſę in tali determinato Altari priuilegiato, & non in alio: taliter quòd Sacerdos non ſatisfaceret ſuę obligationi ad quam tenetur ex iuſtitia ratione ſtipendij accepti ſi in alio Altari non priuilegiato dictam Miſſam celebraret: ſicut nec ſatisfaceret Sacerdos, qui titulo Cappellanię teneretur Miſſam in aliquo determinato loco illam in alio diſtincto celebraret: ergo intentio explicita, & finalis petentis Miſsã celebrari in Altari priuilegiato; & dantis ſtipendium pro celebratione Miſſę in tali loco adęquatè duo explicitè intendit, & quod Miſſa quoad eius fructum applicetur pro defũcto, & quod illi applicetur indulgentia Altaris priuilegiati, quę ſunt quaſi duo fines partiales eiuſdem intentionis integrantes vnum finẽ totalem, & adęquatum prędictę intentionis petentis Miſsam celebrari pro defuncto illo in Altari priuilegiato, & non in alio non priuilegiato: ergo non poterit licitè Sacerdos in dicto caſu fructum Miſſę pro alio applicare ex ſtipendio, & pro anima dicti defuncti applicare ſolũ indulgentiã Altaris priuilegiati, ratione alterius ſtipendij accepti, quin ad reſtitutionem teneatur ex iuſtitia vtpotè defraudans illam animam exiſtentem in purgatorio in re graui ſpirituali negando illi: ſeu non applicando fructum dictę Miſſę ad quam applicationem tenebatur ex iuſtitia ratione ſtipendij accepti.

58 Nec valet ſi dicas ex doctrina ipſius Bordoni, quod licèt Sacerdos teneatur ex iuſtitia applicare pro anima defuncti v.g. non ſolum fructum Miſsę medium: ſed etiam indulgentiã Altaris priuilegiati: quando accipit ſtipendium pro celebranda dicta Miſsa in tali Altari priuilegiato determinatè, & non in alio, in quo caſu non poteſt habere locum prędicta ſententia Bordoni: tamen ſi aliquis Sacerdos accipiat à Petro v.g. ſtipẽdium iuſtum pro celebrãda vna Miſſa de requie pro anima vnius defuncti non deſignando illi à dante ſtipendium determinatum aliquod Altare, & à Frãciſco accipiat aliud ſtipendium pro celebrãda alia Miſſa eodem modo pro anima alterius defuncti videtur prędictum Sacerdotem vtrique obligationi ſatisfacere applicãdo pro anima vnius defuncti deſignata à Petro v.g. fructum miſsę medium, & pro alia deſignata à Franciſco indulgentiam Altaris, in quo miſsam celebret pro ſua libera voluntate abſque aliqua obligatione reſtitutionis: quia in hoc caſu ſatisfacit intẽtioni formali vtriuſque nempè intentioni formali, ſeù finali Petri, applicando fructum miſſę medium pro anima purgatorij aſſignata à Petro, & intentioni formali: ſeu finali Franciſci applicando indulgentiam

tiam Altaris priuilegiati, in quo Miſsam elegit celebrare, cum ponat medium ex ſe efficax ad liberandam dictam animam à Franciſco aſſignatam è pœnis purgatorij: nempè applicatio indulgentię plenarię conceſſę dicto Altari priuilegiato: licet non ſatisfaciat intentioni materiali dicti Franciſci: quia non applicat fructum Miſſę medium pro anima purgatorij aſſignatã ab ipſo Franciſco, hoc inquam non valet: tum: quia hęc objectio plus habet de ſubtilitate metaphyſica: quam de veritate, nam ſi Franciſcus ſciret: quãdo dat eleemoſynam alicui Sacerdoti pro celebranda Miſsa pro aliquo defuncto ſuo parenti; aut amico; quod Sacerdos ille non eſſet applicaturus fructum miſsę pro defuncto ab illo aſſignatũ non eſt dubium, quòd non tribueret eleemoſynam tali Sacerdoti: ſed alium procuraret qui non indulgentiam: ſed fructum Miſſę pro ſua intentione: ſeu pro anima purgatorij ab ipſo aſſignata applicaret. Deinde: quia iſte modus accipiendi ſtipendium pro applicatione indulgentiarum, quę applicatio fit à Sacerdote non nomine proprio: ſed nomine Chriſti, & Eccleſię eſt expreſſe contra intentionem Summorum Pontificum concedentium dictas indulgentias, qui non concedunt eas, vt deſeruiant ad ſubſtentationem Sacerdotum: ſed vt ex charitate applicentur pro animabus exiſtentibus in purgatorio: aliàs liceret fidelibus accipere pecunias pro lucrandis indulgentijs pro animabus exiſtentibus in purgatorio, quòd ſapit manifeſtam ſymoniam, vt ſupra diximus in probatione noſtrę ſententię.

RESOLVTIO TERTIA.

Vtrùm Sacerdos poſſit pro vna Miſsa duplex ſtipendium accipere à diuerſis perſonis, applicãdo vni fructum impetrationis, & alteri fructum ſatisfactionis, ſine eò quòd contraueniat Decreto Sacrę Congregationis de celebratione Miſſarum.

59 PRo deciſione huius difficultatis notandum eſt primò ex Patre Franciſco Pellizzario in manuali regularium tom. 1. tract. 6. cap. 3. quæſt. 12. triplicem eſſe fructum ſacrificij Miſſæ; primus eſt vt conferat gratiam, & remittat peccata, ſicquè dicitur propitiatorius, ſecundus eſt vt impetret nobis bona, quę petimus, & ſic dicitur impetratorius; tertius eſt, vt ſatisfaciat pro peccatis, & pro pœnis eis debitis, & ſic dicitur ſatisfactorius. Secundo notandum eſt quod quando fideles petunt Miſsas etiam ex ſtipendio, non ſemper intendunt omnes hos fructus, quos ſacrificium Miſſę præſtat: ſed modo hunc: modò illum: ſi enim Miſſam poſtulent pro defuncto, cum propriè loquendo, defunctus non ſit capax niſi ſatisfactionis debitè pro ſuis peccatis, pro quibus in purgatorio patitur hacquę ſola indigeat; ideo, qui pro eo petit Miſſam non videtur intendere ſacrificium, niſi prout eſt ſatisfactorium, è contra verò, qui petit Miſſam pro conuerſione Infidelium pro reductione Hęreticorum; pro ſalute alicujus infirmi, conſecutione alicuius gratię, & pro alijs ſimilibus neceſſitatibus, cum adhunc finem conſequendum non requiratur propriè loquendo niſi impetratio non videtur intendere ſacrificium

ficium Miſſæ prout eſt impetratorium: vnde patet quòd iuxta diuerſitatem intẽtionũ ob quas peti ſolent Miſſæ reperiatur ſeparatio vnius fructus ſacrificij ab alio prout exigit neceſſitas, ad quam ſacrificium requiritur. his ſuppoſitis.

60 Prima ſententia negat poſſe Sacerdotẽ accipere duplex ſtipendium pro eadem miſſa à diſtinctis perſonis, & ſatisfacere ſuæ obligationi applicando vni fructum impetratoriũ, & alteri fructum ſatisfactorium eiuſdem miſſæ: ita Diana part.6.tract. 9. reſolut.9. citans Nauarrũ de reſtitut.lib.2.cap.2.dub.6.nu.243. Bonacinam de Sacramẽtis diſp. 4.quęſt.vlt.punt.8.num.15.Poſſeuinum de off. curat. cap. 2. quæſt. 7. num. 25. quibus addo Pellizarium vbi ſupra nu.30.Lezanam tom.4.ſumm.regul.verb. Miſſa nu.21.Patrem Thomam Tamburinum opuſc.3. de ſacrificio Miſſę lib.3.cap. 1. num.43. D. Ioannem Angelum Boſſium tom.1.de conſc.part.1. titul. 1. §.25. à numer. 395. Caſtropalaum part.4. tractatu 22.diſput. vnica punt. 14. num. 5. Leandrum à Sanctiſſimo Sacramento tom.2. tract. diſput.4.quęſt. 11.

61 Probatur 1. hęc ſententia: quia, qui dat ſtipendiũ pro miſſa cenſetur velle tã impetratoriũ, quam ſatisfactorium fructum; nã interrogatus; vtrumq; vellet, & ſtipendium pro vtroque eſt ſufficiens: ergo Sacerdos iniuſtè accipit ſi integrum fructum illi nõ confert. Secundo probatur; quia Sacra Congregatio in decretis de celebratione Miſſarum expreſsè præcipit, vt Sacerdotes abſolutè tot miſſas celebrẽt; quot ad rationem attributę eleemoſynæ præſcriptæ fuerint: & cum generaliter loquantur generalitèr debent intelligi: ergo ſtante prędicto ſacrę Congregationis Decreto non poteſt Sacerdos etiam in caſu propoſito duplex ſtipendium accipere à diuerſis perſonis pro applicatione eiuſdem Miſſæ.

62 Tertio probatur: nam ſi erogans ſtipẽdium iuſtum pro miſſæ celebratione, pacto: ſeu contractu expreſſo conueniret, & diceret, do tibi hoc ſtipendium ſub conditione; quod mihi: vel tali, aut talibus animabus purgatorij ſolùm ſacrificium applices, & non applices alteri, vtendo opinione aſſerente ſacrificium pro multis applicatum prodeſſe tantum ſingulis: quantum vni ſi pro illo ſolo celebretur. Tunc certò omnes fatebuntur oriri obligationem iuſtitię applicandi ſacrificium tãtùm elargienti eleemoſynam, aut ei, pro quo elargitur; atqui tale pactum: ſeù talis contractus ſemper tacitè interuenit, quia, qui exhibens ſtipendium iuſtum petit Miſſam pro ſe, vel pro amico viuo: vel defuncto intendit habere totalem miſſam, & vult ſibi: vel amico applicari integrum, & totalem fructum ſacrificij ſatisfactionis videlicet, & impetrationis, & non vnum tantùm ergo Sacerdos tenetur vtrumque Miſsæ fructum pro dante ſtipendium applicare, & ſi secùs fecerit peccabit contra iuſtitiam, & contra charitatem, contra iuſtitiam quidem: quia defraudat danti eleemoſynam, vel ei pro quo tenetur miſſam applicare in re graui ſpirituali: contra charitatem verò: quia, vt docet Fraxinellus de Sacerdotum

Digitized by Google

obligationibus ſect. 4. concl. 3. nu. 1. verſ. conſilio demus quem refert Boſſius vbi ſupra nu. 398. facere iniuſtum: ſeù contra iuſtitiam eſt alteri iniuriam, aut nocumentum facere: quælibet autem iniuria, & quodcumque nocumentum alteri illatũ charitati repugnat, & ſi ſit graue inducit culpam mortalem contra charitatem; & præſertim Sacerdos multis applicans ſacrificium peccabit grauiter cõtra charitatem applicando fructum ſatisfactorium pro vna perſona, & impetratorium pro altera, etiam ſi habeat opinionẽ probabilem, quod licet facere hoc.

63 Nec valet ſi dicas ex dictis: in probatione precedenti ſequi habentem opinionem, aliquid eſſe reſtituendum Petro, teneri reſtitutionem facere, quantumuis oppoſitam opinionem aſſerentem non eſſe reſtituendum, ſentiat eſſe probabilem, quia certum eſt ex vna non facta reſtitutione damnum irrogari Petro, & ex opinione probabili aſſerente non eſſe reſtituendum, habetur ſolùm probabiliter damnum non inferri: ac proindè ſequendo hanc opinionem probabilem exponit ſe periculo non reſtituendi id; quod verè ex iuſtitia debitum eſt Petro, & conſequenter peccabit contra iuſtitiam, & charitatem; atqui hoc non eſt dicendum cum ſufficiat opinio probabilis ad hoc, vt non teneatur ille reſtitutionem facere Petro: nec ſe ſpoliari à poſſeſſione rei, quam poſſidet vt ſuam, in opinione probabili; vt nos ſuperius diximus reſolut. prima huius tractatus in alio ſimili caſu: ergo Sacerdos habens opinionem probabilem: quòd poteſt accipere duo ſtipendia à diuerſis perſonis pro vna eadem Miſſa, & quod applicando vni fructum Miſſæ impetratorium, & alteri fructum eiuſdem miſſæ ſatisfactorium vtrique obligationi ſatisfacit non peccabit mortaliter, nec contra iuſtitiam: nec contra charitatem: & conſequenter non tenebitur aliquam reſtitutionem facere alicui ex illis perſonis, à quibus ſtipendia accepit pro Miſſæ celebratione. Hoc inquam non videtur ſequi: nam reſpondet Boſſius vbi ſupra num. 399. ad hanc replicam ex Vaſquez prima ſecundæ diſput. 63. num. 14. in ſimili, de Doctore, ſeu Confeſſario conſulto circa reſtitutionem faciendam quarum ſunt opiniones probabiles, quarum vna aſſerit eſſe obligationem reſtituendi, altera negat: ſicut enim Doctor in tali caſu poteſt reſpondere, & iuxta opinionem obligantem, & iuxta opinionem non obligantem pro vt ſibi libuerit, quia non tenetur potiùs proſpicere poſſidenti, ſeu reſtituenti: quam alteri: ſeù ei, cui facienda eſſet reſtitutio, ita etiam debitor non tenetur ex iuſtitia: vel charitate reſtituere, ſed poteſt non reſtituere iuxta opinionẽ probabilem, deobligantem: quia non magis obligatur proſpicere bono Petri, quam bono proprio. Quare licèt non reſtituendo exponat ſe periculo inferendi damnum Petro, reſtituendo, tamen exponit ſe periculo irrogandi ſibi, vel pauperibus, ſi opinio probabilis cẽſeret illis: aut alteri perſonæ eſſe reſtituendam rem, quotiès autem ex amplexu ſententiæ,

Digitized by Google

ex qua alicui prouenit commo-
dum, vel damnum præcauetur
æquale: vel propè ſimile dam-
num operanti iuxta illam ſentẽ-
tiam vel alij tertiæ perſonæ, nul-
la adeſt obligatio ex charitate
ſequendi illam ſententiam reli-
cta oppoſita opinione probabi-
li: eò quòd cum notabili detri-
mento noſtro non conſtringa-
mur ex charitate aliorum bona
proſpicere; in caſu autem præ-
ſenti Sacerdos poſt acceptum
iuſtum ſtipendium pro miſſæ
celebratione, & ſacrificij appli-
catione ex iuſtitia erogãti elee-
moſynam, vel ei pro quo ero-
gat, tenetur proſpicere, & pro-
curare ſua applicatione integrũ
fructum ſacrificij, qui competit
elargienti eleemoſynam ex ipſo
ſacrificio, & conſequenter te-
netur ex iuſtitia, & ex charitate
eligere viam certam relicta pro-
babili dubia, & incerta: ſicut
etiam Miniſter cõferens Sacra-
menta tenetur próſpicere bono
ſpirituali ſuſcipientis: & ita ad-
miniſtrare iuxta viam certam
cum poteſt.

64 Secunda ſententia affirmat
poſſe Sacerdotem duplicatum
ſtipendium accipere pro vna ea-
dem miſſa à diſtinctis perſonis,
applicando vni fructum Miſſæ
impetratorium v. g. dicendo
miſſam de Spiritu ſancto: vel de
Beata Virgine, & applicãdo vni
illã miſſam ad aliquod beneficiũ
à Deo impetrandum, alteri verò
applicãdo eamdẽ miſſam quoad
fructum ſatisfactorium in ſatiſ-
factionem peccatorum alicuius
defuncti, vel viuentis. Ita Phi-
libertus Marchinus de Sacram.
ord. tract. 3. p. 2. cap. 16. nu. 17.
vbi alios viros doctos ſuppreſſo
nomine refert nu. 16. Probatur
primo ex ſententia à Marchi-
no: quia iſti duo fructus impe-
trationis, & ſatisfactionis ſunt
ſeparabiles, & realiter diſtincti:
ergo licebit Sacerdoti ſe obli-
gari ad vnum, & non ad alium:
ergo dum affert impetrationẽ
pro vno, & ſatisfactionem pro
alio poterit duo ſtipendia acci-
pere. Antecedens concedunt
authores oppoſitæ ſententiæ, &
prima conſequentia ex antece-
denti apertè ſequitur. Secũdam
verò in qua eſt difficultas pro-
bat Marchinus: quia poteſt cõ-
tingere, & multoties de facto
contingit, vt duæ perſonæ pe-
tant eidem Sacerdoti, vt pro eis
vnam miſſam celebret, & vna
petat, vt celebret miſſam pro
Defuncto, & alia, vt illam miſ-
ſam celebret pro ſalute alicuius
infirmi; atqui prima petit tan-
tum fructum miſſæ ſatisfactoriũ
cum anima in purgatorio exi-
ſtens non ſit capax fructus im-
petratorij: alia verò ſolum pe-
tit impetrationem, & non ſatiſ-
factionem: ergo vtrique obliga-
tioni ſatisfaciet Sacerdos appli-
cando vni perſonæ fructum miſ-
ſæ impetratorium, & alteri ſa-
tisfactorium ex accepto ab eis
ſtipendio.

65 Secundo probatur: quia ſi
Sacerdos teneretur vni perſonę
vtrumque fructum miſſæ ſcilicèt
impetratorium, & ſatisfactoriũ
applicare: vel teneretur ex na-
tura ſacrificij id poſtulantis: vel
ex pacto, & contractu inter ip-
ſum, & dantem ſtipendium;
atqui ex nullo ex his capitibus
tenetur Sacerdos vni perſonæ
vtrumque dictum fructum ap-
plicare: ergo poterit applicare
vni perſonæ vnum miſſæ fructũ,
ſcilicet: impetratorium, & alte-
ri alium nempè ſatisfactorium,
& pro dictis applicationibus ſu-
mere diuerſa ſtipendia. Maior
videtur certa: nam non eſt aſſi-

gnabilis alia ratio ob quam teneatur Sacerdos vni perſonæ tantùm vtrumque miſſæ applicare fructum. Minor autem quoad primam partem probatur: quia illi duo fructus ſunt diſtincti realiter, & de facto ſeparantur: vbi miſſa offertur pro viuo exiſtenti in peccato mortali, cui poteſt miſſa prodeſſe ſolùm quoad impetrationem non verò quoad ſatisfactionem: ergo ex primo capite non tenetur vtrumque miſſæ fructum vni perſonę ſolùm applicare. Quoad ſecundam verò partem etiam probatur eadem minor, ſcilicèt, quod Sacerdos non teneatur ex pacto, ſeu contractu: quia neque Sacerdos intendit ſe obligare ad applicãdum binos fructus: neq; miſſam petens Sacerdotem ad vtrumque applicandum effectũ videtur obligare; cum id non expræſſerit. Ergo non tenetur Sacerdos vtrumque miſſæ applicare fructum ex contractu, aut pacto.

66 Tertiò probatur: quia vt docent etiam authores oppoſitæ ſententiæ, ſi quis expreſſe conſentiat velle ſolùm vnum miſſæ fructum, ſcilicet impetratoriũ: & hoc contentus tribuat Sacerdoti ſtipẽdium, Sacerdos poteſt certè ab alio accipere aliud ſtipendium pro applicatione alterius fructus, nempe ſatisfactorij ſi hic qui ſtipendium tribuit etiam conſentiat, & ſit contentus applicatione prędicti fructus miſſæ pro ſtipendio ab ipſo dato Sacerdoti: quia volenti, & conſentienti nulla fit iniuria: ergo etiam quando vnus abſolutè nihil explicando petit à Sacerdote vnam miſſam votiuã v. g. Beatiſſimæ Virginis ad aliquod beneficium impetrandum nempè ſalutẽ filij; & alius ſimiliter petit aliã miſſam pro aliqua anima exiſtente in purgatorio poterit Sacerdos licitè accipere ab his ſtipendia diſtincta, & vtrique obligationi ſatisfacere applicando vni miſſam quoad impetrationem, & alteri quoad ſatisfactionem eiuſdem miſsæ. Probatur conſequentia: quia quando ex verbis, aut circumſtantijs colligi poteſt poſtulantem miſſam non poſtulare niſi pro determinato aliquo miſſæ fructu, tunc Sacerdos promittẽs illam miſſam non tenetur applicare dictam miſſam niſi iuxta intentionem poſtulantis; atqui ille, qui petit abſolutè miſſam pro ſalute v. g. filij: aut alicuius infirmi nihil aliud explicando; ex illis verbis rectè colligitur ſolum miſſæ fructum impetratorium velle: & ſimiliter qui petit abſolute miſſam pro aliquo defũcto nihil aliud explicando; rectè etiam colligitur ipſum ſolum velle fructum miſſæ ſatisfactorium: ergo bene poteſt Sacerdos pro his diſtinctis applicationibus eiuſdem miſſæ diſtincta ſtipendia à diuerſis perſonis accipere. Minor probatur ex l. quidquid abſtringẽdę ff. de ver. obl. vbi ſic dicitur: quidquid abſtringẽdæ obligationis cauſa dictum eſt id niſi palàm verbis exprimatur, verbis omiſſum eſſe intelligendum eſt: aut certè ſecundum promiſſorem interpræ tatur; quia ſtipulatori liberum fuit verba latè concipere, ergo &c.

67 Dico 1. Sacerdos non poteſt licitè ſimpliciter, & abſolutè loquendo diſtincta ſtipendia à diuerſis perſonis accipere pro vna eadem miſſa: neque vtrique obligationi ſatisfacere applicãdo pro vna ex illis perſonis fructum miſsæ impetratorium, & pro

pro alia fructum ſatisfactorium eiuſdem miſsæ. Quæ concluſio ſatis probata manet argumentis factis pro prima ſententia: & deinde illam probo: quia Sacerdos tenetur ex iuſtitia applicare miſsæ fructum competentem danti illi ſtipendium ſecundum, ſeù iuſtam intentionem tam explicitam, quam implicitã dantis illi tale ſtipendium; atqui tribuens ſtipendium ſemper vult ſibi applicari vtrumque Miſsæ fructum; tam impetratorium: quam ſatisfactorium: licèt hoc non explicet ſemper explicitè: ſed tantùm vnum explicitè, & alterum implicitè ergo numquã licebit Sacerdoti duplicatũ ſtipendium accipere pro vna eadẽ miſsa, etiam ſi vni perſonæ applicet fructum miſsæ impetratorium: & alteri ſatisfactorium. Maior eſt certa, & minor conſtat, ex communi vſu fidelium dantium eleemoſynam pro miſſis celebrandis: nam quando aliquis tribuit eleemoſynam Sacerdoti, vt celebret vnam miſsã v. g. Beatiſſimæ Virginis ad impetrandam ſalutem filij: vel ad aliud beneficium a Deo obtinẽdum, explicitè petit fructum miſsæ impetratorium, & implicitè ſatisfactorium pro ſuis peccatis, aut pro peccatis filij; ad cuius ſalutem obtinendam miſſam petijt: & ſimiliter, qui petit celebrari miſsam pro aliquo defũcto explicitè petit fructum ſatisfactorium applicandũ pro defuncto, & implicitè petit impetratorium pro ſeipſo: nam ſi dictis elargientibus eleemoſynã pro dictis miſſis celebrandis interrogaretur vtrũ vellẽt vtrũq; fructum miſsę ſibi applicari, & hanc eſse ſuam intentionem, certè & abſquè dubio affirmatiuè reſponderẽt, & nullus diceret ſe eſse contentum cum applicatione vnius fructus Miſsæ tantum, & quod Sacerdos alterum miſsæ fructum applicet pro alia perſona accipiendo ab illa ſtipendium: ergo ſemper petens miſsam pro ſua intentione celebrari vtrumque fructum miſsę petit, licèt non ſemper vtrumque explicet. Ergo cum Sacerdos teneatur ex iuſtitia applicare fructum miſsę iuxta intentionem tàm explicitam, quam implicitam tribuentis illi eleemoſynã pro tali miſsæ celebratione non poterit licitè vni perſonæ applicare fructũ miſsæ impetratorium, & alteri ſatisfactorium pro diſtinctis ſtipendijs ab eis acceptis: imò ſi hoc faciat peccaret mortalitèr, & ad reſtitutionem teneretur, cum defraudet in re graui ſpirituali vnicuiq; ex illis perſonis à quibus accepit eleemoſynam denegando vnicuique vnum miſsæ fructum illi debitum ex iuſtitia ratione ſtipendij accepti pro miſsę celebratione. Deindè quia prohibitum eſt à Sacra Congregatione Concilij in Decreto de Celebratione miſsar. accipere duplicatum ſtipendium quantũuis exiguum pro vna eadem miſsa, vt conſtat ex illis verbis, tot miſsas celebrent quot ad rationẽ attributę eleemoſynę præſcriptæ fuerint: ita vt alioquin ij, ad quos pertinent ſuæ obligationi non ſatisfaciant: quin imò grauiter peccent, & ad reſtitutionem teneantur; ergo &c.

68 Dico ſecundo. Si elargientes eleemoſinam pro miſsis celebrãdis vnus petat miſsam ad obtinendum aliquod beneficium à Deo, aut ſanitatem alicuius infirmi, & alius petat miſsam pro liberatione alicuius animæ è pur-

purgatorij pœnis de conſenſu vtriuſque poteſt licitè, & validè Sacerdos vtrique obligationi ſatisfacere celebrando vnam miſsam applicando pro intententione vnius fructum miſsæ impetratorium, & pro alio fructum ſatisfactorium eiuſdem miſsę. Hęc concluſio de ſe eſt manifeſta: nam volenti, & conſentienti nulla fit iniuria: ergo de conſenſu vtriuſque partis poterit Sacerdos licitè, & abſq; obligatione reſtitutionis pro vna miſsa duplicatum ſtipendiũ accipere applicando vni fructũ miſsę impetratorium, & alteri fructum ſatisfactorium eiuſdem miſsę: ita tenet Bordonus to. 1. conſ. regul. reſol. 25. de celebr. miſs. nu. 18. & in hoc ſenſu vera eſt ſecunda ſententia.

69 Ad primum argumentum ſecundę ſententię reſpondetur concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequens; licebit Sacerdoti ſe obligari ad vnum fructum miſsę, & non ad alium de conſenſu, & voluntate elargientis eleemoſynam pro miſsę celebratione concedo conſequentiam. Abſolutè, et abſque eius conſenſu, nego conſequentiam: nam tribuens eleemoſynã pro miſsa habet ius ad vtrumq; miſsę fructum ſcilicèt impetratorium, et ſatisfactorium, et vterque illi debetur ratione ſtipendij dati, et vtrumq; vult ſibi applicari in ſenſu dicto in 1. concl. et ita non licet Sacerdoti ſe obligare ad vnum miſsę fructum, et non ad alium abſque ſcientia, et conſenſu explicito tribuentis illi eleemoſynam pro illius miſsę celebratione: quare neganda eſt ſecũda conſequẽtia. Ad cuius probationem reſpondeo, omittendo maiorem, et negando minorem: nam vt diximus in prima concluſione tribuens eleemoſynam ſemper intelligitur velle vtrumque miſsę fructum modo in dicta concluſione explicato, et quamuis anima in purgatorio exiſtens non ſit capax fructus miſsę impetratorij, ſed ſatisfactorij, dumtaxat, intentio tribuentis eleemoſynã intelligitur eſse quod pro anima defuncti applicetur fructus miſsę ſatisfactorius, et pro ipſo dante eleemoſynam impetratorius quod conſtat, vt dixi ex vſu fidelium.

70 Ad ſecundum reſpondetur concedendo maiorem, et negãdo minorem quoad ſecundam partẽ. Et ad eius probationem dico: quod Sacerdos ſuppoſito pacto de celebranda miſsa pro Petro v.g. ex accepto ſtipendio tenetur ſe obligare ad applicandos binos fructus miſsę: nam hic interuenit contractus do, vt facias, et cum intentio dantis dictam eleemoſynam pro miſsa ſit vt vtrumque miſsę fructum illi applicet Sacerdos iuxta ſui intentionem modo in prima concluſione explicato; hinc eſt, quod non poſſit Sacerdos aliter in conſcientia facere, alias peccaret mortalitèr, et teneretur ad reſtitutionem, vt in eadem prima concluſione diximus.

71 Ad tertium reſpondetur concedendo antecedens, et negando conſequẽtiam. Ad cuius probationem reſpondeo: quod licet ex verbis dantis eleemoſynam pro Miſſa celebranda pro ſalute filij v. g. non colligatur explicitè quod petat fructum illius Miſsę ſatisfactorium, ſed ſolùm impetratorium: colligitur tamen implicitè, vt in dicta prima concluſione diximus, et ita tenetur Sacerdos vtrumque miſsę fructũ pro illo applicare:

et

Digitized by Google

& ſimiliter quando aliquis miſſam petit pro aliquo defuncto propter eamdem rationem, falſa eſt minor. Lex autem illa, quæ adducitur in probationem minoris locum habet, quando poteſt latè interpretari voluntas alicuius teſtatoris in caſu, quo tenebatur aliquid explicare: vel aliquam circumſtantiam apponere, qua manifeſtaretur eius voluntas obligatoria alicuius oneris vt v. g. quando Teſtator fundat Cappellaniam cũ obligatione celebrandi miſſam diebus feſtis in tali loco determinato, prima hora diei vt pauperes commodè poſſent miſſam audire, & non explicat, quòd Cappellanus teneatur miſſam applicare pro anima ipſius fundatoris aut ſuorum defunctorũ, in hoc enim caſu intelliguntur, & locum habent illa verba legis ſcilicet, quidquid abſtringendi obligationis cauſa dictum eſt, id niſi palàm verbis exprimatur, omiſſum eſſe intelligendũ eſt, aut certè ſecundum promiſſorem interpretatur: quia ſtipulatori liberum fuit latè verba concipere: non autem in noſtro caſu, vbi clarè conſtat de voluntate ſaltem implicita dantis eleemoſynam pro miſſę celebratione ex communi vſu fidelium, vt in concl. 1. diximus.

RESOLVTIO QVARTA.

Vtrum Sacerdos obligatus quotidiè celebrare pro aliqua determinata perſona, poſſit tuta conſcientia ſemel in hebdomada pro alio celebrare; & accipere nouum ſtipendium.

72 IN hac reſolutione non loquimur de Sacerdote obligato quotidie celebrare in aliquo loco determinato, vt accidit, quando in fundatione dicitur volo quotidiè miſſam celebrari in tali Eccleſia, vel in tali Cappella: quia tunc cum nullum habeatur impedimẽtum ex parte loci ratione cuius Sacerdos liberetur ab onere quotidiè celebrandi, tenetur Sacerdos quotidiè celebrare abſq; vlla intermiſſione: vel ſaltem ſupplere per alium. Sed loquimur quando inſtitutio ordinatur ad perſonam fundantem dictam Cappellaniam, videlicèt cum dicitur in dicta fundatione volo, vt Sacerdos electus ad hanc Cappellaniã quotidiè celebret pro anima mea, & meorum defunctorũ, in hoc igitur caſu inquiritur, an Sacerdos ita obligatus quotidie celebrare, poſſit tuta conſcientia ſemel in hebdomada pro alio celebrare, & accipere ſtipendium.

73 Pro reſolutione huius difficultatis ſuppono ex communi Doctorum ſententia Sacerdotem obligatum quotidiè miſſam celebrare, poſſe ex cauſa maioris honeſtatis, & deuotionis ſemel in hebdomada miſſam omittere vt colligitur ex cap. ſignif. de prę̨b. ita Lezana tom. 4. ſumm. regul. verb. miſſ. nu. 42. vbi citat Peyrinum, & alios. Fraxinellus de obl. Sacer. ſect. 4. §. 1. Zanard. in direct. Theologor. part. 1. de ſacrif. Miſſ. cap. 13. Bonacina de Sacr. diſp. 4. quęſt. vlt. pun. 7. §. 2. n. 16. & 17. quos citat & ſequitur Diana part. 2. tract. 14. de celebr. miſſ. reſol. 28. D. Marcus Vidal. in arca vitali tract. de iuſt. inquiſitione prima nu. 1. & ratio eſt, quam tradit Suarez tom. 3. in tertiam part. diſput. 86. ſect. 1. verbo de beneficijs in fine, quia obligatio quotidianæ miſſę impoſita Sacerdoti eſt intelligenda

ſalua

Digitized by Google

ſalua decentia, & honeſtate: aliter eſſet obligatio iniuncta ad rem illicitam: ergo Sacerdos obligatus quotidiè celebrare, poterit licitè vnam miſſam in hebdomada omittere, patet cõſequentia ex doctrina tradita à Rodoriquez tom.1.queſt.regul queſt.43. art. 10. nam obligatio quecũq; ſit, qua, quis quotidiè ſit obligatus celebrare debet interpretari iuxta terminos iuris: ſcilicèt quod teneatur Sacerdos quanto frequentius poterit, ſalua debita reuerentia,ac deuotione ad Sacramentum, vt habetur in dict. cap. ſignif. de preb. ergo cum ibi loquatur generaliter, & vniuerſaliter de quacumque obligatione, debemus etiam nos in vniuerſali illã interpretari, & conſequenter aſſerere Sacerdotem obligatum ad quotidianam Miſſam, poſſe licitè vnã miſſã in hebdomada omittere.

74 Tota igitur difficultas eſt. An ſi Sacerdos obligatus quotidiè celebrare, voluerit illam Miſſã, quã in hebdomada licitè omittere poteſt ob reuerentiam, & decentiam honeſtatemque debitam ad Sacramentũ celebrare, & nõ omittere, cum non teneatur ad illam omittẽdam, quamvis poſſit illam licitè omittere, vtrum in tali caſu poſſit talis Sacerdos dictam miſſã pro altero applicare,& nouum ſtipendium accipere,affirmatiuè Reſpondet D. Marcus Vidal. vbi ſupra nu. 12. concl. & probat. 1. quia Sacerdos quotidie obligatus celebrare poteſt ſemel in hebdomada non celebrare, vt ſupra diximus cum communi Doctorum ſententia: ergo. applicatio illius ſacrificij nemini videtur obligata: ergo erit in poteſtate Sacerdotis applicare illud ſacrificium ad ſuum beneplacitum, & conſequenter poterit etiã accipere nouum ſtipendium pro tali applicatione,ſicuti poteſt illud accipere quilibet alius Sacerdos pro libera, & non obligata applicatione ſacrificij.

75 Secundo probat nu. 14. nam tàm ex iure: quam ex conſuetudine, bona, pia, & religioſa; poteſt quilibet Sacerdos ſemel in hebdomada omittere vnam Miſſam: etiam ſi ſit Sacerdos Religioſus, itavt eius ſuperior non valeat ipſum obligare ad quotidiè celebrandum; vt ex praxi conſtat; atqui Sacerdos Religioſus celebrãdo in tali die poteſt applicare illud ſacrificiũ ad ſuum beneplacitum, vt practicatur in omnibus religionibus: ergo idem dicendum eſt de Sacerdote obligato ad quotidie celebrandum, nempè quod poſſit applicare illud ſacrificium ſecundùm alterius intentionem ac etiam pro tali applicatione accipere nouum ſtipendium.

76 Tertio probat num. 15. quia hęc obligatio ad quotidie celebrandùm ſecundum determinatæ perſonę intentionem, eſt intelligenda moralitèr, prudẽtèr, & regularitèr, aliàs eſset onus intolerabile, vt ſentit Suarez loco ſuperius citato, ſed ob fugiendum tale inconueniens, debemus expreſsè aſſèrere,& affirmare poſſe liberè Sacerdotem pro vna vice in hebdomada, applicare miſsam ſecundũ alterius intentionem, nam alias ſemper eſset onus intolerabile ergo etiã aſserere debemus, quod poſſit pro illa applicatione nouum ſtipendium accipere. Confirmatur quia hæc obligatio ad quotidiè celebrandum ſecũdum alicuius determinatę perſonę intentionem cadit ſub pręcepto affirmatiuo:

Digitized by Google

tiuo: ergo obligat quidem ſemper, ſed non per ſemper, hoc eſt in pluribus diebus non verò in omnibus: ergo ſaltem pro vna vice in hebdomada poterit ad ſuũ beneplacitũ ꝑ alia celebrare, & accipere nouũ ſtipendiũ.

77 Quarto probat nu. 17. quia qui non tenetur aliquid alicui determinatæ perſonæ elargiri, poteſt tuta cõſcientia illud elargiri ad ſuum beneplacitum; id ex praxi clarè deducitur: ergo ſimiliter Sacerdos, qui non tenetur ſemel in hebdomada celebrare pro aliqua determinata perſona, poſito quod velit celebrare, poterit celebrare ad ſuũ beneplacitum, & accipere nouum ſtipendium. Confirmatur: nã vt affirmat Naldus, in ſumm. verb. miſſ. nu. 7. Diana tract. 14. ſupr. cit. de celebr. miſſ. reſol. 28. & Alfonſus de Leone tract. de iubil. p. 3. q. 20. nu. 22. poteſt ex aliqua vrgente neceſſitate Cappellanus per annum quater, aut pluries celebrare pro ſeipſo, vel ſibi valde coniuncto: id enim ei non denegaret Cappellaniæ inſtitutor, ſi de tali caſu interrogatus fuiſſet; ergo hoc idẽ poſſumus nos aſſerere de vna miſſa in hebdomada maximè, quia cognoſcere, & ſcire tenebatur Cappellaniæ fundator, Sacerdotem ſemel in hebdomada non teneri celebrare: ergo cũ poſſit pro aliquo alio ad ſuũ beneplacitũ celebrare, poterit accipere etiã nouũ ſtipẽdiũ ex eò quòd applicatio manet ipſi libera.

78 Vltimo probat n. 19. quia obligatio Teſtatoris nõ põt ſe extẽdere ad maius onus: quã ſit illud ad q̃ poſſit ſacerdos obligari, ſed ſacerdos nõ põt obligari ad quotidiè celebrãdũ ſine vlla vacãtia, ergo obligatio Teſtatoris nõ ſe extẽdit ad hoc onus, & per cõſequens erit liberum Sacerdoti pro vna vice in hebdomada celebrare ſecundum alterius intẽtionem ad ſuum beneplacitum, & pro applicationẽ ſacrificij nouum ſtipendium accipere.

79 Dicendum eſt cum omnium Doctorum ſententia quòd licèt valdè probabilis ſit ſententia aliquorum Doctorum aſſerentiũ poſſe Sacerdotem ad quotidiã miſſam celebrandam obligatum cauſa honeſtatis, & reuerentiæ erga Sacramentũ, omittere vnã miſſã in hebdomada, vt diximus in principio huius reſolutionis non tamen poſſe celebrare pro alio, & accipere nouum ſtipendium: ſed quando etiam in illa die vult ipſe celebrare, debet ſacrificium applicare ſecundum inſtitutum Cappellaniæ, & obligationis. Ita Riccius, Gauantus, Homobonus, Marchinus, Alfõſus de Leone, Campanil. Nauar. Fraxinell. quos citat, & ſequitur Diana par. 10. tract. 14. reſol. 37. Thomas Hurtado tract. 2. ſupra cit. cap. 4. reſol. 7. n. 104. Leand. tom. 2. tract. 8. diſp. 5. queſt. 18. Probatur primo hoc aſſertum: quia voluntas, & diſpoſitio Teſtatoris ſemper eſt interprætãda ſecundum conſuetudinem & ius cõmune, vt tradũt Menoch. conſil. 555. n. 8. Bald. l. ſi duo. De acquir. hæred. Bart. in l. vxor. §. Teſtam. de legatis 3. atqui mos conſuetus inſtituendi Cappellanias, habet onus applicandi ſacrificium fũdatori: ergo Sacerdos quotidiè obligatus ad celebrandam Miſſam, tenetur quotieſcumque celebrat, Miſſam pro fundatore applicare, & non pro alio, & niſi ita exprimatur, in dubio melior eſt conditio fundatoris; quam Cappellani: nam pro illo, & non pro iſto ſtat conſuetudo, & ius commu-

ne. Quare niſi vel conſuetudine præſcripta: vel verbis expreſſis cõtrarium exprimatur, ſemper pro illo eſt miſſa applicanda & nullo modo pro alio: ergo nõ poteſt Sacerdos aliud nouũ ſtipendium accipere pro dicta miſsa. Nec valet ſi dicas quod fũdator Cappellaniæ nõ potuit obligare Sacerdotem ad quotidie celebrandũ abſq; vlla vacantia, & ſic debuit habere ſcientiã, quòd poterat dictus Sacerdos vnã miſsã omittere in hebdoda ob honeſtatem, & reuerentiam erga Sacramentum: ergo dum non explicuit fundator in ipſa fundatione Cappellaniæ, quòd ſi Cappellanus ſemper abſque vacantia miſſam celebraret, ipſam applicare pro ipſo, & non pro alio, poterit licitè, & tuta cõſcientia dictus Sacerdos, qui quotidie eſt obligatus ad miſſam celebrandam, & poteſt vnam miſſam in hebdomada omittere, & ſi illã dicat pro altero applicare, & accipere nouum ſtipendium: ſicut poteſt Cappellanus obligatus diebus feſtiuis, celebrare certa hora determinata in aliqua determinata Eccleſia, adhoc vt pauperes poſſint ſacrum audire, & non omittere, nouum ſtipendium accipere pro dictis miſſis, illas alijs applicando, vt conſtat ex lege quidquid abſtringendæ de verb. oblig. quam retulimus reſolutione præcedenti ibi quidquid abſtringendæ &c. nã obligatio niſi palàm verbis exprimatur omiſſum eſſe intelligendum eſt &c. quia ſtipulatori liberum fuit verba latè concipere. Hoc inquam non valet: nam licet Sacerdos ſecundum opinionem probabilem, poſſit vnam miſsã omittere in hebdomada, sẽper quòd eſt obligatus quotidie celebrare, nec fundator poſſit illũ obligare ad quotidie celebrandum abſq; vlla vacantia, ne onus reddatur intolerabile, & propter alias rationes à nobis aſſignatas in principio huius reſolutionis, nihilominus non valet, poteſt Sacerdos obligatus ad quotidie celebrandum vnam miſſam in hebdomada omittere ratione honeſtatis, & reuerẽtiæ debitæ Sacramento: ergo ſi illã dicat poteſt pro alio illam applicare, & nouum ſtipendium accipere ꝑ dicta applicatione, latè interprætando voluntatem fundatoris, qui in fundatione non explicuit verbis expreſſis, quod ſi ſemper dictus Sacerdos celebraret, teneretur miſsã applicare pro ipſo, & non pro alio. Hæc autem conſequentia eſt omnino falſa, nec in ſui fauorem veniunt verba ex l. quidquid abſtringendæ de verb. obl. ſuperius relata: nam lex adducta loquitur de obligatione orta ex ſtipulatione, quæ vt dicitur §. inſtituta de verb. obl. requirit certam verborum formã iuxta, quam inducit obligationẽ; vt latè oſtendunt Antonius Gomez. tom. 2. var. cap. 9. Silueſter verbo pactum n. 2. & verbo ſtipulatio Sanchez lib. 1. de matr. diſp. 6. & 7. non verò de obligat. ortis ex alijs capitib. & quamuis probabilis ſit ſententia aliquorũ DD. aſſerentiũ, quòd dicta lex quidquid abſtr. de ver. obl. locũ habeat in fundatione Cappellaniæ, quando fundator, ſolũ dixit volo, vt Cappellanus celebret miſsã omnibus diebus feſtiuis in tali Eccleſia, & in tali determinata hora adhoc vt pauperes cõmodè poſſint audire ſacrum, vt diximus reſol. præced. reſpõdendi ad 3. argum. ſecũdæ ſententiæ: tamẽ probabilius eſt,

adhùc

Digitized by Google

adhuc in dicto caſu locum non habere: ſed quod dicta lex ſolũ loquitur de obligatione orta ex ſtipulatione, vt contra Philibertum Marchinum de Sacramento ordinis tractat.5.part.2. cap. 27. docet Pater Thomas Hurtado tom.1. reſolut. moral. tract.2.de obl. Sacerd. reſol.15. num. 135. & ſic ſemper quod in fundatione alicuius Cappellaniæ non exprimit fundator ſe talem Cappellaniam inſtituere ſolùm vt dicatur miſſa, & offeratur in tali Altari, & loco, & tempore, vt fideles poſſint habere commoditatem audiendi miſſam, & ſacrificio aſſiſtẽdi, & nihil aliud intendere, tenetur Cappellanus ſatisfactionem ſpecialem ſacrificij pro fũdatore applicare, nec poteſt aliud ſtipendium accipere pro applicando alteri ſacrificio.

80 Secundo probatur noſtrum aſſertum: quia Sacerdos non poteſt tuta conſcientia pro vna eadem miſſa duplicatum ſtipendium accipere, vt decreuit Sacra Congreg. Concilij in decr. de Celebr. Miſsar. ita vt ſi ſecus fecerit peccet mortalitèr, & ad reſtitutionem teneatur: atqui Sacerdos obligatus quotidie celebrare etiam ſuppoſita opinione probabili, quòd poſſit in hebdomada vnam Miſſam omittere; ſi illam celebrando poſſet accipere pro dicta Miſſa nouum ſtipendium illam alteri applicã-do, acciperet pro eadem miſſa duplex ſtipendium: ergo: nec poteſt illam alteri applicare; neque pro applicatione nouum ſtipendium accipere. Probo minorem: quia in tali caſu haberet Sacerdos vnum ſtipendium à fundatore Cappellaniæ illi applicatum, ſeù aſſignatum à fundatore pro celebratione illius miſſæ, & alterum acciperet ab illa perſona pro qua ſupponitur dictam miſſam applicare: ergo pro vna eadem miſſa acciperet duplex ſtipendium quòd illi nõ licet.

81 Ad hoc argumentum reſpondet D. Marcus Vidal vbi ſupra num.21. concedendo maiorem, & negando minorem: quia licèt poſſit Sacerdos accipere nouũ ſtipendium, non ex hoc valet inferri: ergo pro vno ſacrificio accipit duplex ſtipendium; nam vnum ſtipendium accipit titulo eleemoſynæ pro applicatione actualis ſacrificij, & aliud titulo iuſtitiæ ratione Cappellaniæ: vel obligationis celebrãdi ferè quotidiè pro determinata perſona; ſicuti euenit, quando datur Sacerdoti ſtipendium non pro applicatione ſacrificij, ſed pro cultu Eccleſiæ, vel commoditate populi; quia tunc Sacerdos tuta conſcientia poteſt alteram eleemoſynam accipere pro applicatione ſacrificij, vt docent Fraxinellus de oblig. Sacerd. ſect.4. concl.4. Homobonus de examine Eccleſiæ part. 1. tract.4. cap. 13. quæſt.12. Alfonſus de Leone tract. de Iubileo par.3. quæſt.20. num.12. pro hac ſententia citat etiam Vidal Patrem Antoninum Dianam par.2. tract. 14. de Celebr. miſs. reſol.80. falsò tamen: nam Pater Diana licèt in dicta reſol. referat opinionem Alfonſi de Leonis Fraxinelli, & aliorum, contrarium tamen reſoluit cum Gauanto in Commentarijs ad rubricam miſſalis tom.1. part. 3. tit.12. nu.5. Barboſa de poteſtate Epiſcopi alleg.24. num.10. contra Gauantum docentem oppoſitum; nam Sacra Congregatio in decreto de celebratione miſſarum prohibet tantùm Sacerdotibus, vt non poſſint pro

applicatione vnius ſacrificij accipere duplex ſtipendium, quòd etiam ego ipſe concedo; in præſenti tamen accipiens vnum ſtipendium pro labore externo: vel pro commoditate Populi habet applicationem ſacrificij liberam; & ideo poteſt illam applicare ad ſuum beneplacitũ & accipere nouum ſtipendium, & id ſacra Congregatio non prohibet, vt mihi dixerunt viri docti à me conſulti hæc D. Marcus Vidal dicto n. 12.

82 Sed hæc reſponſio potius eſt euaſio: quam ſolutio argumenti à nobis facti: tum quia falsò dixit in dicto caſu Sacerdotem non accipere duplex ſtipendiũ pro vna eadem Miſsa: nam Sacerdos ille, qui in tali caſu accipit eleemoſynam ab alia perſona à fundatore Cappellaniæ pro applicatione illius ſacrificij accepta eleemoſyna manet obligatus ex iuſtitia celebrandi ſacrificium illo die pro illa perſona, & non pro alia, ratione contractus do, vt facias, vt certum eſt apud omnes, & etiam accipit aliud ſtipendium titulo iuſtitiæ pro illa eadem miſſa ratione Cappellaniæ: ergo accipit pro eadem Miſſa duplex ſtipendium titulo iuſtitię nã fundator Cappellanię relinquit ſtipẽdiũ dicto Sacerdoti duplici onere, & cum onere quotidiè celebrandi: & cũ onere applicandi quotidiè miſſæ ſacrificium pro ipſo fundatore, & ſic quotieſcumq; celebrat miſſam tenetur ex iuſtitia miſſæ ſacrificium pro fundatore applicare: ergo ſi applicat pro alio miſſæ ſacrificium ex accepto ſtipendio facit contra iuſtitiam, & non ſatisfacit vtrique obligationi, vt declarauit Sacra Congregatio in decreto de celebratione miſsar. per hæc verba. Ad quartum reſpondetur Sacerdotes quibus diebus tenentur miſſas celebrare ratione beneficij, ſeu Cappellę, legati, aut ſalarij, ſi eleemoſynas pro alijs etiam miſſis celebrandis ſuſceperint non poſſe eadem miſſa vtrique obligationi ſatisfacere. In quibus verbis Sacra Congregatio abſolutè, & ſine vlla diſtinctione præcipit Sacerdotibus ne pro vna miſſa duplicatum ſtipẽdium accipiant. nec caſus in ſolutione reſponſionis allegatus à Patre Vidal aliquid facit: tum quia falſum eſt, & ad minus non tam probabile, quod Cappellanus obligatus celebrare in aliquo loco tali determinato tempore, vt fideles poſſint habere commoditatem audiendi miſſam, quod poſſit pro miſſa aliud ſtipendium accipere præter ſtipendium aſſignatum à fundatore dictæ Cappellaniæ, niſi contrarium expreſſis verbis exprimat fundator aſſerendo ſe talẽ Cappellaniam inſtituere ſolùm, vt miſſa dicatur, & offeratur in tali Altari, & loco, & tempore vt fideles poſſint commoditatem habere audiendi ſacrum, & ſacrificium aſſiſtendi, & nihil aliud intẽdere, vt ſupra diximus in prima probatione huius aſſerti cum Hurtado contra Marchinum, & dato quod fundator Cappellaniam inſtitueret hac intentione, & motiuo verbis expræſſis ſuam voluntatem declarando, caſus non eſt ad rem; quia tunc non teneretur Sacerdos celebrans miſsam in tali loco & hora determinata ad adimplendam voluntatem fundatoris miſſam pro illo applicare: nã ſtipendium taxatum ſolùm fuit pro labore, & pro mera præſentia, & non pro applicatione ſacrificij miſſæ ex voluntate explicata

plicata ab ipſo Teſtatore : & ſic remanet liber Sacerdos ad applicandam miſſam pro alia perſona, & ad recipiendum ſtipendium pro dicta applicatione, in quo caſu non accipit duplicatũ ſtipendium, pro vna eadem miſſa, ſed vnum tantùm, vt de ſe notum eſt. In noſtro autem caſu cum teneatur Sacerdos quotidiè ſacrificium applicare titulo iuſtitiæ pro intentione fundatoris, eò ipſo quòd celebret non eſt liberũ ei aliquo die pro alio celebrare : nec aliud ſtipendium poteſt accipere, & contrarium faciendo accipit duplex ſtipendium pro vna eadem miſſa debita titulo iuſtitiæ diſtinctis perſonis ratione diuerſorum ſtipẽdiorum ab ipſo Sacerdote acceptorum, quòd eſt expræſsè cõtra Decretum Sacræ Congregationis. Deindè, quia dato gratis quòd ſtando in opinione Marchini poſſit Sacerdos in caſu allegato in ſolutione argumenti accipere ſtipendium pro applicatione illius miſſæ, hoc nõ haberet locũ in noſtro caſu : nã in primis Sacerdos non tenetur applicare ſacrificium pro fundatore Cappellaniæ, cùm ipſe hoc non expreſſerit in dicta fũdatione, & liberum fuiſſet ei hoc explicare, & ſic Sacerdos remanet liber ad applicandum ſacrificium pro alio, & conſequẽter ad accipiendum ſtipẽdium pro dicta applicatione ſic interpretando voluntatem Teſtatoris ex l. illa quidquid abſtringendę de verb. obl. in quo caſu vnum tãtùm ſtipendium pro illa miſſa accipit : quod contrarium euenit in noſtro caſu, vt ſupradictum eſt.

83 Tertiò probatur noſtrum aſſertũ, quia ceſſante cauſa ceſſat etiam effectus l. general. C. de Epiſc. & Clericis; ergo ceſſante cauſa honeſtatis non celebrãdi quotidie, ceſſat etiam illa indulgentia non applicandi in illa die ſacrificium ſecundum intẽtionem Teſtatoris; atqui iſta cauſa honeſtatis ceſſat, dum Sacerdos vult celebrare etiam in illa die: ergo ceſsat etiam diſpẽſatio.

84 Ad hoc argumentum reſpondet Vidal, tunc ceſsante cauſa ceſsare effectum quando neceſſariò dependet à tali cauſa, quòd non euenit in tali caſu; nã quod Sacerdos poſſit ſemel in hebdomada non celebrare, non eſt principaliter cauſa honeſtatis; ſed quia non tenetur quotidiè pro alio celebrare, quoniam nõ valet arguere, quia poſsum aliquid facere : ergo teneor, vt patet; ſed tunc ſolùm debeo aliquid efficere quando teneor, & poſſum, vel per met ipſum, vel ſaltem per alium : deindè non debemus magis onerare, & obligare aliquem, quia elegit ſpontè quod eſt laudabilius, & perfectius per ſe loquendo, quàm ille, qui relinquit; ſed hoc eueniet, ſi Sacerdos celebrando in illa die; in qua poteſt omittere miſsam, eſset obligatus illam applicare ſecundùm intentionẽ teſtatoris, nam celebrando elegit quod eſt perfectius ſecundũ ſe, & magis meritorium apud Deum, quam non celebrando : ergo &c.

85 Sed hæc ſolutio nullius eſt roboris, falſo enim dicitur, & gratis aſſeritur, quod facultas, ſeù licentia, quam habet Sacerdos obligatus celebrandi quotidie ratione Cappellaniæ omittendi vnam miſsam in hebdomada non ſit ei conceſsa principaliter cauſa honeſtatis, & reuerentię debitę Sacramento :

nam

nam ratio principalis, & adęquata, in qua fũdãtur Doctores aſſerentes licere Sacerdoti, qui eſt obligatus ad quotidie celebrandum, omittere vnam miſsã in hebdomada eſt ob honeſtatẽ & reuerentiam debitam Sacramento: ergo ille effectus ſcilicèt non celebrare in tali die, & conſequenter non applicare ſacrificium tali in die pro fundatore Cappellaniæ dependet eſſentialiter ab illa cauſa: nempè à decentia, & honeſtate erga Sacramentum, & conſequẽter ceſſante illa, quia Sacerdos iudicat perfectius eſſe, & magis meritorium apud Deum celebrare in illa die quam omittere miſsę celebrationem, tenebitur abſque dubio dictus Sacerdos miſsam pro fundatore applicare, à quo ſtipendium pro illa accepit, & non pro alio. Et ita abſque fundamento aſſerit Vidal quòd cauſa principalis ob quam dictus Sacerdos poteſt vnam miſsam omittere in hebdomada eſt, quia non tenetur quotidie pro alio celebrare: hoc inquam apertiſſimè falſum eſt; quis enim vnquam dixit, aut ſomniauit, quod Sacerdos, qui liberè accepit Cappellaniã, & ſtipendium cum onere quotidie celebrandi pro ſuo fundatore, quod non teneatur quotidie pro illo celebrare? cum hoc ſit onus ipſius Cappellanię quod onus voluntariè accepit, & ad illud ſe obligauit Cappellanus, & licet in ſententia pia doctorum dictus Cappellanus poſſit tuta conſcientia ſemel in hebdomada non celebrare miſſam cauſa honeſtatis, & decentiæ erga Sacramentum, ex quo non bene arguitur. poteſt Sacerdos omittere vnam miſsam in hebdomada ratione honeſtatis, & decentię: ergo ſi illam non omittat eligendo, quod perfectius eſt, non tenebitur pro fundatore à quo quotidiè accipit ſtipendium quotidianæ miſſæ illam celebrare: ſed poteſt illã applicare pro alio. Hoc inquam non rectè infertur: nam exoneratio ab obligatione celebrandi in illo die cauſa honeſtatis, & decentię, non ſecum trahit voluntatem liberãm, & facultatem applicandi ſacrificium pro alio ſi in dicto die Sacerdos ille voluntariè celebret, cum ſemper ſi celebret celebrare teneatur, cum onere applicãdi miſsam pro fundatore ratione ſtipendij accepti ab ipſo pro celebratione miſsæ illius diei: & deinde, quia ſi liberum eſſet ei miſsam pro alio applicare, et pro applicatione nouum ſtipẽdium accipere, iàm pro vna eadem miſsa acciperet dupplicatum ſtipendium, quod eſt contra Decretum Sacræ Congregationis de Celebrat. miſsarum vt ſupra diximus, et conſequẽter illicitum. Et licet non valeat hæc argumentatio, poſſum aliquid facere, ergo teneor: ſed ſolum valeat debeo aliquid facere, et poſsum facere ergo teneor facere, vel per me ipsũ vel per alium: non tamen benè in ſui fauorem hoc adducit Vidal: nam ego nõ aſsero quod Sacerdos quotidie obligatus celebrare pro fundatore, dato quod poſſit cauſa honeſtatis, et reuerentiæ erga Sacramentum, et ad maiorem ſui deuotionem vnam miſsam in hebdomada omittere, quod teneatur illam omittere: nam hoc eſset arguere, poſsum facere ergo teneor facere, qui nõ eſt rectus modus arguendi, ſed arguo ſic: Sacerdos tenetur ex iuſtitia quotidiè

pro

pro aliqua perſona celebrare ex ſtipendio: ergo ſemper quãdo poteſt celebrare tenetur applicare ſacrificium pro dicta perſona: ergo quando actu celebrat debet celebrare pro illa perſona, illique ſacrificium applicare, & non licebit ei dictum ſacrificium alteri applicare, & pro applicatione ſtipendium accipere, qui modus arguendi non ſolùm legitimus: ſed formaliſſimus eſt. Fallitur certè Vidal in eo quòd ſupponit, nẽpè idem eſſe Sacerdotem obligatum quotidiè celebrare poſſe vnam miſſam in hebdomada omittere, ac poſſe liberè etiãſi celebret ſacrificiũ pro alio applicare, quòd falſum eſt præcipuè titulo iuſtitiæ, ratione ſtipendij accepti ab alia perſona à fundatore Cappellaniæ, vt ſupra probauimus.

86 Quartò probatur noſtrum aſſertum: quia hæc indulgentia conceſſa Sacerdoti obligato quotidiè celebrare pro aliqua determinata perſona, vt poſſit ſemel in hebdomada non celebrare ſecundum intentionem Teſtatoris, eſt priuilegium Eccleſiæ ob reuerentiam erga Sacramentum, & ob maiorem deuotionem *Sacerdotis* celebrantis: atqui huiuſmodi finis reuerentiæ erga Sacramentum tollitur, quando Sacerdos vult etiã in illa die celebrare: ergo etiam tollitur priuilegium, quod poſſit non celebrare ſecundum intentionem Teſtatoris: ergo celebrando etiam in illa die tenetur applicare ſacrificium ſecundum Teſtatoris intentionem.

87 Adhoc argumentum reſpondet Vidal. Primo quod finis totalis Eccleſiæ eſt reuerentia Sacramenti, eſt falſum: nam finis totalis eſt, tùm reuerentia Sacramenti, tum etiam ne onus intolerabile iniungatur Sacerdoti, quod onus intolerabile iniũgeretur Sacerdoti, ſi etiam in illa die in qua non tenetur celebrare, eſſet obligatus applicare ſacrificium ſecundum intẽtionem Teſtatoris, cum ergo nõ ceſſet finis totalis priuilegij Eccleſiæ, neque etiam ceſſare videtur quo conceditur, vt Sacerdos poſſit ſemel in hebdomada non applicare ſacrificium ſecundum Teſtatoris intentionem; ex eo quia iniungeretur Sacerdoti onus, quo priuaretur ſua libertate, cum numquam eſſet in ſua poteſtate applicare ſacrificium ad ſuum beneplacitum: quod eſſet onus intolerabile, & contra dictamen rationis.

88 Sed eius reſponſio non ſatisfacit: nam licèt concedamus, quod finis totalis, & adęquatus Eccleſiæ, ob quem Sacerdos obligatus quotidiè celebrare poſſit vnam miſsam in hebdomada omittere ſit reuerentia Sacramenti, & etiam ne onus intolerabile iniungatur Sacerdoti, obligando illum ad quotidianam miſſæ celebrationem abſque vlla vacãtia, ex quo non ſequitur niſi quod Sacerdos nõ ſit obligatus ad quotidiè celebrandum, abſque eo quod poſſit vna die in hebdomada omittere celebrationem, & illam omittendo deſinere applicare vnum miſsæ ſacrificium pro intentione fundatoris Cappellaniæ. Non autẽ ſequitur id quod malè infert Vidal, quod Eccleſia ob dictum finem concedat priuilegium Sacerdoti obligato quotidie celebrandi, vt Sacerdos poſſit ſemel in hebdomada non applicare ſacrificiũ ſecũdũ Teſtatoris intentionem etiamſi

in

in illa die celebret. Aliud enim eſt, quod Sacerdos nõ applicet ſacrificiũ vno die in hebdomada ſecundum intentionem Teſtatoris ex eo, quòd habeat priuilegium omittendi celebrationem ſacrificij vno die in hebdomada, aliud enim, quod habeat priuilegium ab Eccleſia non applicandi vna vice in hebdomada pro intentione Teſtatoris: ſeù fundatoris Cappellaniæ: primum eſt verum: nam eò ipſo, quod Sacerdos vtatur illo priuilegio non celebrandi ſacrificium vna vice in hebdomada, neceſſariò ſequitur, quòd non teneatur illa die applicare ſacrificium ſecundum intentionem Teſtatoris; cum in illa die non celebret tuta conſcientia ratione dictæ indulgentię illi conceſſæ; nec teneatur facere celebrari ſacrificium per alium ad intentionem Teſtatoris: nã hoc onus eſſet intolerabile. ſecũdum autem falſum eſt: neque ex eò quod eò ipſo, quod Sacerdos celebret in illa die in qua poterat nõ celebrare, teneatur offerre ſacrificium ſecundum intẽtionem fundatoris Cappellanię, iniungeretur Sacerdoti onus, quo priuaretur ſua libertate ex eo, quod nunquam eſſet in ſua poteſtate applicare ad ſuum beneplacitum: quia ſpontè, & liberè iſte ſacerdos, dum vult etiam in illa die celebrare: aſſumit huiuſmodi onus, & ſic non eſt intolerabile.

59 Nec valet ſi dicas quod licèt ſacerdos liberè, & ſponte in tali caſu aſſumat onus celebrandi, non tamen aſſumit onus applicandi ſacrificium pro illa perſona pro qua tenetur quotidie celebrare: quia aliàs eſſet onus intolerabile. nam licèt accipiat ſtipendium pro qualibet die hebdomadæ; attamen illud accipit ſub hac tacita facultate, vt non teneatur quotidie applicare ſacrificium ſecundum Teſtatoris intentionem: ergo poterit illud applicare ad ſuum beneplacitum ſemel in hebdomada, & accipere nouum ſtipendium tuta conſciẽtia pro dicta ſacrificij applicatione. Hoc inquam non valet: nam eò ipſo quod ſacerdos accipiat à fundatore ſtipẽdium pro qualibet die hebdomadę tenebitur ex iuſtitia quotidianum ſacrificiũ pro intentione fundatoris applicare, eò ipſo quòd quotidie celebret, non vtendo liberè indulgentia, quam habet in opinione probabili omittendi celebrationem miſſę vna vice in hebdomada. Nec datur fundamentum ſolidum ad aſſerendũ id quod affirmat Vidal vbi ſup. num. 26. nempè quod licet Sacerdos accipiat ſtipendium pro quolibet die hebdomadę illud accipit ſub hac tacita facultate, vt non teneatur quotidiè applicare ſacrificium ſecundum Teſtatoris intentionem; etiam ſi quotidiè celebret, nam hoc non poteſt colligi, nec ex voluntate explicita, vel implicita Teſtatoris, ſeù fundatoris Cappellanię: neque ex indulgentia ſacerdoti conceſſa, vt poſſit tuta conſciẽtia omittere vnam miſſam in hebdomada: ergo nullum eſt ſolidum fundamentum ad aſſerendum poſſe ſacerdotem obligatum quotidie celebrare, applicare vnam miſſam in hebdomada ſacrificium pro alia perſona diſtincta ab ipſo Teſtatore, & pro applicatione accipere nouum ſtipẽdium diſtinctum ab eo, quod accipit à Teſtatore pro celebratione miſſę illius diei. Antecedens

dens, quoad primam partem eſt per ſe manifeſtum: quia voluntas Teſtatoris tam explicita: quam implicita eſt vt quotidiè vna miſſa pro ipſo celebretur, & non pro alio, & ad hunc finem deſignat Sacerdoti, ſeu Cappellano congruum ſtipendium, quoad ſecundã verò partem etiam conſtat: nam indulgentia conceſſa Sacerdoti directè, & explicitè eſt, vt poſſit tuta conſcientia ratione honeſtatis, & reuerentiæ erga Sacramentum, & ad ſui maiorem diſpoſitionem, & deuotionem, omittere vnam miſſam in hebdomada, & indirectè, & implicitè, vt illo die, in quo celebrat non teneatur miſſæ ſacrificium pro Teſtatore applicare, exonerando ipſum ab obligatione, applicando ſacrificium ſecundum intentionem Teſtatoris, in ipſo die in quo ipſe nõ celebrat per alium Sacerdotem, ne iniungatur ei onus intolerabile.

90 Secundo reſpondet Pater Vidal ad noſtrum principale argumentum vbi ſupra nu. 27. negando abſolutè maiorem: nam abſolutè per ſe loquendo non ceſſat reuerentia erga Sacramentum, neque honeſtas, etiam ſi Sacerdos velit quotidiè celebrare: ſed tantùm ſecundum ſubiectam materiam; imò ſecundum ſe magis augetur, tũ reuerentia erga Sacramentum, tum etiam deuotio celebrãtis: ergo ruït argumentum: deindè Sacerdos non ſolum non tenetur quotidiè celebrare pro aliqua determinata perſona, ratione conſuetudinis ob reuerentiam erga Sacramentum. Sed etiam ratione iuſtitiæ, & ratione æquitatis ſecundum dictamen rationis: ergo poteſt Sacerdos quotidiè obligatus ad miſſam celebrandam pro determinata perſona, ſemel in hebdomada offerre alteri ſacrificium ad ſuum beneplacitum, & accipere nouum ſtipendium: maximè cum nulla irrogetur iniuria Teſtatori; nam ſi non celebrando pro vna vice in hebdomada non afficiatur ipſe Teſtator iniuria: ergo nec etiã id eueniet quando celebrando non applicat ſacrificium ſecundum ipſius intentionem, ex eo quod in illa die, cum Sacerdos non teneatur celebrare: nec etiam tenetur applicare ſacrificium ſecundum Teſtatoris intentionem.

91 Sed nequè hæc ſolutio ſatisfacit: nam ſi concedamus, quod non ceſſat reuerentia erga Sacramentum, neque honeſtas, etiam ſi quotidiè Sacerdos velit celebrare, ſed quod magis augeatur ſecundum ſe tam reuerentia erga Sacramentum, quam deuotio celebrantis, hoc non deſtruit noſtrum argumẽtum: nam nos in illo loquimur ex ſuppoſitione, quod Sacerdos iudicet eſſe maiorem reuerentiam erga Sacramentum, & cauſa maioris deuotionis, & præparationis ipſius, abſtinere ſe ſemel in hebdomada à miſſæ celebratione: quam quotidiè miſſam celebrare, & ob hanc cauſam probabilitèr concedimus cum communi Doctorum ſententia poſſe tuta conſcientia Sacerdotem obligatũ quotidie celebrare pro aliqua determinata perſona, omittere vnam miſſam in hebdomada: ſi autem ceſſet iſte finis, vt vult Pater Vidal, & ſit maior reuerentia erga Sacramentum, & maior deuotio, & diſpoſitio celebrantis quotidiè celebrare, quàm vnam miſſam in hebdo-

mada omittere, quod ſequitur eſt, q̄ data hac ſuppoſitione, non poſſit Sacerdos obligatus quotidiè miſſam celebrare pro aliqua determinata perſona, omittere vnam miſſam in hebdomada tuta conſcientia, ſed quod tenetur in conſcientia quotidiè celebrare, quod non eſt, nec contra noſtrum argumentum, nec contra aſſertum noſtrum: ſed potiùs in eius fauorem, vt ex ſe notum eſt, ad id autem quòd in dictareſponſione additur, quod Sacerdos obligatus quotidie celebrare pro aliqua determinata perſona, poſſit non celebrare quotidie ratione iuſtitiæ, & ratione æquitatis ſecundum dictamen rationis, dico quòd gratis conceſſo, quòd dictus Sacerdos poſſet vnam miſsam in hebdomada omittere dicto titulo (de quo mihi maximè dubium eſt) quòd non ſequitur, quòd Sacerdos ſi totam hebdomadam celebret Miſsæ ſacrificium; poſſit titulo iuſtitiæ vnam miſſam applicare pro altera à fundatore Cappellaniæ, & nouum ſtipendium accipere, tùm quia hoc eſt contra Decretum Sacræ Congregationis Concilij de Celebratione Miſsarum prohibens Sacerdotibus Cappellanis nouum ſtipendium accipere pro Miſsa, aut Miſſis, quam vel quas tenentur dicere ratione Cappellaniæ. Tum etiam quia irrogatur maxima iniuria Teſtatori, ſeu fundatori Cappellaniæ, defraudando illū in re graui ſpirituali, quòd eſt expreſsè contra iuſtitiam. Nec valet, quod in ipſa reſponſione aſserit Vidal, nempè non celebrando Sacerdos vna vice in hebdomada nō irrogatur iniuria Teſtatori: ergo neque irrogabitur ei iniuria, ſi vna vice in hebdomada ſacrificium pro eo non applicet, ſed pro alia perſona, hoc certè non valet: nam data ſuppoſitione, quòd poſſit Sacerdos ille ſemel in hebdomada non celebrare, ideò non applicat ſacrificium ſecundum intentionem Teſtatoris, quia poteſt, aut titulo conſuetudinis, aut titulo aliquo modo iuſtitię non celebrare, & actu non celebrat, & ſic non tenetur applicare illa die ſacrificium, quod non celebrat, attamen quando ipſe ex ſua libera voluntate non vult vti indulgentia ſibi conceſsa, ſed vult illa die celebrare, conſurgit obligatio applicandi in illa die ſacrificium ſecūdum intentionem Teſtatoris, à quo quotidianum ſtipendium accipit pro miſsæ celebratione, & hoc eſt quod dictat iuſtitia, & dictamen rationis, non contrarium, vt abſque fundamento affirmat Vidal.

92 Sed dices quamuis Sacerdos non poſſit accipere duplex ſtipendium pro vna eadem miſſa, in die illa, qua poteſt non celebrare ex indulgētia illi cōceſsa, nec faciat contra ſacræ Cōgregationis Decretum, nihilominus celebrādo in tali die poteſt applicare pro Teſtatore, ſeu fundatore Cappellanię fructum miſsę ſatisfactorium, & pro alia perſona diſtincta fructū eiuſdē miſsę impetratoriū pro aliqua dictę perſonę neceſſitate ſeù bono ſpirituali, aut tēporali à Deo obtinēdo, ergo ſaltē in tali caſu poteſt nouū ſtipendiū pro dicta miſsa accipere. Antecedēs quoad ſecūdā partē probatur: quia iſti duo fructus, vt nos cōceſſimus reſol. pręced. ſūt ſeparabiles, & ex alia parte fūdator Cappellanię

pellanię nõ petijt vtrumque expræſsè in dicta fũdatione Miſſæ fructũ.: ſupponamus enim ita Cappellaniam fundari à Teſtatore volo, vt Cappellanus quotidiè Miſſam celebret in refrigerium animæ meæ vel meorũ defunctorum; atqui in tali caſu fundator Cappellaniæ ſolùm petit Miſſæ fructum ſatisfactoriũ: ergo poterit Cappellanus in illa die, in qua poteſt tuta conſcientia miſsã ſemel in hebdomada non celebrare: & ſi illã celebret accipere nouum ſtipẽdium ab alia perſona applicando illi fructum eiuſdẽ miſſæ impetratoriũ pro aliqua eius neceſſitate: aut beneficio ſpirituali: aut temporali à Deo obtinendo.

93 Reſpondetur negando antecedens quoad ſecundam eius partem: nam ex hac replica ſequeretur doctrina maxima intolerabilis: nempè quod Cappellanus cum in fundatione Cappellaniæ expreſsè non petatur vterq; fructus ſatisfactorius ſcilicèt: & impetratorius: ſed ſolùm quod applicetur ſacrificium in ſatisfactionem peccatorum, vel in refrigeriũ animæ, vel pro anima fundatoris, poſſet dictus Cappellanus non ſolùm accipere nouum ſtipendium pro applicatione fructus Miſſæ impetratorij in die illa, in qua poteſt miſſam non celebrare iuxta intentionem fundatoris: ſed etiam in omnibus diebus, in quibus pro anima dicti fundatoris ratione fũdationis Cappellaniæ tenetur celebrare; atqui hoc eſt apertè falſum, vt in reſolutione præcedenti: ergo, & quod poſſit in dicta die, in qua non tenetur pro anima fundatoris miſſam celebrare, accipere nouum ſtipendium ab alia perſona, applicando illi fructum eiuſdem miſſæ impetratorium: probatur minor, tum quia vt diximus dicta reſolutione præcedenti, hoc eſt contra communem vſum fidelium petentium pro ipſis miſſas celebrare, qui ſẽper petunt vtrumque miſſæ fructũ, quamuis hoc explicitè non explicent, tum etiam quia petens à Sacerdote ſacrificium, petit ab illo applicationem quantum ad effectum infallibilem, quem præſtat ex opere operato ex vi ſua inſtitútionis, & promiſſionis à Chriſto factæ, ſi nõ ponatur obex ex parte eius pro quo offertur; atqui hic fructus ſolũ eſt ſatisfactorius, & non impetratorius, vt docet Diuus Thomas 3. par. quæſt. 83. art. 1. vbi videndus eſt Suarez diſput. 79. ſect. 2. atquè ita quamuis exponatur miſſa votiua pro aliqua neceſſitate, & aliquid à Deo impetrandũ, primo, & per ſe petitur fructus ſatisfactorius, tanquam fundamentũ fructus impetratorij, quod adeò verũ eſt, quod ſi poſtulans ſacrificium ſolùm in quantùm impetratorium, & non in quantum ſatisfactoriũ, neſciat quid petat, & excludit vnam ex præcipuis cõditionibus, ex quibus vis impetratoria habet actualitèr cauſare ſuum fructum. quare vis impetratoria fundatur in ſatisfactoria, quæ ex promiſſione dicit cauſare ex opere operato infallibiliter, quod non habet impetratoria, quamuis digna ſit potens, & efficax ad cauſandum ſuum effectum. Quarè Sacerdos obligatus quotidiè celebrare pro aliqua perſona determinata: licèt illa in fundatione Cappellaniæ non explicet formalitèr, & explicitè ſe velle

applicare fructum Miſſæ impetratorium, ſed ſatisfactorium: nihilominus Sacerdos, ſeù Cappellanus eſt obligatus ad applicandum ſacrificium in quãtum ſatisfactorium, quod primo, & per ſe intenditur in omnibus Miſſis, etiam ſi ſint in votiuis, & etiam obligatur ad applicandũ fructum miſſæ in quantum impetratorium; cum hoc in primo fundetur, & ex illo cõſequatur: vbi autem vnum fundatur in alio, ex vi inſtitutionis, qui obligatur ad vnũ obligatur ad aliũ, & ad vtrumque, obligatur Sacerdos, & ipſum intendit obligare, qui ſacrificium petit; cum vtrumque per ſe ſit connexum. quando autem dicitur, quòd is pro quo offertur eſt in peccato mortali, & ſic illi non prodeſt ſacrificium in quantum ſatisfactorium, ſed in quantum impetratorium, hoc eſt per accidẽs, & ita ſemper Sacerdos tenetur vtrumq; fructum ſatisfactoriũ ſcilicet, & impetratorium pro dante ſtipendium applicare, & nõ poteſt vnum fructum ex vi vnius miſſæ pro vna perſona applicare, & alium pro alia, accipiendo ab illis diſtincta ſtipẽdia, niſi de conſenſu expræſſo, & explicito earum perſonarum, à quibus ſtipendia accipit, vt diximus reſolutione præcedenti.

94 Ad primum argumentum D. Marci Vidal reſpondetur, conceſſo antecedenti diſtinguẽdo primum conſequens: ergo applicatio illius ſacrificij nemini videtur obligata, ex hypoteſi, quod Sacerdos in illa die non celebret ob rationem ſuperius dictam, qua non tenetur illa die celebrare, iuxta intẽtionem fundatoris; cõcedo conſequẽtiam. Si in illa die miſſam celebret, nego conſequentiam: nam eò ipſo quòd Sacerdos vult etiã in illa die celebrare, in qua non tenebatur, aſſumit onus celebrãdi pro fundatore Cappellaniæ, & iuxtà eius intentionem, & ſic ratione ſtipendij accepti ab illo pro miſſæ quotidianæ celebratione, tenetur Sacerdos titulo iuſtitiæ applicare miſſam in illa die, iuxta Teſtatoris intentionem: quare neganda eſt ſecunda conſequentia: quia ratio propter quam poteſt omittere celebrationem miſſæ ſemel in hebdomada, ſolùm originem duxit ex cap. ſignificatũ; initio huius reſolutionis allegatũ, in quo Põtifex determinauit quẽdam Sacerdotem, cui commiſſa eſt præbenda vnius Eccleſiæ, teneri celebrari quantum frequentiùs poſſet, ſalua (inquit) honeſtate ſua, & debita deuotione, ideſt ſine peccato mortali, vt explicat Gloſſa ibidem ſalua honeſtate ſua: per hęc verba, ſalua honeſtate ſua, ideò dicit quia non eſſet honeſtum, vt bis vel tèr miſsã in die celebraret; de Conſecr. diſtin. 1. ſufficit &c. & primo de Celebratione te referente: vel ſalua honeſtate ſua, ideſt ſine peccato mortali, quòd eſſet inhoneſtum. Vndè ceſſante huiuſmodi cauſa, ſcilicet peccati, indeuotionis, aut indiſpoſitionis, celebrare tenetur dictus Cappellanus pro ſe, vel per alium, prout ètiam determinatum dicitur in Concil. 4. prouinciali Mediolanenſi, & in Synodo Diœceſana Mediolanenſi. 3. Vnde multo minus, licebit tali Sacerdoti celebranti illo die in quo poterat non celebrare, accipere ſtipẽdium pro applicatione illius miſſæ ab alia perſona, aut in alio loco celebrare, quod colligitur ex verbis Summi Pontificis in dicto

cap.

Digitized by Google

cap. ſignificatum, vbi poſtquàm dixit quod Sacerdos ille obligatus quotidie celebrare, teneri celebrare quantum frequentius poſſet, niſi infirmitate corporis fuerit impeditus, ſalua honeſtate ſua, & debita deuotione ſubdit, nec ſibi liceat hoc illi ſubtrahere: ſiuè cauſa voluptatis, ſiue ſe ad aliam Eccleſiam transferendo. Quia ratio propter quam poteſt omittere talem celebrationem, etiam procedit celebrando pro alio, aut in alio loco vt docent Fraxinellus, Bonacina, Peirinis, Naldus, & Lezana locis ſuperius relatis.

95 Ad ſecundum reſpondetur concedendo maiorem, in ſenſu à nobis explicato, & negando minorem, nam licet Sacerdos Cappellanus eſſet religioſus, nullo modo poſſet dictam miſſam illius diei, quam in hebdomada poterat omittere cauſa honeſtatis, & deuotionis applicare pro alio, & pro applicatione ſtipendium accipere, nec hoc practicatur in Religionibus regularium (vt malè putat Vidal) imò practicatur contrariũ; nec inter religioſos practicatur. Quòd ſi aliquis religioſus in particulari (quod rarò euenit) teneatur quotidiè celebrare in dicto Conuentu, ratione alicuius Cappellaniæ ipſi in particulari relictæ, omittat dictus Sacerdos regularis Cappellanus vnam miſſam in hebdomada celebrare, quia cum regulares ipſi ſtrictiori obligatione adſtricti ſint ad procurandum diſpoſitionem, & debitam deuotionem pro quotidiana celebratione, nulla regulariter loquẽdo datur cauſa omittendi ſemel in hebdomada dictam Miſſam celebrare: cũ enim cauſa omittendi dictã miſſam ſit honeſtas, & debita deuotio celebrantis ſi adeſt deuotio, & honeſtas in Sacerdote, vt cõmuniter adeſt, aut debet adeſſe in Sacerdote regulari, numquam habebit legitimam cauſam omittendi celebrare dictam miſſam ſemel in hebdomada. Notanter dixi: ſi Cappellania taliter à fundatore inſtituatur, vt determinet miſſam quotidianam celebrari ab aliquo regulari Sacerdote in particulari (quod rarò contingit inter religioſos) nam in hoc caſu locum habet doctrina ſuperiùs tradita, quod poſſit dictus Cappellanus etiam ſi ſit regularis, ſemel in hebdomada à celebrãdo vacare, iuxta id quod dicitur in dicto cap. ſignificatũ propter honeſtatem, & deuotionem: ſi autem fundator Cappellaniç Cappellaniam inſtituat in aliquo monaſterio, aut Eccleſia regularium abſque aſſignatione alicuius religioſi in particulari, tũc non poteſt omitti vna miſſa in hebdomada, ſed tenebitur Prælatus quotidiè dictã miſſam celebrari facere, iuxta intentionem fundatoris, cum tunc non fuerit electa perſona Sacerdotis, ſed habita ſolum ratio miſſç celebrandæ in tali Eccleſia, vel monaſterio regularium.

96 Ad tertium reſpondetur cõcedendo maiorem in ſenſu à nobis ſuperiùs explicato, & negando minorem: nam in toto rigore loquendo ſolùm aſſerere debemus, quod Sacerdos obligatus quotidiè celebrare poſſit liberè cauſa honeſtatis & deuotionis vnam miſſam in hebdomada celebrandam omittere, ne onus intolerabile ſit, nõ autem debemus aſſerere, quod poſſit ſemel in hebdomada vnã miſſam celebrare pro alio, &

pro

Digitized by Google

pro applicatione nouum ſtipẽdium accipere. Cum hoc ſit contra iuſtitiam, & contra id quod diſponit ſacra Congregatio in decreto de Celebratione miſſarum, vt nos latè ſupra probauimus. Ad confirmationem reſpondetur diſtinguendo antecedens, hęc obligatio Sacerdotis quotidiè celebrandi pro aliqua determinata perſona cadit ſub præcepto affirmatiuo tantum; loquẽdo de quotidiana celebratione miſſæ, tranſeat antecedens: quantùm ad applicationem quotidianam ſacrificij, ſemper quod Sacerdos quotidianam miſſam celebrat, ſolũ cadit ſub præcepto affirmatiuo nego antecedens. Nam quando fundatur Cappellania, vult, & præcipit in dicta fundatione, quod Cappellanus teneatur quotidie pro ipſo fundatore, & iuxta eius intentionem miſſam celebrare, excludit ab applicatione miſſę quamcumque aliam perſonam, & ſic illa obligatio, aut pręceptum poſitiuũ, affert ſecum eſſentialiter negationem aliquam; quia quãdo fundator Cappellanię, ſeù Teſtator dixit volo, vt Cappellanus teneatur quotidiè pro me: aut meis defunctis vnã miſſam celebrare, facit conſenſum, volo, & obligationem iniungo Cappellano, vt pro me, & non pro alio teneatur quotidiè miſſam celebrare, & ſic quoad applicationẽ ſacrificij adeſt ex parte Sacerdotis obligatio poſitiua, applicandi miſſam iuxta intentionẽ Teſtatoris, & nullo modo iuxta intentionem alterius perſonę. Et eadem modo diſtinguendũ eſt cõſequens primũm, obligat ſemper, & non per ſemper quoad celebrationem ſacrificij miſſę, trãſeat cõſequens, quoad applicationem fructus miſſę ſemper quòd Sacerdos ex dicta obligatione miſſam celebrat; nego conſequentiam, & ſimiliter neganda eſt ſecunda conſequentia: nã licet Sacerdos quotidiè obligatus miſsã celebrare pro aliqua determinata perſona poſſit cauſa honeſtatis, & deuotionis vna vice in hebdomada omittere miſſę celebrationem: non tamen poteſt ſi in illa die celebret ad ſuum beneplacitum pro alio celebrare, & accipere nouum ſtipendium, vt ex dictis in hac reſolutione prq probatione noſtri aſserti manifeſtè conſtat.

97 Ad quartum reſpondetur cõcedendo antecedens, & negãdo conſequentiam, quoad ſecũdam partem: nã aliud eſt quod poteſt Sacerdos cauſa honeſtatis, & deuotionis vnam miſsam in hebdomada omittere, quãdo non eſt obligatus quotidiè pro aliqua determinata perſona celebrare, aliud verò, quod ſi velit celebrare in illa die, & actu celebret, ſit liberum ei in illa die pro alio celebrare, & pro celebratione nouum ſtipendium accipere, primum licitum eſt Sacerdoti, ſtante dicta cauſa honeſtatis, ſecundum verò nõ licet: nã eò ipſo quod celebret miſsam in illa die, in qua poterat illam non celebrare, manet obligatus ex iuſtitia ad celebrãdum iuxta Teſtatoris voluntatem, vt ex probationibus ſuperiùs factis pro noſtra ſententia conſtat. Ad confirmationem reſpondetur, dato gratis antecedenti, negando conſequentiam: nam bene arguitur poteſt Cappellanus quotidiè obligatus celebrare pro aliqua determinata perſona tres, aut quatuor miſsas pro ſe, aut alio ſibi

coniun.

coniuncto in quolibet anno celebrare ex voluntate interpretatiua fundatoris dictæ Cappellaniæ,ex eo quòd dictus fũdator ſi de tali caſu interrogatus fuiſſet non denegaret, ergo poterit Cappellanus vnam miſſam in qualibet anni hebdomada pro ſe, vel pro alio ſibi coniuncto applicare, hoc inquam nõ benè infertur: nam in primo caſu poteſt ſupponi ſaltem probabiliter voluntas Teſtatoris conſentientis: non autem in ſecundo, imò potiùs oppoſita voluntas ipſius Teſtatoris debet ſupponi, vt de ſe manifeſtè conſtare videtur. Ad probationem conſequentiæ reſpondeo omittendo antecedens, & negando conſequentiam: nam vt multoties in hac reſolutione diximus, aliud eſt quòd Sacerdos non teneatur vna vice in hebdomada ſacrificium celebrare cauſa honeſtatis. & deuotionis, aliud enim eſt, quod poſſit ſemel in hebdomada pro alio ad ſuum beneplacitum celebrare; primum, vt diximus eſt probabiliter verum, ſecundum autem falſum: quia non infertur ex eo, quod poſſit dictus Sacerdos obligatus quotidie celebrare pro aliqua determinata perſona, poſſit ſemel in hebdomada ex dicta cauſa honeſtatis, & deuotionis vnam miſſam omittere, ſeù non celebrare, quòd poſſit vnam miſſam in hebdomada miſſam celebrare pro aliquo alio, & pro celebratione ſtipendium accipere, vt ex ſuperius dictis manifeſtè manet probatum.

98 Ad vltimum reſpondetur concedendo maiorem, & negando minorem: quia nullum eſt ſufficiens fundamentum ad affirmandum, quod non poſſit Sacerdos ſe obligare ad celebrandum quotidiè Miſsæ ſacrificium pro aliqua determinata perſona, quotieſcumque ei non eueniat aliqua iuſta, & legitima cauſa hoc impediens, ob quam aliquando maneat excuſatus à Miſsæ celebratione in aliqua die, aut in aliquibus diebus anni quæ cauſæ aſſignantur à Sanctiſſimo Patre Gregorio 9. in dicto cap. ſignificatum de præb. & dignit. lib. 3. Decret. titul. 5. ſcilicet, aut cauſa infirmitatis, aut cauſa honeſtatis, & debitæ deuotionis. Quarè neganda eſt conſequentia propter rationes ſuperius allatas in fauorem noſtræ ſententiæ.

RESOLVTIO QVINTA.

Vtrùm quando Teſtator diſponit in ſuo teſtamento, vt tanta pecunia expendatur pro Miſſis, ſed numerum Miſsarum non taxat, teneantur hæredes, aut fideicommiſsarij; ſeu teſtamẽti executores diſtribuere dictam ſummam pro Miſſis ſecundùm taxationem ab Ordinario factã; & ſi non faciant; an poſſint Sacerdotes, qui à prædictis hęredibus, aut executoribus prędicti teſtamenti accipiunt eleemoſynam minorem, quam eſt illa, quę eſt ab Ordinario taxata, reducere Miſsas ad numerum correſpondentem taxationi ab Ordinario factę.

99 HAnc difficultatem in proprijs terminis apud nullũ Doctorem quem legi exagitatam inueni; quamuis aliam huic difficultati ſimilem reperij, licèt alijs terminis in quodam manu ſcripto cuiuſdã Doctoris Theologi, qui varia ſua opera typis mandauit, cuius doctrinam maximè veneror. Ait igitur preſa-

tus

tus Doctor in difficultate propoſita, quòd nec heredes dicti Teſtatoris, nec ſui teſtamenti executores, ſeù fideicōmiſsarij in diſtributione dictę pecunię pro Miſſis celebrandis pro anima dicti Teſtatoris, tenentur ſeruare taxationem factam ab Ordinario pro vnaquaq; miſsa à Sacerdote celebranda, ſed quòd poſsum diſtribuere dictā ſummam pecuniarū pro miſſis; tribuendo Sacerdotibus pro qualibet Miſsa minorem ſtipēdium; ſeu eleemoſynam, quàm eſt illa, quę eſt taxata ab Ordinario, dum tribuant Sacerdotibus iuſtum miſsę ſtipendium; ideſt illud, quod communitèr ſolet tribui à viris timoratę conſcientię; & quòd Sacerdotes accipientes talia ſtipendia tenentur in Miſsas celebrare ſecundum rationem attributę eleemoſynę; alitèr tamen faciētes peccabunt mortaliter, cum onere reſtituendi numerum miſsarum, quas defraudati fuerunt, eas reducendo ad minorē numerum, & taxando ſecundū taxationem ab Ordinario factā. Hanc reſolutionem tam certā, & firmam iudicat eſse Doctor, vt ſibi perſuadeat, quòd nō erit Doctor aliquis, qui in dicto caſu cōtrarium dicere pręſumat, verba huius Doctoris in fine ſuę reſolutionis hęc ſunt. Certè nemo erit, qui in caſu noſtro contrarium diceret, hāc non poſse eſse iniuſtitiam; accipere mille aureos pro dicendis tot miſſis, ad compotū vnius tareni pro vnaquaque miſsa, & deindè ſub vano prętextu taxę miſsę contra fidem, cōtra promiſſionem, contra iuſtitiam, contra Pontificis decreta ad minorem numerum miſsas reducere; ſic ille.

100 Prima pars ſententiæ huius Doctoris poteſt probari ex ijs, quæ in ſuo manuſcripto docet prefatus Doctor cōfirmatione ſecunda ſecundæ rationis pro ſua ſententia: quia nec hæres, nec fideicommiſſarius, ſeu executor teſtamenti in prædicto caſu, tribuēdo ſcilicèt minorem eleemoſynam, ſeu ſtipendium pro vnaquaque miſſa quam illa, quæ eſt taxata ab Ordinario nō fecerunt contra voluntatem Teſtatoris, cum ipſe nequè explicitè nequè implicitè mandauerit, vt miſſæ dicendæ diſtribuerentur pro tribus carolenis v.g. ergo non eſt fundamentum vllum recedendi à pacto inito cum hærede, vel executore teſtamenti, & augendi ſtipendiū, ſeù eleemoſynam aſſignatam de communi conſenſu, tàm executoris teſtamenti, quàm Sacerdotis. Conſequentia ex antecedenti manifeſtè ſequitur, cum iſta poſſit eſſe pręcipua ratio dubitandi in hoc caſu pro parte contraria. Antecedens autem quoad primam partem, ſcilicèt, quod Teſtator non mandauerit explicitè, vt darentur v. g. tres caroleni pro ſingulis miſsis, patet ex ſuppoſito tituli huius reſolutionis: quoad ſecundā vero partem nempè, quod neque implicitè mādauerit, probatur antecedens; quia ſi hoc, maximè eſſet in eo, quòd cum teſtator ſciret ſtipendium taxatum à Synodo v. g. Panormitanę Dięceſis pro miſſis eſſe trium carolenorum, & non aſſignauit minus, ſed tantùm mandauit ſuo executori teſtamentario, ſeù hęredi, vt diſtribueret mille aureos pro tot miſsis dicendis, ergo intellexit velle ſe conformari ſtatuto, vt darentur tres caroleni pro vnaquaque miſſa; ſed

Digitized by Google

ſed hoc eſt falſum, ergo & illud quòd ſequitur. Probatur minor ſubſumpta: nam in Diœceſi Panormitana non eſt talis ſtipendij taxatio pro miſſis manualibus, ſed eſt limitatio in Synodo part. 3. numero 10. ibi eleemoſyna pro celebrandis Miſſis Sacerdotibus largiri ſolitam ad ſummum tres carolenos eſſe ſtatuimus, vbi li ad ſummum denotat, quod minor poſſit eſſe eleemoſyna, nō autē maior tribus carolenis, iuxta illud Ciceronis pro Milone 4. ad ſummum, 5: & dato quod eſſet ſtipendij taxatio, nunquam tamen ſtipendium, ità taxari poteſt, quin abundantius concedi poteſt à petentibus ſacrificium, & minus admitti poſſit à Sacerdotibus, vt probat Vaſchez diſput. 234. cap. 1. Suarez diſput. 86. ſect. 2. Miranda in Manuali Prelatorum tom. 1. queſt. 41. art. 23. Barboſa de poteſtate Epiſcopi alleg 24. nu. 8. vt loquitur Caſtropalaus to. 4. tract. 22. diſput. vnica punto 14. num. 4. ergo Teſtator, & talis eius voluntas preſumenda eſt, vt mille aurei in celebrandis miſſis, inſumerentur ſtipendia neque ſummà, neque exiguà, ſed quod ſolet dari, ita tamen, vt ſemper cenſendus ſit, velle ſue anime prouidere maiori miſſarum numero, quo poſſit, ex l. cum res in principio §. de legibus primo.

101 Quoad ſecundam vero partem nempè, quod predicti Sacerdotes teneantur celebrare tot Miſſas ad rationem attribute eleemoſyne ab herede, vel executore teſtamenti predicti, quòd alitèr facientes peccabūt mortalitèr contra iuſtitiam, cū obligatione reſtituendi numerum Miſſarum defraudatarum prætextu illas reducendi ad rationē taxate eleemoſyne facte ab Ordinario: probat dictus Theologus. Primo; quia hoc eſſet contrauenire declarationi Sacre Concilij in decretis de Celebratione Miſſarum, que declaratio fuit edita authoritate Vrbani VIII. felicis recordationis ſuper Decreto eiuſdem Cōgregationis de Celebratione miſſarum, que incipit, declarationes aliquæ Sacre Congregationis Concilij Sanctiſſimi Domini noſtri Vrbani VIII. authoritate edite ſuper Decretis eiuſdem Congregationis de Celebrat. miſſar. cum enim in predicto Decreto haberentur hec verba; ſacra Congregatio ſub obteſtatione diuini iudicij mandat, ac precipit, vt abſolutè tot miſſe celebrentur, quot ad rationem attribute eleemoſyne preſcripte fuerint; ita vt alioquin, ij, ad quos pertinet ſue obligationi non ſatisfaciant, quin imò grauiter peccent, & ad reſtitutionem teneantur. Duo fuerunt propoſita dubia, que ordine ſunt ſecundum, & tertium dubium. ſub hac forma Secundo ſuper ſecundo eiuſdē Congregationis decreto, quo cauetur, vt celebrentur tot miſſe, quot ad rationem tribute eleemoſyne preſcripte fuerint. Queritur an verba illa (preſcripte fuerint) intelligenda ſint de preſcriptione facta ab offerente, vel ab Ordinario. Tertio an cum Ordinarius preſcripſerit eleemoſynam cōgruam iuxtà qualitatem loci perſonarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes minus congruum ſtipendium teneantur miſſas ab offerente preſcriptas celebrare. Reſpondet ſacra Congregatio ad ſecundū.

eſſe intelligendum de præſcriptione facta ab eo, qui eleemoſynam tribuit; non autem ab Ordinario, quod ſi tribuens eleemoſynam, numerum miſſarum non præſcripſerit, tunc tot miſſas celebrari debere, quot præſcripſerit Ordinarius ſecundum morem ſuæ Ciuitatis, ſeù Prouinciæ. Ad tertium reſpondet teneri. Ex quibus ſacræ Cōgregationis declarationibus præfatus Doctor tale conficit argumentum. Declarationes factæ Summi Pontificis authoritate indubitata res eſt, vt loquitur Lezana tom. 3. ſummæ regularium verbo Sacra Congregatio num. 7. habere vim legis, & eſſe deciſiuas, & authoritatiuas; quia factæ ſunt authoritate Papæ: ergo habent eamdem authoritatem, quam haberent ſi à Papa immediatè factę fuiſſent; cum in moralibus idem ſit facere per alium, ac facere per ſe, vt docent Salas de leg. tract. 13 diſput. 21. ſect. 12. Peijrinus tomo 1. de ſubdito quęſt. 1. de obed. cap. 25. & alij communiter, & ſanè has declarationes eſſe authēticas iuxtà modum præſcriptum Vrbani VIII. factas de quo idem Lezana num. 10. nemo dubitauit cum afferantur integrè à Doctoribus cum eiſdem clauſulis, ac verbis, vt videre eſt apud Tamburinum Societatis Ieſu in Opuſculo de ſacrificio miſſæ lib. 3. cap. 1. §. 1. à num. 7. vſque ad 44. & apud Lezanam verbo miſſa num. 11. in tom. 4. ſummæ regularium, & apud Marchinum de Sacramento ordinis tract. 3. part. 2. cap. 16. à num. 26. & apud alios; atqui Sacra Congregatio ex vna parte declarat, quod præſcriptio miſſarum intelligi debet de præſcriptione facta ab eo, qui eleemoſynam tribuit, & non ab Ordinario. Et ex alia declarat, quod Sacerdotes accipientes miſſas, ad minus congruum ſtipendium, quod eſt illud, quòd Ordinarius præſcripſit iuxtà qualitatem loci perſonarum, ac temporum, teneantur miſſas ab offerente præſcriptas celebrare: ergo tenentur ſub mortali prædictas miſſas celebrare cum obligatione reſtituendi alitèr facientes. Patet conſequentia ex verbis ipſius Decreti ſuperiùs relatis, ita vt alioquin ij, ad quos pertinet ſuæ obligationi nō ſatisfaciant quin imò grauitèr peccent, & ad reſtitutionem teneantur.

102 Secundo probat eamdem partem, quia vnuſquiſque tenetur ſtare conuentioni à ſe factę ſpontè circa pretium iuſtum rerum, & intra eius latitudinem, adeò vt ſi quis v. g. decem vlnas panni ad rationem vnius aurei pro ſingulis vlnis, quod prætium ſit quidem iuſtum, ac infimum, quia, ſcilicet ſupræmum eſſet decem, & octo tareni, medium quatuordecim, infimum duodecim. Nō poſſet in menſurando panno metiri nouem vlnas decipiendo emptorem, vt ſic compenſet prętium ſummum, aut medium, vt latè probat Molina de iuſtit. & iur. tract. 2. diſput. 351. à num. 5. & ſequitur Thomas Tamburinus in Decalogum lib. 8. cap. 7. §. 11. num. 4. vbi num. 5. ait: neminem refragaturum huic doctrinæ: ergo Sacerdos, qui cōuenit cum laico de ſtipendio miſſarum ad rationem vnius tareni pro ſingulis miſſis, non poterit prætium augere ad rationem trium carolenorum, & numerum miſſarum minuere.

Con.

Digitized by Google

Conſequentia patet; quia iuſtũ miſſę ſtipendium eſt id, quod ſolet dari à viris timoratis, & eſt communiter receptum, vt docet Pellizzarius in Manuali Regularium to.1.tract.5.cap.9. nu.56. & Eminentiſſimus Cardinalis Lugo de Sacramentis diſput.21.de Euchariſtia ſect.2. num.25.atqui vt plurimũ datur paſſim pro vna miſſa vnus tarenus, licet etiã ſoleat dari valor 25. granorum, & aliquando dantur tres caroleni: ergo poſito quòd inter laicum dantem, & Sacerdotem acceptantẽ fuit facta conuenctio de ſtipendio, non poteſt abſque iniuſtitia Sacerdos variare, & minuere numerum miſſarum, reducendo ad ſtipendium ſummum, & pro Synodo aſſignatum, nec miſſas ſecundum dictam reductionem celebrare, quia irritus eſſet inter illos contractus innominatos, do mille, vt dicas tot miſſas. Mille accipio, vt dicã tot miſsas vt notat Suarez in tertiã partẽ diſput.86.ſect.1. Vaſquez to.3. in tertiam part. diſp.234. & eſt commune Doctorum placitum.

103 Confirmat hãc conſequẽtiã ex Decreto Sacrę Congregationis ſuper relato, authoritate Vrbani VIII. ędito de Celebr. Miſſarum anno 1625. die 21. Iunij, quòd vt aduertit Emin. Lugo multa, quę prius fuerunt controuerſa ſtabiliuit. In eo .n. ſacra Congregatio ſub atteſtatione diuini iudicij mandat, ac pręcipit, vt abſolutè tot miſſę celebrentur, Quot ad rationem attributę eleemoſynę pręſcriptę fuerint, ita vt alioquin ij, ad quos pertinet, ſuę obligationi non ſatisfaciant, quin imò grauiter peccent, & ad reſtitutionẽ teneantur. Loquitur autem Sacra Congregatio in terminis fortioribus, quando nimirum eleemoſyna fuiſſet quantumuis exigua, & incongrua, ſiue à pluribus perſonis collata fuerit, aut conferatur in futurum Sacerdotibus, aut Eccleſijs. Et quamuis non deſint, qui hoc decretum explicent, vt videri poteſt apud Tamburinum in opuſculo de Sacrificio miſſæ lib.3.cap.1. §. 3. à num. 53. vſque ad num. 56. omnes tamen conueniunt illud obligare, vbi Sacerdos non obſtante eleemoſynæ tenuitate ad miſſæ celebrationem expreſse ſe obligauit, vt ait Marchinus de Sacramento ordinis tract. 7. part.2.cap.21.nu.5. Diana part. 2.tract.14.reſol.7. & ipſe Tamburinus nu.51.ergo multo magis dicendum eſt, teneri Sacerdotes ad celebrãdas miſſas iuxta promiſſionem, & obligationem ex iuſtitia, cum ſtipendium non ſit exiguum, aut incongruũ ſed quod ſolet paſſim dari, præſertim cum agatur de ingenti ſumma miſſarum; nam non eſt conueniens, vt Sacerdotes cõtendant exigere ſummum, aut rigoroſum ſtipendium inſtàr ſeculariorum; cum potius debeant eſſe contenti medio ſtipendio, & talis exactio ſapiat quamdam auaritiam, vt de pluribus Sacerdotibus monet Fraxinellus de Sacerdotum obligatione par.2.ſect.3. prænot. 5. Lugo de Euchariſtia diſput.21. num.25

104 His tamen non obſtantibus, probabilius iudico in dicto caſu, hæredes vel fideicommiſſarios, ſeu teſtamenti executores, teneri ex iuſtitia diſtribuere dictam pecuniam, quam teſtator in ſuo teſtamento diſpoſuit, & mandauit; vt pro miſſis expenderetur, ad rationem taxationis factæ ab Ordinario; & ſi

Digitized by Google

aliter faciant abſque expreſſo conſenſu Sacerdotum, poſſunt Sacerdotes tuta conſcientia dānum ſibi illatum compenſare, reducendo Miſſas ad minorem numerum ſecundum taxationē ab Ordinario factam.

105 Pro maiori huius difficultatis intelligentia, notandum eſt primo, quòd quando tribuens eleemoſynam Miſſarum, non præſcribit, quòd miſſæ pro tali eleemoſyna debeat Sacerdos celebrare, Sacerdos ſolùm celebrare tenetur tot miſſas, quot correſpondent taxationi factæ ab Ordinario ſecundum morē ſuæ Ciuitatis, ſeù Prouinciæ. Quod ita declaratum fuit à ſacra Congregatione Concilij, in declarationibus æditis ſupra Decretis eiuſdem Congregationis de Celebratione Miſſar. authoritate Vrbani VIII. felicis recordationis, vbi in reſponſione ad ſecundum dubium poſtquam Sacra Congregatio declarauit, quòd præſcriptio Miſſarum celebrādarum debet fieri ab eo, qui eleemoſynam tribuit, non autem ab Ordinario, immediate ſubdit; quòd ſi tribuens eleemoſynam numerum miſſarum celebrandarum non prçſcripſerit; tunc tot miſſas celebrari debere, quot præſcripſerit Ordinarius ſecundū morem ſuæ Ciuitatis, ſeu Prouinciæ.

106 Secundo notandū eſt, quòd quando Teſtator in ſuo teſtamento mandauit, & præcepit, vt certa quantitas determinata expendatur in miſſis celebrandis pro anima ſua, non autem præſcripſit numerum miſſarū, aut ſolùm dixit, vt celebrentur pro anima ſua tot miſſæ, abſque vlla præſcriptione eleemoſynæ tūc non eſt liberum hçredibus, aut teſtamēti executoribus, ſeù fideicommiſſarijs eleemoſynā ſibi beneuiſam præſcribere, ſed hoc debere fieri ab Ordinario, & ſtandum eſſe taxationi ab Ordinario ipſo factç, ſecundum morem ſuæ Ciuitatis, vel Prouinciæ. Veritas huius notabilis manifeſtè conſtat ex declaratione eiuſdem Sacræ Cōgregationis, vbi ſupra reſpondetur ad quintum dubium. Nam cum propoſitum fuiſſet dictū quintū dubium, ſub hac forma, Quinto poſito, quod Teſtator relinquat, vt celebrentur pro eius anima centum miſſæ, abſque vlla præſcriptione eleemoſynæ. Quæritur, an liberum ſit hæredibus eleemoſynam ſibi beneuiſam præſcribere, an verò eadem eleemoſyna præſcribenda ſit ab Ordinario? Reſpondit Sacra Cōgregatio ſic. Ad quintum cenſuit, vbi nullam certam eleemoſynam teſtator reliquit, eſſe ab Epiſcopo præſcribendā eleemoſynam congruam, quæ reſpondet oneribus miſſarum celebrandarum ſecundum morem Ciuitatis, vel Prouinciæ, quibus ita prænotatis.

107 Probatur 1. noſtra concluſio: quia declarationes factæ à Sacra Congregatione de ſummi Pontificis authoritate, habent vim legis, & ſunt deciſiuæ, & authoritatiuç, vt nobiſcum cōſentit iſte Doctor, contra quem diſputamus, ex Lezana tom. 3. ſummç regularium verbo Sacra Congregatio num. 7. vbi ſic ait, & quidem loquendo de prçdictis declarationibus, Decretis &c. factis ab eadem Sacrç Congregatione iuſſu Sanctiſſimi, vel ipſo conſulto, indubitata res eſt habere vim legis, & eſſe deciſiuas, & authoritatiuas. Ratio eſt: quia factç ſunt authoritate Pa-

pæ,

pę, & conſequenter habent eãdem authoritatem, quam haberent ſi à Papa immediatè factę fuiſſent, cum in moralibus, idem ſit facere per alium, ac facere per ſe. Atqui declarationes Sacrę Congregationis Concilij ſupra decretis de Celebratione Miſſarum, factę fuerunt à dicta Sacra Congregatione authoritate ſummi Pontificis, ſcilicet Vrbani VIII. ergo habent vim legis, tum ſic, ſed in prędictis declarationibus ſacra Congregatio determinat, quòd quãdo Teſtator non pręſcribit numerum miſſarum celebrandarum pro ipſius anima, aut non pręſcribit eleemoſynam dandam Sacerdotibus pro qualibet miſſa, nõ ſit liberum hęredibus, aut teſtamenti executoribus eleemoſynam ſibi beneuiſam pro qualibet miſſa celebranda pręſcribere, ſed eſſe ab Epiſcopo pręſcribendam, ſecundum morem Ciuitatis, vel prouincię: ergo in Diœceſi, vbi eſt facta ab Ordinario taxatio iuſti ſtipendii, pro qualibet miſſa ſecũdum qualitatem loci, perſonarum, ac temporum, tenentur ex iuſtitia hęredes, vel teſtamenti executores, quando Teſtator non pręſcripſit in ſuo teſtamento numerum miſſarum celebrandarum, aut non pręſcripſit eleemoſynam tribuendam pro qualibet miſſa, pręſcribere miſſis ſecundum taxationem eleemoſynę factam ab Ordinario: ergo ſi aliter faciant poterunt Sacerdotes, vel Monaſteria accipientes minorem eleemoſynã pro qualibet miſſa à dictis hęredibus, aut teſtamenti ececutoribus damnum ſibi illatum compenſare, reducendo miſſas ad minorem numerum, hoc eſt correſpondẽtem taxationi factę ab Ordinario, ſeù Epiſcopo, abſque eò, quod peccent mortaliter neq; ad reſtitutionem teneantur. Minor ſubſumpta manifeſtè conſtat ex primo, & ſecundo notabili, & prima conſequẽtia ex ſe conſtat, quia lex pręcipit, vt quando Teſtator non pręſcribit numerum miſſarum celebrandarum, aut niſi pręſcribit determinatam eleemoſynã pro qualibet miſſa ex iis, quę ordinat pro eius anima à Sacerdotibus celebrari, non ſit in mera voluntate hęredis, vel fideicõmiſſarij, ſeu teſtamenti executoris prędictam pręſcriptionẽ facere: ſed quod hoc pertineat ad Epiſcopum ſecundum morẽ Ciuitatis, vel Prouincię, ergo vbi fuerit iam ab Epiſcopo facta dicta taxatio eleemoſynę pro qualibet miſſa, tenebuntur hęredes dicti Teſtatoris ex iuſtitia eam ſeruare, tribuẽdo pro qualibet miſſa tantam eleemoſynã, quę correſpondeat dictę taxationi ab Ordinario factę, aliàs liberum erit hęredibus in prędicto caſu eleemoſynam ſibi beneuiſam pro qualibet miſſa pręſcribere, quod eſt contra declarationem Sacrę Congregationis, deindè, quia in tali caſu non poſſunt executores teſtamenti augere eleemoſynã vltrà taxationem factam ab Ordinario, ſicut facere poterat Teſtator, vt docet Lezana to. 4. ſummę regularium verbo miſſa num. 21. ex Bonacina, Bordono, & Poſſeuino, quia iſti non ſunt domini, ſed miniſtri, ergo propter eamdem rationem nõ poterunt eamdem eleemoſynã, ad ſuum libitum minuere, & minorem dare.

108 Secunda vero conſequẽtia, quoad primam eius partẽ probatur,

batur: quia cum in obligationibus iuſtitię detur compenſatio, ita, & in pręſenti, vbi hęredes, vel executores teſtamenti tenentur ex iuſtitia diſtribuere eleemoſynam pro miſſis celebrandis pro anima prędicti teſtatoris, ſecundum taxationem factam ab Ordinario, vt ſupra diximus, & in ſimili caſu docēt Lezana dicto tom.4. ſummę regularium verbo miſſa num. 34. Pellizarius in Manuali Regularium tom.2.tract.6.cap.3.n.50. Peyrinus in Priuilegijs minorū tom.3.cap.1.num.37. ſecunda verò pars eiuſdem conſequentię manifeſtè ſequitur ex prima & deindè probatur: nā in omni iure, etiam naturę, impoſſibile eſt vt ex iniuſtitia oriatur iuſtitia ſeu ius; ſicuti in phyſicis, ex vitio profluere nō poteſt actus virtutis, & in methaphyſicis ex differentia Leonis oriri nō poteſt riſibilitas, vt benè notat Pater Thomas Tamburinus in pręcepta Decalogi, ātqui ſi in noſtro caſu ob dictarum Miſſarum reductionem, reſpectiuè ad taxationem ab Ordinario factam, Sacerdotes recipientes minorem eleemoſynam à dictis hęredibus, aut fideicōmiſſarijs non celebrando, tot miſſas correſpondentes ad eleemoſynam eis tributam ab hęredibus, aut fideicommiſſarijs dicti Teſtatoris, peccarent mortalitèr, & ad reſtitutionem tenerentur, obligatio iuſtitię oriretur ex iniuſtitia, quòd implicat ergo &c. Probatur minor, quia obligatio iuſtitię in tali caſu oriretur ex contractu menticuloſo, hoc eſt ex contractu iniuſto; atquè adeò ex iniuſtitia: ergo quoniā huiuſmodi contractus, obligationem non parit contractus eſſentialiter non erit, qui definitur, vltrò citroque obligatio: ergo prędicti Sacerdotes in prędicta miſſarum reductione, nec peccabunt mortaliter, nec ad reſtitutionem manebunt obligati.

109 Secundo probatur noſtra concluſio, nam dolus, qui dat cauſam contractui reddit contractum nullum in vtroque foro; atqui iſte dolus hęredis, vel executoris teſtamenti in noſtro caſu dat cauſam contractui facto cum Sacerdotibus, aut cōmunitatibus regularium, de celebrandis tot miſſis dato minori ſtipendio, ſeù eleemoſina, quàm eſt illa, quę eſt taxata ab Epiſcopo, ſecundùm morem ſuę Ciuitatis, vel Prouincię ergo eſt nullus in vtroq; foro: ergo poſſunt Sacerdotes in foro conſcientię reſarcire licitè talem contractum ante ſentētiam iudicis, & ad recompenſandum ſibi damnum illatū, reducere miſſas ad minorem numerum, reſpectiuè ad taxationem ab Ordinario factam. Hęc vltima conſequentia maniſeſtè ſequitur ex prima, & prima ex ipſis pręmiſſis conſtat. Maior autem huius diſcurſus ab omnibus Doctoribus, vt certa recipitur: minor vero in qua poteſt eſſe difficultas probatur: nam tunc dolus dat cauſam cōtractui quando cadit ſuper ſubſtantiam ipſius contractus, vtpotè adimens rationem voluntarij, quę in contractu eſſentialiter requiritur ad ſui validitatem; atqui in noſtro caſu, dolus cadit ſuper ſubſtantiam ipſius contractus, cum hęredes, vel executores teſtamenti faciant contra iuſtitiam, & cęlēt Sacerdotibus, vel communitatibus, aut Monaſterijs ſuam obligationem de danda eleemoſyna

moſyna

ſyna pro celebrandis dictis miſſis, quas præcipiunt celebrare pro anima teſtatoris ſecundum legem hoc eſt ſecundum taxationem factam ab Ordinario illius loci, vbi miſſæ ſunt celebrandæ, & conſequenter tali dolo auferant ab eis ſcientiam requiſitam ad voluntarium: ergo prædictus dolus dat cauſam contractui, & conſequentèr eſt irritus in vtroque foro.

110 Nec valet ſi dicas, quòd quando ex dolo inſurgit, vt cariùs rem emas, contractus eſt validus, quia licèt det cauſam exceſſui prętij, cum ſine illo dolo tantum prætium non ſolueres; non tamen dat cauſam cõtractui, quia verè conſentis etiã in illum exceſſum, licèt venditor reſtituere teneatur propter dolum, vel propter inæqualitatem prętij excedentis rei venditæ valorem: ergo ſimilitèr quando ab hærede, vel executore teſtamenti Sacèrdos accipit minorem eleemoſynam pro qualibet miſſa celebranda, quàm eſt illa, quæ ab Ordinario eſt taxata, contractus erit validus, cũ dolus ille ſolùm det cauſam minoritati eleemoſynę, nõ autem det cauſam contractui: nam tũc Sacerdos verè conſentit in celebrandis tot miſſis pro illo minori prętio, licèt hęredes, vel teſtamenti executores ad reſtitutionem defraudatæ eleemoſynæ teneantur, & conſequenter non erit in Sacerdotum poteſtate, propria eorum authoritate etiam in foro conſcientiæ, ſibi ricompenſare damnũ illud illatum minoritatis eleemoſynę ante Epiſcopi ſententiam. Hoc inquam non valet. primo quia negari poteſt antecedens, vt negat Reuellus part. 2. lib. 1. quęſt. 6. ſect. 2. num. 11. & alij apud ipſum, & ita inſtantia nihil conuincit. Secundo, quia licèt ſit verum antecedens ſiſtendo in iure naturæ, poteſt negari ſtando in iure poſitiuo, vt tenet Bonacina diſput. 3. de contractibus quæſt. 1. punto 1. §. 2. num. 3. ſolùm poteſt inferri prima conſequentia in iure naturę, non autem in iure poſitiuo. Cùm autem iure poſitiuo Eccleſiaſtico ſit hæredibus, & executoribus teſtamẽti prohibitum præſcribere numerum miſſarum non pręſcriptum à teſtatore, aut pręſcribere eleemoſynam tribuendam Sacerdotibus pro qualibet miſſa celebranda non pręſcriptam à teſtatore, vt ex ſupradictis conſtat; nihil valet ſecunda conſequentia. Tertio, nam quamuis aſſeramus cum alijs, verum eſſe antecedens abſolutè, vt affirmant Ioannes Igneus, Faber, & Veglia Portica, quos refert Couarruuias in reg. poſſ. 2. part. §. 6. num. 6. Coninch. de matrim. diſput. 23. dub. 9. num. 73. non ſolùm ſtando in iure naturę, ſed etiam in iure poſitiuo; conſequentia eſt omninò falſa, quia venditor illius rei eſt verè dominus illius rei, quam vendit, vt quando mihi vendis equum multorum annorum pro iuueine, venditio valida eſt iure naturę, & per DD. relatos etiam iure poſitiuo, & conſequenter contractus eſt validus, cum ille dolus non ſit cauſa, vt ego contraham, ſed ſolùm dat cauſam exceſſui prętij; quod non contingit in noſtro caſu: nam hęredes, vel executores teſtamẽti non ſunt veri domini illius pecunię, quam expendunt pro miſſis celebrandis nomine teſtatoris, nec habent facultatem pręſcribendi tot miſſas, aut

ore-

Digitized by Google

prçſcribĕdi eleemoſynam elargiendam pro qualibet miſſa, imò hoc iure priuantur à Sacra Congregatione Concilij, vt ſupra probauimus, ergo quamuis contrahant cum aliquo Sacerdote, aut Prçlato alicuius Conuentus de celebrandis tot miſſis tribuendo minorem eleemoſynam, quam eſt illa, quç eſt taxata ab Ordinario, contractus erit ipſo iure nullus, cum in tali caſu dolus cadat ſupra ſubſtantiam contractus, & non ſupra accidentia, & conſequenter det cauſam contractui, & auferat ſcientiam requiſitam ad voluntarium, & non det cauſam ſolùm minoritati prçtij pro qualibet miſſa.

111 Probatur 3. noſtra concluſio, quia hçredes, & teſtamenti executores, tenentur adimplere vltimam teſtatoris voluntatem non ſolùm explicitam, ſed etiā implicitam; atqui quando teſtator diſponit in ſuo teſtamento, vt tanta pecunia expĕdatur pro miſſis, & numerum miſſarum celebrandarum non prçſcripſit; implicitè vult, vt prçſcribantur ſecundum taxationē factam ab Ordinario ſecundum morem ſuç Ciuitatis, aut Prouinciç, ergo ſi hçredes vel executores teſtamēti alitèr faciāt, poterunt Sacerdotes damnum ſibi illatum compenſare, reducendo miſſas ad minorem numerum reſpectiuè ad taxationem factam ab Ordinario; Probatur minor, tùm ex dicta declaratione Sacrç Congregationis in 5. reſolutione ſuperiùs relata, tum etiam ex ijs, quç ex Felino, Paulo de Caſtro, & Moneta trādit Marchinus de Sacr. ord. tract. 3. par. 2. cap. 23. à n. 7. quòd quando de voluntate explicita Teſtatoris nō conſtat, ad cognoſcendam voluntatem illius implicitam, attendendum eſſe verborum ordinē, & quod primò profertur principalitèr intendi a Teſtatore dicendum erit, quod verò ſecundo loco, minus principaliter: quare ſi primo loco dicatur, eſse tot miſsas celebrandas, deinde verò apponatur aſſignatio pecuniç demōſtratiuè, erit talis pecuniç aſſignatio, & principalitèr tot miſsç intendentur. At verò ſi contra, primo loco aſſignetur tanta pecunia, vt expendatur pro miſſis; taxatiuè ſe habebit talis aſſignatio pecuniç, & tot miſsç minus principaliter intēdentur, atque ad ſolā aſſignatā pecuniam, non vero ad amplius tenebuntur hçredes: ergo cum prçſcriptio miſsarum in noſtro caſu non pertineat ad hçredes, vt declarauit Sacra Cōgregatio: ſed ad Epiſcopū, interprçtādū eſt hanc fuiſse voluntatē implicitam teſtatoris, & conſequenter hçredes, & executores teſtamenti in diſtributione datç pecuniç pro miſſis celebrandis pro eiuſdem Teſtatoris anima; tenentur dictç voluntati conformari.

112 Sed dices, ſupponamus quòd teſtator habeat ignorantiam taxationis eleemoſynç miſsarum factç ab Ordinario, & quòd ex alio capite, ipſe in vita ſua conſueuerat facere celebrare plures miſsas à diuerſis Sacerdotibus, prçſcribendo illas ad rationem vnius tareni pro qualibet miſsa, ergo ſaltem in hoc caſù debemus prçſumere velle implicitè, quando in ſuo teſtamento diſpoſuit, vt tanta quantitas expenderetur in miſſis pro eius anima, ipſum prçſcribere voluiſse dictas miſſas ad rationem vnius tareni nō

obſtante

Digitized by Google

obſtante taxatione Epiſcopi aſſignantis maius ſtipendium pro qualibet miſſa celebranda in ſua Diœceſi. Reſpondetur negando conſequentiam; nam eò ipſo quod teſtator ſuam voluntatem non explicuit, voluit ſacra Congregatio Concilij de mandato Summi Pontificis, vt ſupra vidimus, quod dicta miſſarum preſcriptio, ſeù eleemoſyne taxatio, pertineat ad Epiſcopum, & nō ad heredes dicti teſtatoris, aut ad executores teſtamenti, & ſic tenentur miſſas diſtribuere ſecundùm taxationem factam ab Ordinario, deindè, quia ſi velimus ſequi opinionem probabilē Filiberti Marchini, relatam in duabus reſolutionibus precedentibus, poſsumus verba dicti teſtatoris latè concipere, interpretando ipſum velle ſe conformari taxationi facte ab Ordinario ex illa l. *in dicta* reſolutione citata, quidquid abſtringende ff. de verbor. obligat. iuxtà verba ipſius legis, que ſupra retulimus in dictis reſolutionibus, nempè quidquid abſtringende obligationis cauſa dictum eſt, id niſi palā verbis exprimatur, omiſsum eſse intelligēdum eſt, aut certè ſecundum promiſsorem interpetramur; quia ſtipulatori liberum fuit verba latè concipere. Que verba quamuis in probabiliori opinione debeant intelligi de obligatione orta ex ſtipulatione, que requirit certam verborum formā iuxta, quàm inducit obligationem, vt diximus reſolut. precedenti, tamen in dicta opinione Marchini poſsunt ſaltèm probabiliter in hoc ſenſu explicari, vt etiam ſupra diximus dicta reſolutione precedenti.

113 Ad fundamentum oppoſite ſententie pro prima eius parte reſpondetur, negando antecedens, quoad ſecundam partem, & ad eius probationem omiſſa maiori, neganda eſt minor, ad cuius probationem reſpondeo primo negando, quod in Synodo Panormitanæ Diœceſis, non eſt facta taxatio iuſti ſtipendij pro qualibet miſſa priuata, ad rationem trium carolenorum, nec verba Synodi aſſignata à dicto Theologo, ex parte tertia eiuſdem Synodi num. 10. contrarium conuincunt, ſcilicèt eleemoſyna pro celebrandis miſſis Sacerdotibus largiri ſolitam, ad ſummum tres carolenos eſſe ſtatuimus. Nam li, ad ſummum, non denotat prætium ſummum reſpectiuè ad pretium medium, aut infimum, ſed ſolū denotat, quod Sacerdos non poſſit amplius petere pro iuſtò ſtipendio miſſæ celebrande, quā tres carolenos, nec ſæcularis teneatur Sacerdoti plus dare, quòd ſine dubio eſt, taxare iuſtum miſſæ ſtipendium, relinquendo in voluntate eius, qui miſſam petit, quod pro ſui deuotione plus poſſit dare, & Sacerdos minus recipere, quod eſt præſcribere miſſæ ſtipendiū iuſtum, nec dictum illud Ciceronis pro Milone 4. ad ſummū, 5. eſt ad propoſitum, nam ibi aſſignatur prætium infimum, & ſupremum, quod ſit in ſacrificio miſſæ, quia quod Sacerdoti cōceditur pro miſſe celebratione, licèt illi ſit debitum de iuſtitia, non datur per modum prætij; ne contractus ſit ſymoniacus, ſed per modum eleemoſyne, ſeù ſtipendij ad Sacerdotis ſubſtētationem, vt docent cōmuniter DD. teneret tamen exemplum Ciceronis, ſi in Synodo diceretur eleemoſyna pro celebrandis

miſſis Sacerdotibus largiri ſolitã, vnũ tarenũ, & ad ſummũ tres carolenos eſſe ſtatuimus. Secundo reſpondeo, quod dato, & nõ cõceſſo, quod in Diœceſi Panormitana, nõ eſſet in Synodo facta præſcriptio ſtipendij iuſti pro miſſis manualibus, ex hoc ſolùm ſequeretur, quòd noſtra reſolutio non haberet locum ex hoc capite in dicta Diœceſi Panormitana, licèt illum haberet ex alio capite, ſcilicèt ex conſuetudine generaliter obſeruata, ac ferè omnibus fidelibus dictę Ciuitatis Panormi communiter obſeruata, elargiendi tres carolenos pro eleemoſyna cuiuslibet miſſæ ex relictis in teſtamẽto, quãdò teſtator nõ præſcripſit numerum miſſarum, aut non præſcripſit eleemoſynã tribuẽdam pro qualibet miſſa cebranda pro eius anima. Non autem ſequitur prędictam reſolutionem non habere locum in alijs Diœceſibus, vbi ab Epiſcopis eſt facta taxatio iuſti ſtipendij pro miſſis manualibus, vt de ſe notum eſt.

114 Ad id autem quod additur, quod teſtator quandò non pręſcribit in ſuo teſtamento numerum miſſarum, ſemper cenſendũ eſt vellè ſuæ animæ prouidere maiori numero miſſarum quo poſſit. Reſpondeo hoc eſſe intelligendum ſeruãdo taxationẽ factã ab Ordinario, aut conſuetudinem illius Ciuitatis, in qua elargiẽda eſſet eleemoſyna pro qualibet miſſa, vt optimè aduertit Tamburinus opuſc. de Sacr. miſſ. lib. 3. cap. 1. §. 3. num. 30. nec doctrina tradita ab iſto Doctore ibidem ex Barboſa de poteſt. Epiſc. allegat. 24. nu. 35. Fraxinello de obligat. Sacerd. ſect. 4. concluſ. 4. §. 8. Homobono de exam. Eccl. part. 1. tract. 4. cap. 15. quęſt. 121. qui affirmãt, quod ſi teſtator Cappellaniã inſtituit, & non expreſſit quot Cappellanus teneatur miſſas applicare ꝓ anima ipſius, quòd ex voluntate pręſumpta teſtatoris debent hæredes facère celebrare quantum maiorem numerũ poſſint, ſeruata proportione iuſti ſtipẽdij pro qualibet miſſa, aliquid contra noſtrã reſolutionem cõuinci; nam in tali caſu, vt docet Tamburinus vt ſupra nu. 29. tot miſſæ ſunt celebrandæ, quot in ea Ciuitate celebrari ſolent in alijs ſimilibus fundationibus: ꝙ ſi in ea nullæ aliæ præter hanc de qua dubitatur appareant, arbitrio prudentis iuxta amplitudinem, vel paruitatem eleemoſynæ, aliáſque circumſtantias res debet determinari. Cæterũ non debemus ſic Philoſofari in legato relicto à teſtatore, vt expendatur pro miſſis, quas ipſe non præſcripſit, nam in tali caſu tenentur hæredes, aut executores teſtamenti ſtare taxationi factæ ab Ordinario, vt ſupra probauimus.

115 Ad primum fundamentum pro ſecunda parte reſolutionis prædicti Theologi patet ex dictis, tum in ſecundo notabili, tũ in prima probatione noſtrę concluſionis, ſeù reſolutionis, ex quibus apertè conſtat declarationes Sacræ Congregationis Concilij ſuper decretis de Celebr. miſſ. potius eſſe pro nobis, quam contra nos.

116 Ad ſecundam probationem eiuſdem partis reſpondetur, concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequens, ſi Sacerdos conuenit cum hærede aut executore teſtamenti explicitè de celebrandis tot miſſis ad rationẽ vnius tareni pro qualibet miſſa, cõcedo cõſequentiã: nam

Digitized by Google

nam volenti, & conſentienti nulla fit iniuria, ſi non conuenit explicitè, nego conſequentiam, & ad probationem conſequentiæ Reſpondeo diſtinguendo maiorem; iuſtum miſſæ ſtipendium eſt illud, quòd ſolet dari à viris timoratis ſi adſit taxatio facta ab Ordinario ſtipendij elargiendi pro qualibet miſſa celebranda nego maiorem; ſi non adſit taxatio facta ab Ordinario cōcedo maiorem, & hoc eſt, quod docent Pellizarius, & Eminentiſſimus Cardinalis Lugo citati à prædicto Theologo: nam Pellizarius in dict. tract. 5. cap. 9. ſect. 3. quæſt. 2. vbi inquirit, quòd nam cenſeatur iuſtũ miſſæ ſtipendium debitum pro miſſæ celebratione voluntariè præſtitum à fidelibus reſpōdet nu. 56. his verbis reſpondetur. Quod cum ſtipendium miſſæ ſeruet proportionē pręti), quatenùs in eo etiam ſeruanda eſt ratio iuſtitiæ (licèt verè non ſit prætium) ſicut iuſtum præſumitur illud prætium, quòd eſt legitimè taxatum à Superiore; ita, & ſtipendium miſſæ iuſtum cenſebitur illud, quod fuerit ritè taxatum à Prælato Eccleſiaſtico; quamquam id non facit, quin fideles poſſint dare maius, Sacerdotes accipere minus ſi velint: taxatio ſiquidem ſtipēdii facit, vt fideles non poſſint dare minus, nec Sacerdos plus exigere ex iuſtitia. Quod ſi fortè nulla talis taxatio facta ſit, ſtipendium iuſtum miſſæ cenſebitur illud, quòd communiter receptum eſt conſuetudine, dari quę ſolet à viris timoratis: nam ſecluſa lege, conſuetudo ſicut indicat iuſtum prætium, ita, & indicat iuſtum ſtipendiũ, quòd cum prætio iuxta dicta; non paruam habet proportionem, ita Pellizarius. Quarè diſtinguenda etiam eſt minor; atqui vt plurimũ datur paſſim pro vna miſſa vnus tarenus, ſi ſermo ſit de miſſis quotidianis, & manualibus, tranſeat minor; ſi ſermo ſit de miſſis relictis ex teſtamento, nego minorem: nã generaliter datur eleemoſyna pro qualibet miſſa correſpondens taxationi factę ab Ordinario, vt experientia conſtat. Deindè diſtinguendum eſt conſequens: ergo poſito, quòd inter laicum dantem, & Sacerdotem acceptantem fuit facta cōuentio &c. Si fuit facta conuẽtio expreſſa, & explicita concedo conſequentiam; ſi non fuit facta conuentio explicita, ſed tantum tacita, & implicita nego conſequentiam; propter rationes allegatas in noſtra reſolutione.

117 Imò hinc poteſt ſumi non inefficax argumentum in fauorem noſtræ reſolutionis, nam illud dicitur iuſtum miſſę ſtipendium, quod generaliter datur à viris timoratis, & cōmuniter receptum eſt conſuetudine; atqui ſtipendiũ miſſæ, quod conſuetudine receptum dari, & à viris timoratis dari ſolet pro miſſis relictis ex teſtamento; sũt tres caroleni in hac felici Ciuitate Panormi, vbi ortum habuit hoc dubium; ergo iſtud erit iuſtum ſtipendium prędictarum miſſarum in dicta Ciuitate, ergo ſi teſtator miſſas relictas in ſuo teſtamento nō præſcripſit, aut non pręſcripſit eleemoſynã tribuendam pro qualibet miſſa; hęredes, vel teſtamenti executores erunt obligati etiam ſi in Synodo dictæ Diœceſis Panormitanæ, non eſſet facta taxatio iuſti ſtipēdij pro qualibet miſsa ratione conſuetudinis, quæ ha-

bet vim legis, diſtribuere dictas miſſas ad rationem trium carolenorum pro qualibet miſſa celebranda aliàs non dabunt iuſtũ ſtipendium; ergo Sacerdotes eas accipientes ad rationem vnius tareni ſi explicitè non ſe obligarunt ad celebrandum tot miſſas, poſſunt eas reducere ad numerum correſpondentem ad rationem trium carolenorum. Ad confirmationem patet maniſeſtè ex dictis in tota hac reſolutione.

118 Aduerto tamen, quòd quãdo in hac reſolutione dico, nec fideicommiſſarius, aut executor teſtamenti. Fideicommiſſarium ſumo latè, prout in generali modo loquendi idem ſignificat, quod executor teſtamenti. Si verò fideicommiſſarius ſumatur prout differt ab executore teſtamenti, quatenus executor habet meram executionem eorum, quæ teſtator diſpoſuit; fideicommiſſario autem datur facultas diſponendi circa ea, quæ teſtator non diſpoſuit, dũmodò hoc à teſtatore in ſuo teſtamento expreſsè exprimatur, & declaretur. Certum mihi eſt, quòd fideicommiſſarius in hoc caſu habet facultatem præſcribendi miſſas non præſcriptas à Teſtatore, & ità ſi eas preſcribat ad vnum tarenum pro qualibet miſſa, & Sacerdos conſentiat, etiám implicitè tenebitur ex iuſtitia, & fidelitate celebrare tot miſſas ad rationem tributę eleemoſynæ à fideicommiſſario, non obſtante, quod eleemoſyna taxata ab Ordinario in illa Ciuitate pro qualibet miſſa celebranda ſit maior: nam tunc fideicommiſſarius præſcribit dictas miſſas nomine Teſtatoris, quòd non eſt prohibitum in declarationibus Sacræ Congregationis de Celebratione miſſarum, ſicut eſt prohibitum heredibus, & executoribus teſtamenti, vt ſupra dictum eſt.

RESOLVTIO SEXTA.

Vtrùm Sacerdos poſſit idem miſſę ſacrificium applicare pro eo, à quo accepit eleemoſynam, & ſimul pro alijs ex charitate, gratitudine, aut liberalitate. Abſq; eò quod mortaliter peccet, aut ad reſtitutionem teneatur?

119 NEgatiuè reſpondent cõmunitèr DD. præcipuè, qui affirmant miſſę ſacrificium, quoad valorem ex opere operato, ideſt reſpondentem ſubſtantię ſacrificij, & principali offerenti, Chriſto Domino eſſe infiniti valoris, tam intenſiuè, quàm extenſiuè: ita Riccardus in 4. quæſt. 2. art. 3. diſtinct. 45. Durandus ibidem quęſt. 3. ad tertium. Sotus lib. 9. de iuſtit. quęſt. 2. Bellarminus lib. 2. de miſſ. cap. 4. Fagundes in prçcepta Eccleſiæ præcepto primo lib. 3. cap. 6. nu. 8. qui pro ſe refert Azorium tom. 1. Inſtitut. moral. lib. 10. cap. 20. §. quantum ad primum attinet. Nauarrum in manuali latino cap. 25. nu. 92. & Enchiridio de orat. cap. 20. nu. 77. & in cap. viſum de Conſecr. diſtint. 1. & in cap. non mediocriter de Conſecr. diſtinct. 5. Toletum lib. 2. ſumm. cap. 8. §. 3. Suarez to. 3. in tertiã partem diſput. 79. ſect. 12. Tabiena verbo reſtitutio §. 32. Couaruuiam in cap. alma mater, prima parte §. 1. nu. 5. & ſequentibus, & alios. Bonacina diſp. 4. quęſt. vlt. pun. 4. Laiman tract. 5. cap. 1. AEgidius quęſt. 83. art. 1. dub. 10. nu. 183. Eminentiſſimus de Lugo de Euch. diſput. 19. numer. 246.

Boſſius

Boſſius tom 1.de Conſc. par. 1. tit.1.§.25.à nu.141. Pater Thomas Tamburinus opuſcul. 3. de ſacrificio miſs.lib.3.cap. 1. §. 3. num.9.& ſequent.

120 Probatur primo hæc ſententia, quia ſi liceret Sacerdoti offerre miſſæ ſacrificium ſimul pro eo, à quo accipit ſtipendiũ, & pro alio, aut alijs ex charitate, aut ex liberalitate maximè eſſet, quia ſacrificium miſſę ratione ſuę infinitatis ſi offeratur pro multis, tantùm prodeſt vni, quam pluribus, atqui falſum eſt aſſerere ſacrificium miſſę, quoad valorem ex opere operato, eſſe infinitum ſimpliciter, tam intenſiuè, quam extenſiuè, ita vt tantum proſit vni etiam ſi offeratur pro pluribus, quam ſi pro illo ſolo offerretur, ergo non licet Sacerdoti vnam eamdem miſſam offerre ſimul pro vna perſona, ratione ſtipendij accepti, & pro alia, aut alijs ex charitate, aut liberalitate; maior cõceditur à Doctoribus oppoſitę ſententię, imò videtur eſſe pręcipuum eorum fundamentum. Minor autem probatur, quia ſi miſſę ſacrificium, quoad valorem, aut effectum, quem pręſtat ex opere operato haberet virtutem infinitam ſimpliciter, tam intenſiuè, quàm extenſiuè, ſequeretur quod vna miſſa ſufficeret ad ſatisfaciendum pro omnibus animabus exiſtẽtibus in igne purgatorij; atqui hoc eſt falſum: alioquin fruſtrà Eccleſia edocta à Deo pro illis eruendis, tot miſſarum ſacrificia applicaret, & inſtitueret, ergo ſignum eſt miſſæ ſacrificium ex opere operato habere valorem finitum, & limitatum, deindè probatur falſitas minoris, quia ſi vna miſſa totam pœnam temporalem ignis purgatorij deleret, non ità incitarentur homines ad frequentandas miſſas, cũ tamen illarum frequentatio nimis proſit, & ad meritum hominis, & vt religio Catholica eo cultu ſacrificij conſeruetur, & creſcat in honorem Dei. Tertio eadẽ minor probatur, quia quamuis hoſtia, & victima, quæ in ſacrificio miſſę offertur in ſe conſiderata ſit infiniti meriti, & prętij, & quamuis perſonà Chriſti ſit infinitè grata Patri, & eam victimã principaliter p Sacerdotes nunc iterum offerat. At dum Sacerdotes illam offerunt, non offerunt, vt obiectum externum, & extrinſecum alienũque à ſe, ſed offerunt quaſi rem propriam, quia per conſecrationem hoſtię, ſeù panis, totam victimam, ſeù totum Chriſtum, qui ſe mediantibus Sacerdotibus Patri offert; producunt, vt patet, & ideo cum illud poteſtati mirabili producant, & offerant tanquam rem propriam, offerunt non tamquam obiectũ aliquod extrinſecum, ergo ſacrificium miſſę in ratione valoris eſt ſimpliciter finitum, cum offeratur tanquam proprium à perſona finita nempe Sacerdote, ergo non poteſt equaliter prodeſſe pluribus, ac ſi pro vno tantùm offerretur, ergo non erit licitum Sacerdoti vnam, & eamdem miſſam pro vna perſona applicare, ratione ſtipendij ab ipſa accepti, & pro alia, aut pro alijs eamdem miſſam applicare ex charitate, aut liberalitate.

121 Probatur ſecundo, quia ſi poſſet Sacerdos vnam, & eamdẽ miſſam applicare ex charitate, aut liberalitate, aut alio motiuo honeſto, ſequeretur, quòd regulares hijs diebus, quibus ex ſuis Conſtitutionibus tenentur

miſſas

miſſas celebrare pro Defunctis ſui ordinis, aut pro benefactoribus, poſſent miſsas dictis diebus applicare pro alio, aut pro alijs perſonis, accipiẽdo ab illis ſtipendium; atqui hoc eſt falsũ, ergo, & illud, & quod ſequitur. Sequela probatur, quia ideo in ſententia oppoſita poteſt licitè Sacerdos applicare eamdem miſsam pro vno ratione ſtipendij accepti, & pro alio, aut alijs ex charitate, aut liberalitate, quia cũ miſsę ſacrificium quoad valorem, ſit infinitum extẽſiuè, ita vt ſi pro multis applicetur, tãtum prodeſt vni, quam ſi pro illo ſoli applicaretur, ergo & ſtante hac opinione, apertè ſequitur poſse regulares licitè illis diebus quibus tenentur ex ſuis Conſtitutionibus miſſas pro defunctis ſui ordinis celebrare, accipere ſtipendium pro dictis miſsis ab alio, vel alijs perſonis, & ſimul illas applicare ex charitate pro dictis defũctis ſui ordinis, pro quibus tenentur ratione ſuarum Conſtitutionũ dictis diebus celebrare, cum non ſit maior ratio in vno caſu, quam in alio; falſitas conſequentis probatur, quia Sacerdos rõne iuſti ſtipẽdij accepti, eſt obligatus celebrare, & applicare miſsam pro illa perſona, à qua iuſtum ſtipendiũ accepit, vt certò, & non cum incertitudine totus, & integer fructus ſacrificij, quantùm eſt ex parte eiuſdem Sacerdotis offerentis, poſſit participari à dante mercedem, vel ab eo pro quo merces data eſt; atqui hoc non pręſtat, quando ſacrificium offert etiam pro alijs, ſiuè alterius ſtipẽdio offerat, ſiuè ex charitate, vel ex liberalitate ob incertitudinem opinionis, quòd ſacrificium ęquè proſit omnibus pro quibus applicatur, ac ſi vni tantum applicaretur, quę poteſt eſse, & forſan eſt falſa, ergo dictus Sacerdos applicando miſſam pro vno ratione ſtipendij accepti, & pro alio, aut alijs ex charitate, aut ex liberalitate peccat mortaliter contra iuſtitiam, imò, & contra charitatẽ non adimplens contractum initum cũ erogante ſtipendiũ, & exponens ſe periculo illum priuãdi debito fructu ſacrificij, & fortè illum priuans, qui proinde rationabiliter eſt inuitus cũ ſine iactura, vel ſaltem probabili, periculo notabili detrimenti ſpiritualis, Sacerdos non poſſit ſimul ſacrificium idem pro alijs applicare, ſiuè ex ſtipendio accepto, ſiuè ex mera liberalitatę, & charitate, ergo idem dicendum eſt de regularibus in illis diebus, quibus ratione Conſtitutionis, tenentur miſsas celebrare pro defunctis, aut benefactoribus ſui ordinis, ſcilicèt non poſse accipere ſtipendia pro dictis miſſis applicandis pro ſuis defunctis, aut benefactoribus, & vtrique obligationi ſatisfacere applicando dictas miſsas pro dictis ſuis defunctis, & pro alio, aut alijs à quibus iuſta ſtipendia acceperunt propter rationem ſuperiùs allegatam de incertitudine opinionis, affirmantis fructũ miſsę eſse infiniti valoris, ita vt applicatus pro multis ęquè illis proſit, ac ſi pro vno ſolo applicaretur.

122 Secunda ſententia, & quę mihi probabilior videtur, affirmat poſse licitè Sacerdotem offerre eamdem miſsam pro eo, à quo accepit eleemoſynam, & ſimul pro alio, aut alijs ex charitate gratitudine, aut liberalitate, ita Philibertus Marchinus de

de Sacram. ord. tract. 3. part. 2. cap. 17. Lezana tom. 4. ſumm. regul. verb. miſſ. n. 22. Pater Antonius de Scobar in Theolog. moral. tract. 1. exam 11. cap. 4. num. 96. in fine. Pater Ioannes de di Caſtillio tom. 1. de ſacrif. miſſ. diſput. 4. dub. 19. num. 364. Pat. Gaſpar Hurtadus de Sacr. tom. 2. diſput. 4. de Sacram. miſs. difficul. 15. §. quod autem ſacrificium miſſæ Pat. Thomas Hurtado tom. 1. reſol. moral. tract. 2. de oblig. Sacerd. cap. 4. reſolut. 17. à nu. 178. vſque ad nu. 182. Diana part. 10. tract. 15. reſolut. 43. fundamētũ potiſſimũ huius ſententiæ deſumitur ex probabiliſſima Thomiſtarũ ſententia, aſſerente ſacrificij miſſæ valorem ex opere operato eſſe infinitum extenſiuè, ita vt pro pluribus applicatum, æquè proſit omnibus, ſecũdùm cuiuſcumq; illorũ diſpoſitionem, ac ſi pro vno ſolo applicaretur, vt nos diximus in hoc tractatu reſol. 1. & nobiſcum ſentiunt præter authores ibi allegatos Pater Thomas Hurtado vbi ſupra nu. 179. qui aſserit, ipſum hanc opinionem probaſse Romę, cōſultatum à Sacra Congregatione Eminentiſſimorum Cardinalium pro indice librorum anno 1622. in cenſura cuiuſdã libelli de valore, & fructu ſacrificij miſsę, compoſiti à Reuerēdo Patre Magiſtro Fratre Ioanne Dominico Montagniolo Senenſi ordinis Prędicatorũ, vbi pro eadem opinione citat Caietanum 3. part. tom. 2. opuſculor. tract. 3. quæſt. 2. ad tertium, & tertia pagina 479. art. 5. per hęc verba; arguendi ſtruendique ſimul ſunt homines ignorātes, petentes, vel exigentes pro ſua eleemoſyna totam ſibi miſsam dari, aùt ſuo defuncto, nihil enim minus ipſe habebit, ſi mille alij petant eamdem miſsam pro ſeipſo, & alijs defunctis, quam ſi pro ſe ipſo ſolo celebrari dicatur; imò ex huiuſmodi indeuotione, ſic petentis dãnum videtur incurrere, quòd minus ſibi proderit. Hęc Caietanus. Angelum verb. miſs. nu. 52. Viguerium in ſuis inſtructionibus cap. 16. §. 2. Canum lib. 2. de locis cap. 13. ad 10. Riccardum contra Lutherum art. 16. Cordubam in quæſt. 3. Petrum de Soto ſect. 3. de Euchar. Petrum Nauarra de reſt. lib. 2. cap. 2. num. 168. Nugnum quęſt. 83. art. 1. dub. 7. Ioannem Baptiſtam Conradum part. 1. reſp. quęſt. 256. qua doctrina ſuppoſita, vt principale fundamentum huius ſententię, ſic poſsumus eam probare: ſi non liceret Sacerdoti vnam, & eãdem miſſam applicare pro eo, à quo accepit iuſtum ſtipendiũ & pro alio ſimul, aut pro alijs ex charitate, gratitudine, aut liberalitate maximè eſset, quia defraudaret danti iuſtum ſtipēdium, pro celebratione ipſius miſsæ in re graui ſpirituali, vel quia prohibitum eſt Sacerdoti vnã, & eamdē miſsã pro pluribus applicare, atqui ex nullo ex his capitibus proueniri poteſt, quòd non liceat Sacerdoti vnã eamdemque miſsam applicare pro vna perſona ratione ſtipēdij accepti, & pro alia, aut alijs ſimul ex liberalitate eamdem applicare miſsam, ergo iſte modus applicandi miſsam, licitus eſt Sacerdoti; imo vt aduertit Lezana vbi ſupra, & ex eo Leander à Sanct. Sacram. to. 2. tract. 8. de ſacrific. miſsę diſp. 4. quęſt. 14. eſt fauorabilis animabus pręſertim purgatorij, maior ex ſe eſt manifeſta, nam non poteſt

Digitized by Google

poteſt aſſignari alia cauſa, ob quā nō liceat Sacerdoti eamdē miſsam applicare pro vno ex ſtipendio accepto, & pro alio, aut alijs ex charitate, gratitudine, aut liberalitate. Minor autem, quoad primam partem probatur, quia ſacrificiū miſsę, quoad fructum ex opere operato habet infinitatem extenſiuam, vt ex probabiliſſima Thomiſtarum ſuppono, ergo miſsę ſacrificium pro pluribus applicatum æquè prodeſt omnibus iuxta eorum diſpoſitionem, ac ſi pro quolibet eorum in particulari applicetur tātum, ergo quando Sacerdos applicat idē miſsę ſacrificium pro vno ratione ſtipendij accepti, & ſimul pro alio, aut alijs ex charitate, liberalitate, aut gratitudine, nō defraudat elargienti iuſtum ſtipendium pro illa miſsa in re graui ſpirituali, aliàs ſacrificiū miſsę quoad valorem ex opere operato non haberet infinitatem extenſiuam, quòd eſt contra ſuppoſitionem factam ex probabiliſſima Thomiſtarum opinione, ergo in dicto caſu Sacerdos non peccabit contra iuſtitiam.

123 Nec valet ſi dicas cum Boſſio dict. tom. 1. de conſcientia part. 1. titul. 1. §. 25. num. 396. & locis ſequentibus, & num. 401. quòd Sacerdos ratione contractus initi cum elargiente iuſtū ſtipendium, tenetur ex iuſtitia pro illo applicare totum miſsę fructum certò, & abſq; periculo priuandi elargienti dictam eleemoſynam, debito fructu ſacrificij; atqui applicando pro alijs eumdem miſsę fructum exponitur periculo priuādi elargienti ſtipendium, aut elemoſynam debito fructu ſacrificij, etiamſi pro alijs dictum miſsæ fructum applicet, ex charitate, gratitudine, aut liberalitate, cū non ſit certus, imò ſit maximè dubius de infinitate valoris ſacrificij miſsę ex opere operato: ergo &c. Hoc inquam non valet, nam vt ſupra diximus reſolut. 1. adhoc vt Sacerdos poſſit miſsę ſacrificium pluribus applicare ſatis eſt, vt ſequatur opinionem probabilem, & certam moraliter, licèt talis opinio ſit debita dubietate phyſica, aut methaphyſica, atqui opinio de infinitate extenſiua ſacrificij miſsę ex opere operato, licet habeat aliquam dubietatem phyſicam, aut methaphyſicam, eſt tamen certa certitudine morali, cum ab extrinſeco ob multos, & graues Authores, qui eam tenuerunt, & nunc tenent, tum etiam ab intrinſeco propter rationes ſolidas, & firmas, in quibus nititur, ergo licitè Sacerdos abſque eò quod faciat contra iuſtitiam, poteſt vnam eamdemque miſsam applicare pro vna perſona ex iuſtitia, ratione ſtipendij accepti, & ſimul pro alia, aut alijs ex charitate, gratitudine, aut liberalitate ſaltem ſub conditione veritatis prędictę ſententię.

124 Quoad ſecundam vero partem probatur minor principalis argumenti, quia in Decretis ſacrę Congregationis, ſolùm prohibetur ſacerdotibus applicare pro pluribus perſonis eādem miſsam, & pro dictà miſsa plura ſtipendia accipere, non vero illam pro pluribus ſine ſtipendio gratis, aut alio modo applicare, ergo Sacerdos obligatus ex ſtipendio accepto ad celebrandum pro aliquo, poteſt innitendo ſententiæ illi probabiliſſimę, de valore infinito ſaltem extenſiuè miſsæ, & quæ

nullo

nullo modo à Sacra Congregatione reprobata eſt, prędictam miſſam pro alijs etiam (ſaltem vt ſupra dixi, ſub conditione veritatis prędictę ſententię) applicare, ſi ab illis id poſtuletur, vel ipſe velit, aut teneatur illos hoc ſuffragio ex charitate, gratitudine, vel alia virtute adiuuare.

125 Ad primum fundamentum oppoſitę ſententię reſpondetur concedendo maiorem, & negando minorem, & ad primam eius probationem reſpondeo, negando ſequelam, nam licèt miſſa ſacrificium ſit infiniti valoris, & ratione rei oblatę, & ea ratione quę à Chriſto Domino offertur, vt à cauſa principali, ſeu principali offerente, tamen vt pręſtet infinitum effectum, ſeu vt pręſtet totum effectum, quàm quantum eſt ex ſe pręſtare poteſt; requiritur adęquata, & infinita diſpoſitio ex parte recipientium, ſeu ex parte illorum pro quibus miſsa applicatur, cum autem in animabus exiſtentibus in purgatorio, non detur iſta diſpoſitio, ideo non ſufficit vna miſſa, vt omnes ex pœnis purgatorij liberentur: nam licet quantum eſt ex parte ſacrificij, & ex parte infinitatis extenſiuè ipſius, vna miſſa ſufficeret, vt omnes animæ à purgatorio liberarentur, iſte effectus impeditur ex parte diſpoſitionis ipſarum animarum, quia cum ſint creaturę finitę, & limitatę non poſſunt habere diſpoſitionem infinitam, & illimitatam neceſſariam adhoc, vt valor infinitus miſsę pręſtet totum effectum ſatisfactorium, quam pręſtare poteſt in ordine ad dictas animas. Sicuti eſsentia diuina, quę infinita eſt omni genere infinitatis, licèt vniatur per modum ſpeciei impreſſæ, cum intellectu beatorū, in ordine ad cauſandā viſionē beatificā, non cauſat viſionem infinitam claram Dei, ſed finitam, & limitatam maiorem, vel minorem iuxta maius, vel minus lumen gloriæ, quo eſt illuſtratus intellectus cuiuſcumque Beati iuxta menſuram ſuorum meritorum. Et ſicut ſi eſſet poſſibilis, quòd intellectus alicuius Beati eſſet illuſtratus lumine gloriæ infinito, eſſentia diuina vnita cum tali intellectu eligeret ſimul cum illo infinitam viſionem claram Dei, ita ſimiliter ſi ex parte animarum in purgatorio exiſtentium daretur infinita, & limitata diſpoſitio, adhoc vt valor miſſæ infinitus totum effectum ſatisfactorium præſtaret, quem ex ſe pręſtare poteſt, vtiquè vna ſola miſſa ſufficeret pro liberandis omnibus à pœnis purgatorij; quia tamen hęc diſpoſitio in illis nō datur, ſed ſolùm finita, & limitata; hinc prouenit, quòd licèt ſacrificium miſſæ pro omnibus applicatum, ęque illis proſit ſecundùm diſpoſitionem cuiuſcumque animæ, ac ſi pro qualibet ſeorſim ſolùm applicaretur, non ſufficiat vna miſſa pro liberandis omnibus, è dictis purgatorij pœnis, ſed requirantur plures miſſæ, quod non obſcurè declarauit Diuus Thomas 3. part. quæſt. 79. art. 5. in corpore, vbi poſtquam præmiſit diſtinctionem de Sacrificio miſſæ in quantum Sacramentum, & in quantum ſacrificium, loquendo de illo in quātum ſacrificium eſt, inquit, in quantum verò eſt ſacrificiū habet vim ſatisfactiuam, ſed in ſatisfactione magis attendi-

Digitized by Google

tur affectus offerentis, quam quantitas oblationis, vndè & Dominus dixit Lucæ 21. de vidua, quæ obtulit duo æra; quod plus omnibus miſit. Quãuis, ergo hæc oblatio ex ſui quantitate ſufficiat ad ſatisfaciendum pro omni pœna, tamen ſit ſatisfactoria illis pro quibus offertur, vel etiam offerentibus ſecundùm quantitatem ſuæ deuotionis, & non pro tota pœna. Quid clariùs deſiderari poteſt.

126 Ad ſecundam probationem eiuſdem minoris, patet manifeſtè ex dictis, ad probationem ptimam dictæ minoris numero præcedenti, nam vt ibi diximus, licèt miſſæ ſacrificium ratione ſuæ infinitatis, ſeù valoris infiniti ſufficiat quantum eſt ex parte ipſius valoris infiniti ad remittendam totam pœnam temporalem, nihilominus totam actu non remittit non ex defectu, ſcilicet ſuæ infinitatis, ſed ex defectu diſpoſitionis ex parte ſubiecti ſcilicèt creaturæ, cui remittenda eſt tota temporalis pœna, quæ non habet totam diſpoſitionem requiſitam generalitèr loquendo, adhoc vt per infinitatem valoris ſacrificij miſſæ, tota ei pœna temporalis remittatur. Si autem ſit aliqua creatura, quæ habeat totam diſpoſitionem requiſitam, & neceſſariam, adhoc vt valor infinitus ſacrificij miſſæ pro dicta creatura applicatus, ſuum adæquatum præſtet effectum abſq; dubio, vna ſola miſſa ſufficiet, vt dictæ creaturæ tota temporalis pœna pro ſuis peccatis debita ei remittatur. Quia tamen hoc non conſtat Eccleſiæ, & fidelibus, neceſſe eſt, vt pro animabus exiſtentibus in purgatorio, frequenter fideles plures, & plures miſſas facere pro eiſdem animabus purgatorij celebrari.

127 Ad tertiam probationem eiuſdem minoris, reſpondetur cum Lezana tomo quarto ſumm. regularium verbo miſſæ numer. 5. quòd valor infinitus ſacrificij miſſę, quem habet tùm ratione rei oblatę, tum etiam ex parte principalis offerentis, ſcilicèt ipſius Chriſti non minoratur, aut limitatur ab inſtrumento, ſcilicet Sacerdote celebrante, vt conſtat non ſolum in naturalibus, ſed maximè in moralibus, cum inſtrumentum non poſſit limitare valorem, aut dignitatem cauſæ principalis, ſi quidem euidens eſt eleemoſynam, ſeù quodcumque aliud opus factum ab aliquo per Famulum, vel Miniſtrum non perdere valorem ſuum, aut limitari ex malitia talis Famuli, vel Miniſtri. Quod etiam contingit etiam in Sacramentis, cum conſtet ipſorum valorem, aut virtutem non perdi, aut limitari ex prauitate, aut malitia Miniſtrantis illa; cum autem Sacerdos ſit cauſa inſtrumentalis reproductiua corporis, & ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini in Sacramento Euchariſtię (ſiue ſit cauſa inſtrumentalis phyſica, ſiuè moralis, ſecundum de hoc diuerſitatem opinionum; de quo nunc nõ diſputo, quia non eſt huius loci, & Deus optimus maximus ſit cauſa principalis, & ſimilitèr ſacerdos offerens dictum Sacramentum, vt ſacrificiũ Deo in ſatisfactionem peccatorum fidelium, ſit inſtrumentum, & Chriſtus Dominus ſit offerens principalis dictum ſacrificiũ; hinc eſt quod infi.

Digitized by Google

infinitas valoris ſacrificij miſſę non minuatur, aut limitetur ab offerente inſtrumentaliter dictum ſacrificium, ſcilicet Sacerdote, & ſi inſtes, ergo etiam Sacramēta dici debent valoris infiniti, ſiquidem ad illorum effectus concurrit etiam Chriſtus Dominus iuxta cōmuniorem Theologorum ſententiā. Reſpondeo; cum eodem Lezana dicto nu. 5. diuerſimodè concurrere Chriſtum Dominū cum Sacramentis, ac cum Sacerdote immolante, ſeù ſacrificante, cum illis enim ſolùm cōcurrit, vt cauſa vniuerſalis; cum Sacerdote autem etiam, vt cauſa particularis, ſeipſum illo mediante immolans, & ſacrificans, ac proindè tali immolationi, ſeù ſacrificio infinitam dignitatem, aut valorem conferens.

128 Ad ſecundum argumētum reſpondent Marchinus de Sacr. ord. part. 2. tract. 3. cap. 17. Pater Thom. Hurtadus dict. tract. 2. de oblig. Sacerd. cap. 4. reſol. 17. nu. 183. & 184. & Diana dict. part. 10. tract. 15. reſolut. 43. §. nota vero; Pater Leandrus à Sāctiſſimo Sacramento to. 2. tract. 8. de ſacrificio miſſę diſput. 4. de ſtipendio miſſę quęſt. 15. concedendo ſequelam dicti argumenti, quia illis non videtur inconueniens, quòd regulares quando in aliquibus diebus miſſas celebrant pro defunctis ſui ordinis, aut pro ſuis benefactoribus, quod poſſint pro eiſdem miſſis celebrādis pro alijs perſonis congrua ſtipendia ab ipſis accipere, & applicando miſſas illarū dierum pro vtraq; obligatione, vna orta ex ſtipendio, & ratione iuſtitię, & altera orta ex obligatione ſuarum Cōſtitutionum, aut ex charitate, vel liberalitate vtrique obligationi ſatisfacere, abſq; eo quòd peccent mortaliter, imò nec venialiter ſi Conſtitutiones ordinum nō obligant ad culpam, Cuius rationem reddunt, quia Sacerdoti ſolùm prohibetur offerre idem ſacrificium pro multis, quibus ex iuſtitia ratione ſtipendij accepti, tenetur, nō verò prohibetur offerre pro vno ex iuſtitia, & ſimul offerre pro alio ex ſola liberalitate, vel charitate; hoc enim ipſa Eccleſia aliquo modo pręſupponit; ſiquidem idem ſacrificium, quòd in memento pro viuis, obtuli pro Petro, qui ad celebrandum pro eo me conduxit; ſimul etiā pro defunctis in memento pro mortuis pręcepit offerre: ergo licebit Sacerdotib⁹ regularibus in illis diebus, in quibus tenentur celebrare miſſas pro defunctis ſui ordinis, aut benefactoribus pro eiſdem miſſis, & ſtipendia accipere ab vna, vel diuerſis perſonis, & pro eis dictas miſſas offerre ex iuſtitia, ratione ſtipēdiorum acceptorum ab eis, & ſimul pro ſuis fratribus defunctis, aut benefactoribus ex charitate, aut gratitudine ratione ſuorum Conſtitutionum.

129 Sed hæc reſponſio in quātum aſſerit, regulares Sacerdotes poſſe illis diebus in quibus tenentur miſſas celebrare pro aliquo, vel aliquibus religioſis defunctis ſui ordinis, ratione ſuarum Conſtitutionum, poſſe in illis diebus pro eiſdem miſſis celebrandis pro alijs perſonis ſtipendia accipere, & vtrique obligationi ſatisfacere, applicādo dictas miſſas in illis diebus pro illis perſonis, à quibus ſtipendia acceperunt, & ſimul pro defunctis religioſis fratribus ſui

ordinis, ratione ſuarum conſtitutionum mihi non probatur; imò iudico teneri ſub mortali dictos Sacerdotes regulares in illis diebus, in quibus tenentur miſſas celebrare pro defunctis fratribus ſui ordinis, non accipere ſtipendia ab alijs perſonis pro eiſdem miſſis celebrandis, & ſi ſecus fecerint manebunt ad reſtitutionem obligati, ita Boſſius dicto tom. 1. de conſcient. part. 1. tit. 1. §. 25. à nu. 412. vſq; ad 414. quòd ſic probo, ratione meo videri efficaci. Quia Sacerdos non poteſt eadem miſſa duplici obligationi, ad quam tenetur ex iuſtitia ſatisfacere; atqui quando Sacerdos tenetur miſſam celebrare pro aliquo religioſo defuncto ſui ordinis, ex vi ſuarum conſtitutionum tenetur ex iuſtitia dictam miſſam, pro dicto defũcto religioſo applicare, ergo non poteſt illam pro alio applicare, & pro applicatione accipere congruũ ſtipendium; aliàs enim vnica miſſa duplici obligationi ex iuſtitia ſatisfaceret, quòd non eſt dicendum, maior eſt certa, & conceditur à Doctoribus citatis in præcedenti ſolutione, minor verò in qua poteſt eſſe difficultas probatur; quia profeſſio, ſollemnis, quam faciunt religioſi regulares, eſt quidem contractus celebratus inter regularem, & ipſam religionem, quo cõtractu religioſus ſe obligat religioni ad obſeruantiam regulæ, & conſtitutionem, & ad omnia ea, quæ ad ſtatum religionis pertinent, & Religio ſe obligat illi obſeruare ea, quæ in regula, aut cõſtitutione pręcipiuntur in fauorem, tam temporalem, quam ſpiritualem ipſius religioſi; ergo cum conſtitutio religionis ordinet, & præcipiat, vt pro quolibet religioſo defuncto miſſæ celebrentur tali, vel talibus diebus à Sacerdotibus dictæ religionis, & pro religioſis defunctis in aliquibus diebus anni dicantur aliquæ miſſæ, ſiue priuatæ, ſiuè cantatę erunt obligati religioſi ex iuſtitia dictas miſſas applicare pro religioſo, aut religioſis defunctis. Probo conſequẽtiam, quia Prælati, & Patres, legislatores, qui dictas conſtitutiones ad bonum regimen religionis fecerunt, volunt, & intendunt iuxta eaſdem conſtitutiones, vt pro religioſis defũctis ordinis dictæ miſſæ applicentur, & eadem intentione dictas conſtitutiones regulariũ confirmatæ fuerunt à Summo Pontifice, quæ obligatio eſt de re graui, & ita adeſt iuxta cauſa obligandi ſub mortali: nam ſic reperitur cauſa iuſta ſatisfaciendi contractui facto à religione cum ſuis religioſis profeſſis, & iam defunctis, ergo tenetur religio ex iuſtitia dictas miſſas in conſtitutionibus aſſignatas pro defunctis fratribus pro illis ſolis applicare, & ſimiliter tenentur omnes Sacerdotes dictæ religionis prædictas miſſas pro defunctis fratribus applicare, nec tenentur obedire Prælatis, ſi contrarium illis præcipiant etiam cum pręcepto ſanctæ obedientiæ, ergo non licebit abſque culpa mortali, & obligatione reſtitutionis tam religioni in communi, quã Sacerdotibus religioſis in par- pro dictis miſſis applicãdis per conſtitutiones religionis pro religioſis defunctis, accipere ab alijs perſonis ſtipendia, & ratione huius obligationis ex iu-

ſtitia

Digitized by Google

ſtitia pro illis ſimul celebrare eaſdem miſſas.

130 Nec valet ſi dicas, quod conſtitutiones ferè omnium religionum non obligant religioſis ſub culpa etiam veniali, ſicut nec pręceptum ſuperioris niſi fiat cum ſollemnitate in conſtitutionibus præſcripta, ergo non poteſt ſtare, quod religioſi regulares, quorum conſtitutio non obligat ad culpam etiam venialem, teneantur ſub mortali culpa miſſas applicare pro defunctis fratribus, quas ex vi dictarum ſuarum conſtitutionum tenentur pro dictis religioſis defunctis celebrare. Hoc inquam non valet, nam vt benè notat Boſſius vbi ſupra nu. 414. licèt hoc verum ſit, ſi ſimplex obligatio conſtitutionis, aut præcepti præciſè, attendatur, ſecùs eſt ſi obligationi ordinationis coniungatur vel ex ordinatione, aut præcepto poſitis conſurgat maius ius, ſeù præceptū naturale iuſtitiæ, vel alterius virtutis, vt in præſenti, cum obligatione celebrādi miſſas pro defunctis ordinis, ex pacto inito cum religione iuxta ſupradicta, & poſita applicatione miſſarum, & ſuffragiorum per conſtitutiones, & voluntatem, & intentionem fundatoris religionis & ſummi Pontificis confirmantis, qui voluerunt, & intenderunt, ita obligare religioſos Sacerdotes, ad applicādas dictas miſſas pro defunctis fratribus, non ſolum ratione ordinationis, & ſimplicis obligationis conſtitutionis, ſed etiam pręcepto naturali iuſtitiæ, ratione contractus celebrati inter religionem, & religioſum profeſſum, aut religioſos profeſſos per ſuas profeſſiones ſollemnes, ratione cuius tenetur religio in communi, & tenentur religioſi Sacerdotes in particulari miſſas in cōſtitutione aſſignatas celebrare, pro quolibet religioſo poſt eius mortem, & ita licèt attendendo ad ſimplicem obligationem conſtitutionum non obligent, ad culpam etiam venialem, tamen ſi coniungatur talis obligatio conſtitutionis, cum obligatione ex præcepto naturali iuſtitiæ, vt in caſu propoſito, obligant ad culpam mortalem propter defraudationem in re graui ſpirituali animæ religioſi defuncti, non applicando illi miſſas debitas, tum ratione cōſtitutionis, tum etiam ratione præcepti naturalis iuſtitiæ, modo ſuperiùs explicato.

131 Quare ad argumentum aliter reſpondeo, negando ſequelam, quoad primam eius partē, ſcilicet poſſe Sacerdotes regulares in illis diebus, in quibus tenentur miſſas celebrare pro Defunctis fratribus ſui ordinis, poſſe eaſdem miſſas pro alijs ex ſtipendio applicare. Nam vt ſupra dixi impugnando pręcedētem reſponſionem dicti argumenti, Sacerdotes regulares nō ſolùm tenentur in illis diebus dictas miſſas pro Defunctis fratribus ſui ordinis, celebrare ex ordinatione ſimplici ſuarum conſtitutionum, ſed etiam ex præcepto naturalis iuſtitiæ, quare iſta obligatio duplici ex capite ligat, & obligat Sacerdotes regulares ad dictas miſſas pro ſuis fratribus defunctis celebrare, & ratione ſuarum Cōſtitutionum, & etiam ratione pręcepti naturalis iuſtitię, quare alitèr faciendo, peccant mortalitèr contra pręceptum natu-

rale

râle iuſtitię,& manent obligati, ſi pro alijs ex ſtipendio dictas miſſas applicent, iterum alias miſſas celebrare pro Defunctis fratribus, cum prohibitum ſit Sacerdotibus, vna eademque miſſa duplici obligationi ex iuſtitia ſatisfacere.

132 Dixi quoad primam partē, ſequelę, quia certum mihi eſt, quod quando regulares Sacerdotes in ſatisfactionem beneficiorum, aliquas miſſas celebrant pro benefactoribus ſui ordinis, poſſunt etiam ſimul eaſdem miſſas applicare pro aliis perſonis ex ſtipendio, nam obligatio ex gratitudine nō eſt obligatio ex iuſtitia, & ex charitate, & ex virtute gratitudinis, & beneuolentię, cum autem vt ſupra probauimus, poſſit licitè Sacerdos, ſiuè ſęcularis, ſiuè regularis, vna eademquè miſſa duplici obligationi ſatisfacere, quarum vna ſit ex iuſtitia, & altera ex charitate, gratitudine, aut liberalitate, ideò poſsũt ſimul eaſdē miſſas applicare Sacerdotes regulares pro benefactoribus ſui ordinis, & ſimul pro alijs perſonis ex iuſto ſtipendio; quidquid in contrarium dicat Boſſius, vbi ſupra nu. 412. & 414. nam obligatio, quàm habent regulares ſuis benefactoribus, nō eſt obligatio ex pręcepto naturali iuſtitię, ſed ex mera gratitudine, & charitate; nec benefactòres, quando ſuis eleemoſynis ſuccurrunt neceſſitati regularium, intendunt illos obligare ex iuſtitia, vt pro illis miſſas celebrent, & non pro alijs, vt ex communi vſu fidelium benefactorum regularium conſtat, qui quando faciũt dictas eleemoſynas, ſolùm ſe commendãt ſuis orationibus, & vt à Deo petent augmentum, tàm temporale, quàm ſpirituale ipſorũ benefactorum, quòd non eſt, illos velle obligare titulo iuſtitię, ſed ſolùm titulo gratitudinis, & liberalitatis.

RESOLVTIO SEPTIMA.

Vtrùm Cappellanus, qui ratione fundationis Cappellanię, tenetur omnibus Sabbathi anni, miſſam Beatiſſimę Virginis pro intentione fundatoris celebrare, teneatur dictam miſsã Beatę Virginis in dicto die celebrare, etiã ſi in illo occurrat aliquod feſtum, ex ſollemnioribus.

133 PRima ſententia affirmat, quòd ſi in diebus Sabbathi occurrat feſtum duplex, etiã ſi ſit claſſicus, dum à populo nō ſeruetur, teneri Cappellanus obligatus celebrare miſſam votiuam Beatę Virginis, illam celebrare, alias peccaret mortaliter, ita tenent DD. citati qui reſolutione pręced. affirmarũt miſſę valorem ex opere operato eſſe finitum, & limitatum. Prima pars huius ſentẽtię probatur, quia Cappellanus non poteſt mutare ſine cauſa iuſta, & legitima voluntatem Teſtatoris tribuentis illi eleemoſynã, vt in dictis diebus miſſam celebret Beatę Virginis, atqui occurrentia feſti alicuius Sãcti ſub ritu duplici recitandi, dum à populo non ſeruetur, non eſt cauſa ſufficiens mutandi volũtatem Teſtatoris, ſeù fundatoris Cappellanię, ergo Cappellanus tenetur dictam miſſam Beatę Virginis celebrare, etiam ſi occurrat feſtum duplex alicuius Sancti, cum valor miſſę

eſt

Digitized by Google

eſt ritibus precibus, & orationibus, ab Eccleſia inſtitutis creſcat, vnde miſſa de Defunctis plus eis prodeſt, quam alia; nõ enim omnes miſſę ſunt eiuſdem valoris ex opere operato.

134 Quoad ſecundam vero partem probatur, quia occurrẽtia alicuius feſti ſollemnis in dicto die Sabbathi, in quo Cappellanus tenetur celebrare miſſam Beatæ Virginis, eſt ſufficiens cauſa ad mutandam voluntatẽ teſtatoris, quia voluntas teſtatoris intelligenda eſt ciuili modo, & moraliter, & non debet prædicta voluntas teſtatoris preualere Eccleſiæ, ordini, & ritui; ergo in dictis diebus feſtiuis non tenetur Cappellanus dictam miſſam Beatę Virginis celebrare, imò ſi illam celebret, peccabit mortaliter, peruertẽdo Eccleſię ordinem, & ritum.

135 Secunda ſententia ſubtinet, non teneri Cappellanum miſsã Beatæ Virginis in diebus Sabbathi celebrare, ſi in illis occurrat feſtum aliquod duplex, ſiue à populo ſeruetur, ſiuè non, ita Fagundez in præcepta Eccleſię precepto 1. lib. 3. cap. 9. nu. 6. Gauantus in Comment. ad rubric. miſſal. tom. 1. part. 3. tit. 13. nu. 20. & 21. Peirynus in priuilegijs minimorum tom. 1. conſtit. 5. Leonis Decimi nu. 2. Fraxinel. de oblig. Sacerd. ſect. 4. concl. 4. §. 4. Siluius in 3. part. queſt. 7. art. 9. ad 5. Azor. part. 1. lib. 10. cap. 32. qu. 5. Emanuel Sà verbo miſſa n. 48. Homobon. de exam. Eccl. part. 1. tract. 4. c. 14. qu. 126. quos citat, & ſequit. Diana par. 2. tract. 14. de celebr. miſſ. reſ. 31. Lezana to. 1. ſumm. regul. cap. 21. num. 28. & abſolutè, & abſque aliqua limitatione, aut ſcrupulo loquitur Villalobos in ſumma tom. 1. tract. 8. difficul. 31. num. 6. vbi ſic aſſerit. El que eſta obligado a dezir vna miſſa v. g. de nueſtra Señora, y dize la del dia, cumple baſtantemente, como ſea ſin ſcandalo, que el dezir eſta miſſa ò aquella es accidental. Idẽ etiam docet Ioannes de la Crux in directorio conſcientię part. 2. de ſacrificio miſsę queſt. 4. dub. 2. concluſ. 2. Suarez tom. 3. in 3. part. diſput. 83. ſect. 3. fundamentum huius ſententię eſt, quia omnes miſſę ſunt equales in valore, cum valor miſſę ſit infinitus ſaltem extenſiue, ergo tantùm valet miſſa de Sancto applicato pro anima ſeu intentione fundatoris Cappellaniæ, ac valet miſſa de Beata Virgine, & quamuis miſſa de Beata Virgine plus valeat teſtatori ex opere operantis, quia iſte valor ex opere operantis ſumitur ex orationibus Eccleſię, quę in tali miſſa vtuntur, hic tamen exceſſus ſuppleri poteſt intercesſione Sancti de quo dicitur miſſa, & deuotione Sacerdotis, vt ex Laurentio de Peirynis, Gauanto, & Barboſa notat Lezana num. 28. ſuperiùs citato in fine, ergo abſque ſcrupulo poterit Sacerdos miſſam celebrare de Sancto duplici, occurrẽte in die Sabbathi, non obſtante voluntate teſtatoris, ſeù fundatoris Cappellanię, qui ordinet in dicta fundatione miſsã de B. Virgine celebrari à Cappellano.

136 Dico 1. Sacerdos Cappellanus obligatus ratione Cappellanię, ad celebrandum omnibus Sabbathis Miſſam Beatiſſimæ Virginis, non tenetur omnibus Sabbathis anni dictam miſſam de Beata Virgine celebrare, etiam ſi id exprimatur in fundatione Cappellanię, ita omnes Canoniſtę ad caput; quidam laicorum

corum de Celebratione miſſarũ Abbas num.3. Decius nu.5. Romanus conſil.379. dicentes fundationem Cappellaniȩ contra rubr. miſſalis Romani inutiles eſſe, vbi habetur tit. de miſs. vot. num. 3. quod iſtȩ poſſunt dici pro arbitrio Sacerdotis, quocumque die non eſt officium duplex. Quos citat, & ſequitur Pater Thomas Hurtado tom. 1. reſolut. moral. tract. 2. cap. 4. reſolut. 13. à num. 100. Probatur hȩc concluſio, quia nullus poteſt diſpenſare in Rubricis miſſalis, ergo diſpoſitio cõtra illas eſt inutilis, atqui in Rubricis miſſalis Romani prȩcipitur Sacerdotibus, vt non celebrent miſsas votiuas in feſtis duplicibus, ergo Cappellanus, qui ex Cappellania tenetur miſsam Beatȩ Virginis, omnibus anni Sabbathis celebrare, iuxta intẽtionem fundatoris dictȩ Cappellaniȩ, ſi in illis occurrat feſtum duplex, non tenebitur miſsam de Beata Virgine celebrare etiam ſi id exprimatur in fundatione Cappellaniȩ, quia talis diſpoſitio fundatoris eſt inutilis, vtpotè contra rubricas miſsalis Romani, in quibus fũdator Cappellaniȩ non poteſt diſpenſare.

137 Ex dictis infero, quod Sacerdos Cappellanus in feſtis duplicibus, ſi ſint de prȩcepto, tenetur non dicere miſsam in die Sabbatbi de Beata Virgine, ſed debet dicere de die, & hoc ſub peccato mortali, in aliis vero feſtis duplicibas, quȩ occurrũt in illis diebus Sabbathi, & non ſunt de prȩcepto, poteſt dictus Cappellanus celebrare miſsam de Beata Virgine ad adimplendam teſtatoris voluntatem. Sic refert Gauantus prima parte tit. 5. num. 2. declarauit Sacra Rituum Congregatio in vna Pampilonenſi prim. Septembr. 1607. & 20. Iunij 1626. quȩ Sacra rituum Congregatio die 26. Aprilis 1627. etiam declarauit, quod ſi occurrat feſtum duplex, de prȩcepto in die Altaris priuilegiati, non eſt dicenda miſsa de requie in illo.

138 Dico ſecundo, ſi fundator Cappellaniȩ exprimat in dicta fundatione, quod Cappellanus teneatur omnibus Sabbathis anni pro ſua intentione celebrare miſsam de Beata Virgine, & hȩc fundatio dictȩ Cappellaniȩ cõfirmatur à Summo Pontifice, poterit Cappellanus omnibus Sabbathis anni miſsam de Beata Virgine celebrare, quocumque feſto in illis occurrente, ita Thomas Hurtado vbi ſupra num. 112. Probatur concluſio, quia Summus Pontifex poteſt diſpenſare in Rubricis miſsalis Romani, atqui confirmando dictam Cappellaniam in dictis rubricis videtur diſpenſare, ergo poterit Cappellanus obligatus celebrare omnibus anni Sabbathis miſsam de Beata Virgine, ratione dictȩ Cappellaniȩ confirmatȩ à ſummo Põtifice, dictam miſsam de Beata Virgine dictis Sabbathis celebrare, etiam ſi in illis occurrat feſtum duplex quod à populo ſeruetur. Notanter dixi, poteſt, quia in diebus primȩ claſſis exiſtimo, cum dicto Patre Thoma Hurtado in dicto numero 112. poſse Sacerdotem omittere talem miſsam de Beata Virgine, etiam ſi Summus Pontifex diſpenſet.

139 Ex dictis infero, quod cum in noſtris Conſtitutionibus prȩcipiatur, vt in toto ordine noſtro omnibus anni Sabbathis, miſsa ſollemnis fiat de Beatiſſima

ma Virgine cum duplici commemoratione de Spiritu ſãcto, & Beato Ioſepho, vt habetur diſtin. 1. cap. 5. per hęc verba, Quoniam religio noſtra Beatiſſima Virgine reuelante, fundata eſt (vt à Sanctiſſimo Domino Clemente Papa 8. in bulla Canonizationis Sancti Raymundi de Pegnafort declaratũ fuit) & ſic ſub eius militat patrocinio, tãquam ſub præſidio tutiſſimo, ſtatuimus, vt in tanti beneficij memoriã, in iſto noſtro excalceatorum ordine ſingulis anni Sabbathis, primo manè, expleta oratione mentali, & prima, & tertia (ſi tunc dicatur) fiat miſſa ſollemnis de Beatiſſima Virgine, cum duplici commemoratione de Spiritu Sancto, & beato Ioſepho; cui omnes religioſi cuiuſcumque gradus, & conditionis ſint, qualibet excuſatione remota (præter eam, quæ Prelato grauis videatur, & vrgens) teneantur aſſiſtere, illa verò pro aſſiſtentibus, & legitimè impeditis à Prelato applicetur, vel ſi dotata fuerit alia miſsa ſollemnis, pro eiſdem eſt applicanda; & pro altera ſubrogãda. Quarè dicta miſſa ſollemnis de Beata Virgine poteſt, & debet dici in toto ordine noſtro, omnibus anni Sabbathis, quocumque feſto etiam primæ Claſſis occurrenti in dicto die, cum ſolis illis duabus cõmemorationibus in dicta Cõſtitutione aſſignatis de Spiritu ſancto, & Beato Ioſepho; quia cum conſtitutio noſtra ſit confirmata ex certa ſcientia, & de plenitudinis poteſtate à ſanctiſſimo Domino noſtro Vrbano Papa 8. felicis recordationis, dicta ſua confirmatione diſpenſauit in Rubricis Miſſalis Romani in ordine ad dictã miſſam ſollemnem de Beatiſſima Virgine, in dicta forma omnibus Sabbathis anni, in toto noſtro ordine celebrandam, ob rationem dictam in præſenti concluſione.

140 Dico 3. Cappellanũ obligatũ celebrare, ratione Cappellaniæ omnibus anni ſabbathis miſſam de Beata Virgine, grauitèr peccare ſi diebus, quibus liberum eſt illi celebrare, dictam miſſam de Beata Virgine non celebret, & ita dico de Cappellano obligato in aliquibus diebus miſſam de requie celebrare, ſi vel in inſtitutione Cappellaniæ expræſſum ſit, vel ſi promiſit danti eleemoſynam talem miſſam votiuam, aut de requie dicere. Hanc concluſionem ſtatuo cõtra Dianam, Villalobos, & alios & pręcipuè contra Philibertum Marchinum, vbi ſupra; qui vt benè notat Pater Thomas Hurtadus dicta reſolutione 13. nu. 113. ſatis inconſequenter loquitur: dicit enim concluſion. 2. quod etiam ſi Sacerdos miſſam de requie promiſit dicere ex iuſto ſtipendio accepto ab aliqua perſona, poteſt dicere miſſam diei etiam ferialis, & concl. 4. dixit; quod ſi promiſit dicere miſſam votiuam de Spiritu ſancto, aut de Beata Virgine, tenetur illam celebrare, aliàs peccaret contra fidelitatem, & iuſtitiam. Et reddit rationem diſparitatis, quia miſſæ votiuæ ordinantur primariò, & ex natura ſua ad impetrandum à Deo aliquod beneficium, vel ad cultũ alicuius Sancti, & ſic ſicuti qui ex inſtitutione Cappellaniæ, tenetur celebrare in aliquo altari in cultum illius, non poteſt aliter facere; ita qui promittit dicere miſſam votiuam propter eamdem rationem; at miſſa de requiẽ principaliter ordinatur

ad reſtitutionem pœnę temporalis peccatis debitam, quæ remiſſio æquè fit per quamcumq; miſſam.

141 Sed hæc diſparitas inconſequens eſt, vt benè probat Pater Thomas Hurtado, vbi ſupra nu. 115. quia ſicut miſſa votiua eſt primario ordinata in cultũ Dei, & honorem alicuius Sãcti, ita miſſa de requie primariò eſt inſtituta in cultum Dei, & in ſubleuamen animarum. Quare ſicut contra iuſtitiam eſt dicere aliam miſſam, quia contra voluntatem poſcentis, non defertur ille ſpecialis honor Sancto; ita ſi non dicatur miſſa de requie contra voluntatem teſtatoris, aut depoſcentis, auffertur illud ſpeciale leuamen, quòd confertur animabus exiſtẽtibus in purgatorio per orationes, & alia ſpecialia, quæ in tali miſſa dicuntur, quarè ſicut in votiuis tenetur, ita, & in miſſis de requie.

142 Confirmatur ex declaratione ſupra relata ſacrę Congregationis rituum in vna Pampilonenſi, in qua permittitur dici miſſam de requie in diebus duplicibus, non de præcepto ad adimplendas teſtatorum voluntates, ergo aliquod ſpeciale iuuamen habet huiuſmodi miſſa, ergo illud auferre contra iuſtitiam eſt, quod eſſe indubitatum nullus Catholicus ambigit, vt notat Fagundez vbi ſupra cap. 20. nu. 12. itaque pretij valor ſacrificij ex opere operato ex ritibus, & ſacris ceremonijs, & ſic illis pro quibus offertur magis prodeſt ad ſatisfactionem pœnarum miſſa de requie, quàm quęlibet alia. Dixi ex opere operato, non ipſius ſacrificij incruenti, ſed ipſius miſſę, quę includit cœremonias, & orationes ſpeciales, ergo illud auferre contra iuſtitiam eſt.

143 Ad fundamentum primæ ſententiæ, quoad primam eius partem, libentèr fateor Cappellanum obligatum ratione ſuæ Cappellanię, omnibus ſabbathis anni celebrare miſſam de Beata Virgine, teneri dictam miſſam celebrare in dicta die, etiam ſi occurrat feſtum duplex, dum à populo non ſeruetur, & idem dicendum puto de Cappellano obligato aliquibus diebus celebrare miſſam de requie, ex voluntate teſtatoris; aut dantis ſtipendium pro dicta miſſa, quod colligitur ex declaratione ſupra relata ſacrę Congregationis rituũ in vna Pampilonenſi. Probatio pro ſecunda parte huius ſententię fauet noſtram primã concluſionem, nam vt ibi diximus teſtator, ſeù fundator Cappellanię, non habet authoritatem diſpenſandi in ritibus miſſalis Romani, cum hoc ſolùm pertineat ad Summum Pontificem, & ideo quamuis teſtator, vel fundator Cappellaniæ in ipſa fundatione exprimat, quòd Cappellanus teneatur celebrare miſſam votiuam de Beata Virgine, vel de Spiritu ſancto, aut de requie, in tali die determinato, etiam ſi talis dies ſit feſtiuus, non tenetur Cappellanus adimplere voluntatem teſtatoris; quia vt ſupra diximus illa voluntas eſt inutilis cenſenda, imo tenetur ſub mortali miſſam de die feſto celebrare.

144 Ad fundamentum ſecundæ ſententię, reſpõdetur cõcedẽdo antecedens, & negando primam conſequentiam, in ſenſu à nobis explicato in 3. concl. quia licèt valor ſacrificij miſſę ex opere operato ſit infinitus, & cõſequẽter æqualis in omnibus miſſis; nihi-

Digitized by Google

nihilo minus, vt ibi diximus creſcit valor miſſæ ex opere operato, ex ritibus, & ſacris cœremonijs, & ſic illis pro quibus offertur, magis prodeſt ad ſatiſfactionem pœnarum, miſſa de Beata Virgine, aut de requie, quàm quælibet alia, quæ miſſæ includunt cœremonias, & orationes ſpeciales, & ideò Cappellanus tenetur ex iuſtitia, quando poteſt, & ideo eſt permiſsũ, dictas miſſas votiuas, aut de requie celebrare, & adimplere voluntatẽ teſtatoris, aut fundatoris Cappellaniæ. Cum autem Sacerdotibus permittatur miſſas votiuas, aut de requie celebrare in illis diebus, in quibus occurrit feſtum duplex, dum à Populo non ſeruetur, vt conſtat ex ſupradicta declaratione Sacræ Congregationis rituũ in vna Pampilonẽſi, ideò Cappellanus faciet contra iuſtitiam, non adimplendo in illis diebus voluntatem teſtatoris, ſeù fundatoris Cappellaniæ miſſam celebrando iuxta eius voluntatem, & intentionem, vt in dicta 3. concl. diximus.

RESOLVTIO OCTAVA.

Vtrùm Cappellanus obligatus ad celebrandum in Altari priuilegiato pro animabus purgatorij, ſatisfaciat ſuæ obligationi, celebrando in alio Altari non priuilegiato, cum calculo indulgẽtiarum v. g. Sancti Caroli liberante animam de purgatorio.

145 PRima ſententia negat poſſe Sacerdotem obligatũ celebrare miſſam in Altari priuilegiato ratione Cappellaniæ, aut ratione ſtipendij accepti pro miſſa celebranda in dicto Altari priuilegiato, ſuæ obligationi ſatisfacere, celebrando in alio Altari cum calculo benedicto v. g. Sancti Caroli, applicando indulgentiam plenariam, quam aſſequitur in virtute coronæ, vel medaliȩ benedictæ. Ita Gauantus in rubricis miſſalis tom. 1. part. 3. tit. 12. num. 5. vbi ſic ait, qui tenetur celebrare in Altari priuilegiato pro defunctis, & alibi celebrat cũ numiſmate v. g. Sancti Caroli, quo animam liberare poteſt à purgatorio, peccat mortaliter; tum quia non ſeruat pactum, tum quia tutius eſt priuilegium Altaris, quàm numiſmatis, de quo dubitari poteſt, an ſit benedictum. Ita Gauantus, Diana part. 2. tract. 14. reſolut. 29. Bonacina tom. 1. diſp. 4. de Euchar. quæſt. vltima pun. 7. §. 4. num. 5. in fin. Homobonus tract. 4. de exam. Eccl. cap. 13. quæſt. 123. & alij. Fundamẽtũ huius ſentẽtiȩ eſt, quia ſacerdos, qui tenetur celebrare in Altari priuilegiato, vel ratione Cappellaniȩ, vel ratione ſtipendij accepti, debet ſeruare contractum initum inter Sacerdotem ipſum, & perſonã pro qua ſe obligauit, miſſam celebrare in Altari priuilegiato, ex iuſto ſtipendio ab illo accepto, & nullo modo violare fidem; atqui celebrando dictam miſsã in alio Altari non priuilegiato, etiamſi illam celebret, applicando dictæ perſonæ indulgentiã plenariam, quam aſſequitur in virtute coronȩ, aut calculi benedicti v. g. Sancti Caroli, violat fidem, cum detrimento graui ſpirituali illius animæ exiſtentis in purgatorio, pro qua tenetur dictam miſſam celebrare, ergo peccat mortaliter, & ſuæ obligationi non ſatisfacit. Maior eſt certa, & minor probatur, quia indulgentia cõceſſa

calculo benedicto, coronæ, aut meraliæ benedictæ, non eſt tam certa, quam eſt indulgentia cõceſſa Altari priuilegiato, quæ conceditur à Summo Pontifice per breue Pontificium, & authenticum, & ita de indulgentia Altaris priuilegiati, non eſt dubitandi locus, & maximè poteſt dubitari de calculo v.g. Sãcti Caroli, de corona, vel meralia, an ſit benedicta, ergo Sacerdos obligatus celebrare ratione iuſti ſtipendij in Altari priuilegiato, fidem violat in detrimẽtum grauæ animæ purgatorij, pro qua tenetur celebrare miſſam in Altari priuilegiato, celebrando illam in alio Altari non priuilegiato, cum numiſmate, corona, vel meralia benedicta.

146 Secunda ſententia, & quæ mihi verior, & probabilior videtur ſubſtinet, quòd Sacerdos obligatus miſſam celebrare titulo Cappellaniæ, aut ratione ſtipendij in Altari priuilegiato, pro aliqua anima exiſtenti in purgatorio, ſatisfacit ſuæ obligationi, celebrando dictam miſſam in alio Altari cum numiſmate benedicto v.g. Sancti Caroli, applicando illi indulgentiam plenariã, quam aſſequitur virtute ipſius numiſmatis, aut virtute coronæ, vel meraliæ benedictæ, ita tenent Fraxinellus de obligatione Sacerdotũ tract. 4. concl. 4. §. 9. num. 2. in Edit. 8. Alſonſus de Leone de offit. & poteſt. confeſſarij tempore Iubilei part. 3. num. 29. Ruteus de fructu ſacrificij miſſæ diſput. 3. quæſt. 2. num. 10. Megala in varijs reſolutionibus tom. 2. reſol. 187. num. 20. Philibertus Marchinus tract. 3. de Sacram. ord. part. 2. cap. 24. num. 8. Diana part. 4. tract. 4. reſolut. 40. & par. 6. tract 6. reſolut. 12. Paſqualig. in deciſinibus moralibus deciſ. 427. Pater Thomas Hurtado tom. 1. reſolutionum moralium tract. 2. cap. 4, reſolut. 10. Leander à Sanctiſſimo Sacram. part. 2. tract. 8. diſput. 8. quæſt. 70. & alij.

147 Probatur hęc ſententia, & ſimul deſtruitur fundamentum ſententię contrariæ, quia Sacerdos obligatus celebrare in Altari priuilegiato miſſam, pro anima exiſtente in purgatorio, ſiue ratione fundationis Cappellanię, ſiue ratione ſtipendij accepti ab aliqua perſona, pro celebranda tali miſſa in Altari priuilegiato, celebrando illam in alio Altari cum numiſmate benedicto, applicãdo illi indulgentiam plenariam, quam aſſequitur in virtute ipſius numiſmatis benedicti, nullo modo violat datam fidem, ratione contractus, aut quaſi cõtractus, qui eſt inter ipſum Sacerdotẽ, & fundatorem Cappellanię; aut perſonam, à qua accepit ſtipẽdium pro celebranda miſsa in Altari priuilegiato, ergo celebrando in alio Altari dictam miſſam, cum dicto numiſmate benedicto v.g. ſancti Caroli, vel alio ſimili, & applicando illi indulgentiam plenariam, quam aſſequitur in virtute dicti numiſmatis benedicti, ſatisfacit ſuę obligationi. Probo antecedens, & pro eius probatione, ſuppono cum Patre Zaccharia Paſſqualigio dicta deciſione 427. quòd qui petit miſſam in Altari priuilegiato pro aliquo defũcto celebrandam, duo petit, & celebrationem ſacrificij applicationemque fructus illius ſacrificij, & obtentionem indulgẽtię plenarię, per modum ſuffragij pro tali anima, quę duo petit, vt media ab obtinẽdã liberationẽ illius

illius animæ è pęnis purgatorij. Hæc autē duo præſtat ſacerdos, celebrando miſſam in Altari nō priuilegiato cum numiſmate benedicto, cui annexa eſt indulgentia plenaria, nam celebrat miſsam pro illa anima, & illi applicat indulgentiam plenariā per modum ſuffragij, vnde habentur eadem media, & idem finis. Quo ſuppoſito ſic antecedens probo ſcilicet, quod in tali caſu ſacerdos celebrās miſſam, cum calculo benedicto v.g. ſancti Caroli, vel alio ſimili, cui annexa ſit indulgētia plenaria, non violet fidem debitam obſeruare, petenti miſsam pro aliquo defuncto in Altari priuilegiato, quia ſacerdos iſte celebrando dictam miſsam ſoluit, quod ipſe petens miſsā intēdit, ergo nullo modo violat illi fidem, probatur hoc antecedēs, nam petens miſsam in Altari priuilegiato, nihil aliud intēdit, niſi quod illud ſacrificiū, quod ipſe petit celebrari pro anima defūcti, annexā habeat indulgētiam plenariā animā dicti defūcti liberātē de purgatorio; quia quando celebratur miſsa in tali Altari, non eſt intuitu Altaris, ſed intuitu indulgentię; vnde Altare materialiter ſe habet, nec cadit per ſe ſub intentionē petentis dictam miſsam, ergo celebrando illam in quocumq; Altari cum numiſmate benedicto, adimplet voluntatem petētis dictam miſsam in Altari priuilegiato, ſoluitque omne id, quod ipſe intendit in petitione talis miſsę, ergo nullo modo violat illi fidem, probo hanc vltimam conſequentiam, quia dictus ſacerdos celebrans ſupradictam miſsam, quam tenebatur celebrare in Altari priuilegiato, iuxta intētionem petētis illam, in alio Altari cum numiſmate benedicto; non violat fidem, nec quia non adimplet voluntatem petentis dictam miſſam, nec ſoluit, quod ipſe intendit, vt iam probatum eſt, neque violat fidem, quia promittens miſſam in Altari priuilegiato, non poſſit in alio Altari dictam miſſam celebrare, nam promittens miſſam in Altari priuilegiato, nihil aliud promittit, niſi miſſam coniunctam, cum indulgentia plenaria per modū ſuffragij; quæ coniūctio optimè fit celebrando dictam miſſam in alio Altari, cum numiſmate benedicto, cui annexa ſit indulgentia plenaria, cum promittat miſſam celebrare in Altari priuilegiato, non ratione Altaris præcisè, ſed quatenus habet priuilegium, vt celebratio miſſę ſit adiuncta, cum diſpenſatione meritorum Chriſti per modum ſuffragij, atqui hoc priuilegium etiam eſt annexum numiſmati benedicto, cum quo qui celebrat pro Defūctis ex opere operato, animam de purgatorio liberat, ergo dictus Sacerdos ſic dictam miſſam celebrando, adimplet totum quod promiſerat, ergo neque ex hoc capite violat fidem. Sicut ſi quis petenti aureū, illud promitteret, non violaret fidem ſi nō daret illud ipſum, ſed aliud eiuſdem valoris, & impræſſionis.

148 Aduerto tamen cum Doctoribus citatis pro noſtra ſententia, quod licèt Sacerdos obligatus ex ſtipendio ad celebrandā miſsā in Altari priuilegiato, pro aliquo defuncto poſſit illam celebrare in alio Altari cum numiſmate, aut corona benedicta, cui annexa ſit indulgentia plenaria, abſq; eò quòd mortalitèr peccet, tamen hoc non habet locum,

ſi teſtator expræſſerit in fundatione Cappellanię, aut tribuens eleemoſynam ſe velle miſſam celebrari in hoc Altari priuilegiato, non ſolùm, quia priuilegiatum eſt, ſed etiam in illius honorem, aut imaginis alicuius Sancti, collocati in dicto Altari priuilegiato, quia tunc tenebitur ſub mortali Sacerdos ibi celebrare, & in hoc ſenſu loquutus fuit. Pater Diana part. 2. ſupra citata tract. 18. reſolut. 29 & ſic non eſt ſibi contrarius (vt male iudicat Pater Leander à Sanctiſſimo Sacramento dicta quæſt. 80.) vt ipſe Diana ſe explicat part. 4. tract 4. reſolut. 40. itaque nos loquimur in caſu quo, petatur ſolum miſſa in Altari priuilegiato, quia tunc ſatis erit, ſi celebretur in alio Altari cum calculo indulgentiarum.

149 Notandum eſt hic pro regularibus, quod quilibet religioſus regularis liberat animam a purgatorio, cum miſſam de requie, vel aliam celebrat in Altari Spiritus Sãcti, Crucifixi, Sancti Matthiæ, vel Virginum, vel Sanctæ Mariæ Magdalenæ, vel in alio Altari ſemper, & pro ſemper aſſignando à Superiori, Miniſtro, Præpoſito, vel Guardiano &c. Quia ita conceſſit Clemens Septimus bulla 4. Gregorius 13. bulla 5. 6. 7. & 9. quod Altare priuilegiatum eſt perpetuum. Item Innocentius VIII. Bulla 8. conceſſit; quod ſi religioſus conuentualis celebret in Altari maiori, liberet animam religioſi pro ea celebrando, & animam Monialis ſi pro ea celebret in Altari maiori Chori, quòd totum refert Pater Ioannes de la Crux tract. de priuil. fol. vlt. in impræſſione an. 1631. per hæc verba.

150 Animæ, quæ à purgatorio liberantur celebrando pro eis in Altaribus religioſorum. Religioſus Conuentualis liberat animam à purgatorio, cum miſſam de requie, vel aliàm celebrando in Altari Crucifixi, vel Sancti Mathiæ, vel Virginum, vel Magdalenæ, vel Columbæ, vel in alio Altari, ſemel pro ſemper ſignando à Priore Conuentus. Ita in noſtro Compendio Prædicatorum non dum Prælo mandato bulla 1. 7. & 9. Gregorij 13. Religioſus Cõuentualis liberat animam à purgatorio, pro ea celebrãdo in Altari Crucifixi bulla 11. Gregorij 13. Religioſus Conuentualis liberat animam religioſi, pro eo celebrando in Altari maiori Eccleſiæ, & animam Monialis, celebrando pro ea in Altari maiori Chori. Ita conceſſit Innocẽtius 8. bulla 8. Quilibet Sacerdos liberat animam à purgatorio, celebrando pro ea in noſtris Altaribus Crucifixi, ex conceſſione Clementis 7. bulla 4. vel celebrando in Altaribus Beatæ Virginis, aut Spiritus Sancti. Ita Gregorius 13. Bulla 5. & 6. ita Ioannes à Crux, quo priuilegio gaudent omnes regulares, habentes bullam Pontificiam de participatione priuilegiorum, alijs religionibus conceſſorum, & concedendorum, ſeù bullam de conceſſis, & concedendis.

151 Ad fundamentum oppoſitæ ſententię, reſpondetur negando minorem, & ad eius probationem dico, falſum eſſe, quòd ſit minus certa indulgentia conceſſa Calculo benedicto coronę &c. Quam Altari priuilegiato, quando prouenit à poteſtate certa, qualis eſt illa, quæ eſt in Vicario Chriſti, & diſpenſatur ſecũdum inſtitutionem, & finẽ, pro quo Chriſtus Dominus inſtituit

ſtituit Theſaurum Eccleſię, qui fuit liberare animas è pęnis purgatorij, & condonare mediante indulgentia pœnas debitas. Vndè, ſiue Pontifex concedat hāc indulgentiam celebranti in Altari, vel celebranti cū corona, aut numiſmate benedicto, ſemper interuenit eadem poteſtas diſpenſandi, & diſpenſatio fit ſecundum finem, & inſtitutionem Chriſti; vnde indulgentia quoque habet eamdem certitudinem, & materialiter ſe habet Altare, vel Corona, vel medalia benedicta, nec conferunt ad effectum internum. Verum debet eſſe certus Sacerdos, quod ſua medalia, ſit vere benedicta à Pontifice, & celebrans cum illa liberet animam à purgatorio, cum in eam tribuens eleemoſynam non conſenſit, ſicut conſenſit in altare priuilegiatum; in quo etiamſi priuilegium non ſit nulla facta eſt iniuria, ſi autem in medalia indulgentia verè non eſt, ille remanet deceptus.

RESOLVTIO NONA.

Vtrum Sacerdos pauper, qui coactus neceſſitate, à pluribus diuerſa ſtipendia parua accepit pro tot miſſis celebrādis, poſſit miſſas minuere, eas reducendo iuxta ſtipendium taxatum ab Ordinario, nō obſtante decreto ſacrę Congregationis Cardinalium de celebratione miſſarum.

152 PRima ſententia abſolutè negat Sacerdotem accipientem ab vna, vel à pluribus perſonis plura ſtipēdia exigua, coactus neceſſitate pro tot miſſis celebrandis, poſſe tuta conſcientia, & abſque obligatione reſtitutionis miſſas reducere ad minorem numerum correſpōdentem taxationi factę ab Ordinario, ita Diana par. 2. tract. 14. de celebrat. miſſarum reſol. 8. Eminentiſſimus Cardinalis de Lugo de Sacramentis diſput. 21 de Euchariſtia nu. 26. Nauarrus cap. 25. nu. 92. & 111. & lib. 3. titul. de celebratione miſſarum conſilio 6. Corduba lib. 1. Quęſtionarij quęſt. 4. dub. 2. Toletus lib. 2. cap. 8. 9. tertium dubium Salmeron latè & acerrimè tom. 9. tractat. 33. qui citat pro hac opinione Antonium 1. part. 9. 4. cum Paludano, item Gerſonem lib. de ſolitudine Eccleſiaſticor. part. 32. Abulenſem lib. 10. quęſtionum cap. 23. Archidiaconū, & Ioannem Theutonicum, qui expręſſe id docent in cap. non mediocriter de conſecratione, diſtin. 5. Abbatem, & Ioannem Andream cap. fraternitatem de ſepulturis, Bernardum Dias lib. de inſtruendo Parocho part. 2. cap. 27. Honcalam, & Martinū de Frias, quos citat, & ſequitur Pater Ioannes de di Caſtillo de Sacramentis tom. 1. tract. 5. de ſacrificio miſſę diſput. 49. dubitat. 10.

153 Probatur hęc ſententia à Patre de di Caſtillo dict. diſput. 49. num. 340. quia (quidquid fuerit olim, & ex natura rei) iā ſacra Cardinalium Congregatio in decretis 9. 3. ſub obteſtatione diuini iudicij, mandat, & pręcipit, vt abſolutè tot miſſę [à Sacerdotibus celebrentur, quos ad rationem attributę eleemoſynę pręſcriptę fuerint; ita vt ij, ad quos pertinent, ſuę obligationi non ſatisfaciant alitèr; quin imo grauitèr peccent], & ad reſtitutionem teneantur, ex quo ſatis etiam patet, quam ſine ratione aliqui affirment, tum apud Dianam part. 2. tract. 14. de

de celebratione miſſarum reſol. 9. tum alij poſteriores, poſſe in die feſto pro vna miſſa accipi duplicatum ſtipendium, quia vero intellexi nõ deeſſe aliquẽ, qui in illa lege, ſeu decreto dicat excipiendos eſſe pauperes, & non credendum voluiſſe, illos comprȩhendere; eſſet enim contra ius naturȩ, aut naturalem pietatem, & ȩquitatem illos comprȩhẽdere, oportet etiam hoc ratione probare, quod alij fecerunt, antequam lex citata cõderetur, ergo ſtante dicta lege, ſeu decreto Sacrȩ Cõgregationis prȩcipiente Sacerdotibus, vt tot miſſas teneantur celebrare, quot correſpondent ad rationẽ attributȩ eleemoſynȩ, quãtumuis eleemoſyna parua, & exigua ſit; nõ poterit Sacerdos pauper (loquor extra caſum extremȩ neceſſitatis) miſſas minuere, reducendo eas iuxta taxationem factam ab Ordinario, etiamſi coactus neceſſitate, prȩdicta exigua ſtipendia pro tot miſſis celebrandis ab vno, vel à pluribus acceperit.

154 Secunda ſententia, & quȩ mihi probabilior videtur ſubſtinet, poſſe Sacerdotem pauperẽ, qui coactus neceſſitate, ab vna, vel à pluribus perſonis plura exigua ſtipendia accepit, celebrare minorem numerum miſſarum pro illa, aut illis perſonis, reducendo dictas miſsas iuxta taxationem factam ab Ordinario, aut iuxta illam, quȩ communiter ſolet dari, in illa Ciuitate, aut Oppido à viris timoratis. Quod intellige niſi ſacerdos ille pauper ſuo iuri ceſſit, atquè exprȩsſȩ acceptauit ſe ob illam tenuem ſtipem, velle totã miſsam applicare, quia in tali caſu non poteſt ab alio quidquã recipere, nam tunc ſuo pacto, cui ſemper ſtandum eſt, ſe ad totam obligauit, iuri ſuo cedendo, & in hoc ſenſu mihi loqui videtur Authores primȩ ſentẽtiȩ, ſpecialiter Pater Ioannes de di Caſtillo loco ſupra citato, vt ipſe poſtea ſe explicat dicta diſp. 19. ita tenent poſt dictum Decretum de Celebrat. miſſar. Pater Franciſcus de Lugo de Sacramentis lib. 5. de miſſa cap. 12. quȩſt. 4. concluſ. 2. num. 29. in fine, affirmans, quòd in dicto caſu non loquuntur Decreta Sacrȩ Congregatiònis Cardinalium, cum non intendant iuri naturali derogari, Pater Ioãnes de di Caſtillo dicto tract. 5. de Sacrificio miſſȩ diſput. 4. dubit. 19. num. 358. vbi impugnando doctrinam Henriquez, & Rodriquez, qui affirmant poſſe Sacerdotem pauperẽ pro vna miſſa accipere duo, aut tria ſtipendia quãdo exigua ſunt, quȩ illi dantur; inquit ſi enim per exigua intelligant minora, quȩ lege, aut conſuetudine taxata ſunt; veriſſimum eſt, ſi verò intelligant exigua reſpectu totius ſubſtentationis, id negamus, & pugnat cum alijs principijs eorumdem Pater Thomas Tamburinus opuſculo de ſacrificio miſsȩ lib. 3. cap. 1. §. 3. à nu. 53. & ante dictum Decretum hanc ſententiam tenuerunt Suarez de Sacramentis diſput. 86. ſect. 4. §. vnde conſequenter. Rodriquez tom. 2. ſummȩ cap. 247. de miſsa concl. 4. & to. 1. quȩſtion. regularium quȩſt. 43. artic. 17. concluſ. 1. fundamentum huius ſententiȩ eſt, quia ſi Sacerdos, qui coactus neceſſitate accepit, plura ſtipendia exigua pro miſſis celebrandis ab vna, vel pluribus perſonis teneretur tot miſsas celebrare ad rationem attributȩ eleemoſynȩ, vel eſset

ratio-

ratione decreti Sacræ Congregationis Cardinalium de Celebratione Miſſarum, aut ratione pacti initi inter ipsũ Sacerdotem, & dantem, vel dantes, illa exigua ſtipendia pro tot Miſſis celebrandis, atqui ex nullo ex his capitibus poteſt oriri talis obligatio, ergo poterit in tali caſu dictus Sacerdos pauper reducere Miſſas ad minorem numerum, iuxta taxationem factam à lege, aut conſuetudine. Conſequentia eſt formalis, & minor quoad ſecundam partem patet, nam vt ſuppoſuimus ſupra noſtra ſententia eſt intelligenda dum Sacerdos expræſſe non ceſſit ſuo iuri ſe obligando ad applicandam totam miſſam pro illo exiguo ſtipendio. Quoad primam verò partem, in qua eſt tota difficultas probatur minor, nam vt benè notat Pater Thomas Tamburinus, vbi ſupra non eſt credendum voluiſſe Sacram Congregationem defraudare Sacerdotes iuxta mercede, quod certe faceret ſi obligaret Sacerdotibus etiam pauperibus, & qui non habent aliud, vnde alere ſe poſſint; at applicando totum *Miſſæ ſacrificium* pro dante eleemoſynam quantumuis exiguam, vt poſtea reſpondendo ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ amplius declarauimus. Deinde, quia lex poſitiua Eccleſiaſtica non poteſt deſtruere legem naturalem, atqui præcipere Sacerdoti pauperi, vt totam miſſam applicet pro dante illi, quodcumque ſtipendium quantumuis exiguum ex quo Sacerdos ille non poſſit ſe alere videtur opponi legi naturali, ergo non obſtante prædicto Decreto poterit Sacerdos pauper, qui coactus paupertate plura ſtipendia exigua ab vna, vel à pluribus perſonis accepit: pro tot miſſis celebrandis dictas miſſas minuere iuxta taxationem factam à lege, aut conſuetudine Ciuitatis, vel loci, vbi eas celebrat.

155 Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ reſpondetur negando Decretum Sacræ Congregationis Cardinalium opponi doctrinæ à nobis traditæ in illis verbis prædicti Decreti, quæ hæc ſunt. Deinde, vbi plura ſtipendia quantumuis incongrua, & exigua collata fuerint Sacerdotibus, pręcipi, vt abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemoſynę pręſcriptę fuerint. In quibus verbis, vt optimè aduertit Pater Thomas Tamburinus, vbi ſupra notandum eſt primo illud (ad rationem attributę eleemoſynæ) quæ verba ſignificant miſſas celebrari debere non ſicuti ab offerente abſolutè praſcriptę sũt, ſed ſicuti ab eodem iuxta rationem, & computum datæ eleemoſynæ præſcriptæ ſunt. Ergo cum eleemoſyna non ſit data niſi limitatè, limitatè debebitur applicatio miſſę. Secundò notandum eſt illud (ſuę obligationi non ſatisfacere) vbi per ſuam obligationem non intelligitur, niſi ea obligatio, quæ erat ante Decretum, atqui hęc erat ſua, ideſt Sacerdotum; obligatio, & Decretum ſolùm illius mentionem facit, illamque inculcat nõ verò inducit: ergo quoniam ante Decreti promulgationem Sacerdotes hac obligatione

M non

non abſtringebantur ; nec in præſenti conſtringentur.

RESOLVTIO DECIMA.

Vtrum omiſſio vnius Miſſæ pro qua acceptum eſt ſtipendium à Sacerdote ſit peccatum mortale.

156 PRima ſententia affirmat Sacerdotem omittentē vnam miſſam celebrare pro qua accepit ſtipendium non peccare mortaliter, ſed tantum venialiter ob paruitatem materię, & damni illati: ita Thomas Sanchez libro primo de matrimonio diſputatione quinta numero 25. quem ſequitur Pater Ioannes de di Caſtillo tomo primo de Sacramentis tractatu quinto de ſacrificio miſſę diſputatione quarta dubitatione 22. numero 413. quāuis oppoſitam ſententiam probabilem appellet numero 419. & 420. fundamentum potiſſimùm huius ſententię eſt, quia nullum eſt argumentum, vnde colligamus huiuſmodi grauitatem mortalem, ita vt non poſſit facile ſolui, ergo non debemus aſſerere omiſſionem vnius Miſſę pro qua receptum fuit ſtipendium a Sacerdote eſſe peccatum mortale. Conſequentia ex antecedenti manifeſtè ſequitur, antecedens verò probatur, quia ſi omiſſio vnius Miſſę ex accepto ſtipendio eſſet mortale, etiam omiſſio vnius Miſſę ex promiſſione cum animo ſe obligandi eſſet mortale, atqui hoc non poteſt probari fundamento, tam efficaci, quod non poſſit facile ſolui, ergo nec poteſt probari fundamento ſolido, quod non poſſit facilè ſolui omiſſionem vnius Miſſę ex accepto ſtipendio eſſe peccatum mortale. Maior videtur certa cum in vtroque caſu currat eadem ratio, & conceditur à Petro Nauarra, qui ſubſtinet ſententiam oppoſitam, minor vero probatur, quia fundamentum Petri Nauarrę eſt hoc ad probandùm ſuam ſententiam, quia detrimentum ſpirituale ex omiſſo ſacro eſt magnum grauiuſque quocumque temporali, ergo ſi omiſſio alicuius rei promiſſę temporalis cenſetur mortalis etiam hęc. Deindè, quia promittens Deo vnum ſacrum, & non implens mortaliter peccat, ergo etiam promittens vnam miſſam illam omittendo peccat mortalitèr; atqui iſtę rationes facillimè ſoluuntur, ergo nullum poteſt aſſignari fundamentum, tam firmum pro oppoſita ſententia, quod non poſſit facilè ſolui. Probatur minor nam primam rationem facilè ſoluit Sanchez vbi ſupra, quia ex comparatione grauitatis damni ſpiritualis cum temporali, non rectè poſſumus colligi grauitatem materię, & obligationis, nam aliàs promittens ſemel orationem angelicam, & omittens peccaret mortaliter, & etiam qui conſuleret peccatum veniale mortaliter peccaret: nam damnum, quod ſequitur ex omiſſione illius orationis, aut ex commiſſione illius venialis cum ſit ſpirituale excedit quod cumque temporale, & nemo dicit, quod promitetns ſemel

mel orationem angelicam, aut conſulens peccatum veniale, mortaliter peccare: quia ad diudicandam grauitatem damni uon eſt cõferendum temporale, cum ſpirituali, ſed ſpirituale cum ſpirituali, & temporale cum temporali, ergo cum in genere damnorum ſpiritualium non ſit tanti momenti omiſſio ſacri liberaliter promiſſi, non eſt cenſendum omiſſionem illam eſſe mortalem. Secunda etiam ratio facile ſolui videtur ab ipſo Sanchez ibidem, nam non eſt ſimile de voto Deo facto cum ea obligatio ſit religionis, quæ ſtrictius obligat. Vndè (inquit Sanchez) qui voueret ſe quotidiè recitaturum tertiam partem circuli Virginei, ſemel omittens, grauiter peccaret, quod ſecùs putat eſſe ſi homini promitteretur.

157 Hanc ſententiam limitat Pater Ioannes de di Caſtillo n. 422. quando quis accipit ſtipendium ſatis magnum, ita vt tantumdem furto ablatum, eſſet materia grauis furti; in quo caſu iudicat quòd ſi Sacerdos non dicat ſacrum, & retineat ſtipendium peccaret mortaliter; nam retineret ſine titulo pecuniam conſiderabilem, eamq; deberet reſtituere; titulus enim (inquit) retinendi eſt ob cauſam dicendi ſacrum, atque ipſa obligatio ſacri eſt ſub cuius cõditione datur.

158 Et ſi illi reſpondeas, quòd Sacerdos ille factus eſt dominus ſtipendij, & ſolùm illi remanſit obligatio offerẽdi ſacrum; atqui ea obligatio præcisè, vt eſt obligatio ſacri dicendi nõ cenſetur materia grauis, ergo nec eſt peccatum mortale, nec tenetur ad reſtitutionem, quia pecunia poſſidetur ſub obligatione ſuſcepta; obligatio autem non eſt de re graui. Totum ergo peccatum conſiſtit non in retinenda ipſa pecunia, cuius iam factus eſt Dominus ſub eo onere, & obligatione dicendi miſſam, ſed conſiſtit in eo, quod non impleat obligationem, quę obligatio non eſt de re graui iuxta dictam opinionem.

159 Ad hoc reſpondet Pater de di Caſtillo vbi ſupra num. 424. quod Sacerdos, ita ſit dominus illius pecuniæ, vt ſemper maneat obnoxia reſtitutioni, ſub conditione ſi non impleatur; cumque conditio dicendi miſſam non impleatur retentio pecuniæ iam eſt retentio rei grauis in materia iuſtitiæ ſine titulo atque adeo peccatum mortale eſt illam retinere, deficitque titulus retinendi deficiente impletione illius muneris, & obligationis ſub qua conditione data fuit, & ob eam cauſam.

160 Quod ſi ſecundo aliquis reſpondeat talem ſacerdotem poſſe retinere pecuniã, ſi miſſa dicatur etiam per alium, dato illi ſtipendio communi, quod exiguum eſt, & non materia grauis iuſtitiæ, nemo autem grauius peccat, quã ſit grauitas obligationis qua tenetur, ergo ſi ſolùm teneatur ad id quod in ſe leue eſt non poteſt committere culpam grauem.

161 Huic obiectioni ſatisfacit de di Caſtillo num. 426. poſſe contingere, vt quis efficiendo rem, quæ in ſe non eſt materia grauis, excuſet culpam grauem, quam non excuſaret ſi rem illã alioquin leuem non faceret v.g. ſi quis dat Petro aliquid prętio graui extimabile ſub conditione leui eundi ad talem, aut talem locũ, aut faciendi aliquid, quod

leuè eſt, & ille accipiat ſub ea conditione, quamuis facere illud leuis res ſit; ſi tamen non faciat, & retineat, quòd datum illi fuit, erit detentor rei grauis ſine titulo, tenebiturque rem acceptam reſtituere ſub mortali, grauitas enim non eſt penſanda ex parte conditionis non impletæ, ſed ex parte rei acceptæ, & retentæ ſine titulo, quia illi data non fuit niſi dependenter à tali conditione quantumuis leui, qua deficiente deficit etiam titulus donationis, per quam transferebatur dominiũ. Sic ergo in noſtro caſu quãuis dicere vnum ſacrum non ſit materia grauis, nihilominus grauis materia pecuniæ datæ Sacerdoti, ſub ea conditione dicendi ſacrum retinetur, ſine titulo, eo ipſo, quod ſacrum non dicatur; ac proindè grauitas materiæ nõ penſanda eſt, ex parte conditionis, quæ non impletur, ſed ex parte pecuniȩ, quȩ retinetur, & data non fuit, niſi ſub conditione illa quantumuis leui, aut dependenter ab illa conditione, ita vt ſi non impleatur cõditio reſultet obligatio reſtituendi totam illam grauem pecuniam; quæ obligatio eſt iuſtitiæ, & ſub mortali.

162 In hac difficultate dico 1. omiſſio vnius miſſæ, pro qua receptum eſt ſtipendium, eſt, peccatum mortale. Ita Petrus de Nauarr. lib. 2. de reſtitutione dubio 10. n. 381. & in ſecunda editione cap. 2. dubio 7. coroll. 3. num. 329. quem ſequitur Suarez diſp. 86. & alij recentiores. Probatur concluſio, quia defraudatio in re graui, ſiue ſpirituali, ſiue temporali eſt peccatum mortale præcipuè quando illud in quo aliquis defraudatur ei eſt debitum ex iuſtitia, atqui Sacerdos omittens vnam miſſam pro qua recepit ſtipendium defraudat dãti ſtipendiũ iuſtum pro illa miſſa celebrãda in re graui ſpirituali, ergo peccat mortaliter omittendo dictã miſſam. Maior ab omnibus recipitur; minor verò probatur; quia dictus Sacerdos per tálem omiſſionem priuat danti ei ſtipendium iuſtum pro miſſæ celebratione fructu ipſius miſſæ medio quo ipſe dans ſtipendiũ impetrabat à Deo, vel beneficiũ aliquod, vel liberationem alicuius animæ è pœnis purgatorij; atqui hoc totum eſt, quid graue, ergo omiſſio illa grauis, eſt, vtporè priuans tertiȩ perſonæ beneficio graui ſpirituali, ergo peccat mortaliter contra virtutem iuſtitiæ, ſiquidem ratione pacti initi cum perſona illa dante ei iuſtum ſtipendium pro talis miſſæ celebratione tenebatur pro illa dictam miſſam celebrare, vndè grauitas omiſſionis dictæ miſſæ non eſt penſanda cum ſtipendio, ſeu eleemoſyna data pro talis miſſȩ celebratione, ſed cum priuatione fructus ipſius miſſæ impetratorij, & ſatisfactorij, quæ priuatio eſt in materia graui ſpirituali debita ex iuſtitia.

163 Dico 2. Sacerdos, qui accepit ſtipendium ſatis magnum pro celebratione vnius miſsæ, eam omittendo peccat mortaliter, & tenetur ad reſtitutionẽ pecuniȩ acceptæ, ſub mortali ratione iniuſtæ retentionis. Prima pars huius concluſionis colligitur ex dictis in prima cõcluſione, nam in hoc caſu debemus conſiderare, & damnum illatum danti dictum ſtipendiũ ſatis magnum pro celebratione vnius miſſæ, nempè priuationẽ fructus ipſius miſſæ, tam impetratorij,

tratorij, quam ſatisfactorij; & ſuppoſita omiſſione retentionẽ iniuſtã illius pecuniæ in magna quantitate datæ ſub illa conditione de miſſę celebratione pro dante dictum ſtipendium ſatis magnum; atqui illa omiſſio dictæ miſſę pręcisè, vt omiſſio, affert ſecum priuationem rei grauis ſpiritualis, ergo illa omiſſio, vt omiſſio pręcisè eſt ſufficiens ad conſtituendum peccatum mortale ratione damni illati tertię perſonę in re graui ſpirituali, quę illi erat debita ex iuſtitia. Quoad ſecundam verò partem patet concluſio ex ſupradictis à Patre de di Caſtillo, nam in tali caſu ſacerdos retineret ſine titulo pecuniam conſiderabilem: ergo tenetur illam reſtituere ſub mortali ſuppoſita omiſſione dicendi ſacrũ pro illa perſona dante ei ſtipendium ſatis magnum pro celebratione miſsæ, quam omiſit celebrare, cum non ſit excogitabilis titulus iuſtus ratione cuius poſſit Sacerdos dictam pecuniam licitè retinere.

164 Ad fundamentum oppoſitę ſententię reſpondetur negando antecedens, & ad eius probationem diſtinguenda eſt maior, quoad ſecundam partem etiam omiſſio vnius miſſæ ex promiſſione eſſet peccatum mortale ex promiſſione ſimplici nego maiorem, ex promiſſione cum animo ſe obligandi concedo maiorem: nam vt bene notat Suarez non ſemper fit promiſſio miſſæ, quando quis alteri dicit ſe miſſam pro illo oblaturũ, nam ſepè tantum eſt, ſimplex declaratio animi, & propoſiti, quod tum habet ſine intentione ſe obligandi ad non mutandum illud, ſed implendum, & tunc non eſt rigoroſa obligatio Quando autem, ita Sacerdos promittit miſſam alteri, cum intentione ſe obligandi, & non mutandi illud propoſitum, tunc eſt rigoroſa obligatio, & ſi omittat ſacrum celebrare, peccat mortaliter, quia omiſſione illa priuat illi perſonę fructu miſſæ promiſſæ, quod eſt res grauis in genere ſpirituali, ita vt cenſeatur grauiter rationabiliter inuitus ille cui obuenire debebat ille fructus, & ob malitiam non implentis promiſſum priuatur. Cumque in negotio grauitatis, aut leuitatis materiæ iuditium requiratur prudentis æxtimatoris, nec videatur rationi diſſonum, quòd quis cenſeatur grauiter inuitus ea priuatione, ſeu defraudatione fructus, ſatis certũ videtur prudenti ęxtimatori illã eſſe materiã grauẽ; nec video cùr cenſeatur illa, tam clarè (vt putat Sanchez loco ſuperius citato) materia grauis reſpectu promiſsionis Deo factæ, potius quam reſpectu promiſſionis factæ homini. Vndè Suarius ſatis prudenter rerum æxtimator diſput. 86. ante primam ſectionem (cum quo etiã conuenit Rodriquez tom. 1. ſummę cap. 247. de miſſa concl. 5. (cum dixiſſet poſse aliquem obligari ex voto ad dicendam miſsam pro alio, quia eſt opus religionis, & pietatis, ac proindè materiã voti cumque etiam dixiſset eſse grauem, & obligare ſub mortale, ſubiungit eamdem eſse rationem dę promiſſione humana, ſeu homini facta. Quare neganda eſt minor ad eius primam probationem patet ex dictis in prima cõcluſione huius reſolutionis, nam nos non comparamus rem ſpiritualem cum temporali aliàs ſequerentur incõuenientia aſſi-

gnata

gnata à Patre Thoma Sanchez, ſcilicet, quod qui promitteret vnam orationem Angelicam pro alio recitare,& illam omitteret recitare, peccaret mortaliter, & qui induceret aliquem ad peccandum venialiter peccato exequuto peccaret mortaliter, ſed comparamus rem ſpiritualem,cum ſpirituali.Cum autem omiſſio vnius miſsę debitę, vel ex ſtipendio, vel ex promiſſione rigoroſa afferat ſecum priuationem rei grauis ſpiritualis, nempè fructus miſſę, tam impetratorij, quam ſatisfactorij, neceſsariũ eſt, quod illa omiſſio ſit grauis mortalitèr vt diximus in dicta prima concluſione. Ad ſecundam probationem eiuſdem minoris reſpondeo concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequens ſi ſermo ſit de promiſſione ſimplici abſque animo ſe obligãdi nego conſequentiam, ſi ſermo ſit de promiſſione rigoroſa cum animo ſe obligandi concedo conſequentiam, nec video qualis poſſit eſse diſparitatis ratio in vtroque caſu: nam quod ſtrictius obliget votum nõ facit quod materia alioquin extimatione prudentis viri leuis, ſit grauis, nam ſicut votum in communi ſenſu ſcholaſticorum ſupponit materiam ſuam, ſupra quam cadit, aptam, vt voueatur, nec votum ipſum facit eam aptam, ita vt niſi materia vouenda ſit in ſe Deo grata non ſit materia voti, neque ex eo pręcisè, quod ſuprà illam cadat votum ſit materia apta,& Deo grata; ita ſimiliter, vt ſit grauis materia voti, & apta ad grauiter obligandum ex voto non ſit pręciſe talis vi voti; ſed pręſupponitur grauis,vt votum cenſeatur de re graui. Vndè votum cadens ſupra circulum Virgineum, ideo cenſetur ſub mortali obligare, quia ipſa materia Roſarij ſecundum ſe conſiderata etiam pręciſo voto ſi Deo, & Virgini exhibeatur cẽſetur quid magni momenti in ratione obſequij Deo, & Virgini pręſtiti. Ideo autem vnum Aue Maria etiam ſi ſupra illud cadat votum non obligat ſub mortali, quia in ratione obſequij præſtiti Deo, & Virgini ſecũdum quam eſt materia voti non cenſetur res grauis: cum autem fructus miſsę ſecundum ſe cõſiderati ſecluſa promiſſione homini facta, aut ſecluſo debito ratione ſtipendij recepti ſit res grauis ſpiritualis, ideò vt cadat ſub promiſſione, aut ſub obligatione ratione ſtipendij accepti pro applicatione dicti fructus miſſę eſt materia grauis, & conſequenter omiſſio illius grauis eſt,& peccaminoſa mortaliter, vt ex dictis in duabus concluſionibus huius reſolutionis conſtat. Quare licèt probabilis ſit opinio affirmans, quod nulla promiſſio humana obligat ſub mortali, præcisè, quatenus promiſſio eſt, hoc debet intelligi: niſi vel ratione materię promiſsę, vel ratione eius, cui fit promiſſio accipiat grauitatem. Vnde qui promittit in materia iuſtitiæ ex eo peccabit mortaliter non implendo,quia reſultat obligatio grauis in ratione iuſtitiæ, quando res propter promiſſionem debetur ex iuſtitia, licet pręcisè obligationem promiſſionis, vt promiſſio eſt, numquam putent Doctores dictæ ſententię eſse grauem,quia fidelitas eſt pars veritatis; ad veritatem autem dicendam, præcisè non eſt obligatio ſub mortali,

tali, nihilominus ſemper ſaluatur, quod omiſſio vnius miſſę debitę, aut ratione ſtipendij accepti, aut ratione promiſſionis rigoroſę cum animo ſe obligādi, & non mutandi illud propoſitum eſt mortale. In primo caſu ratione grauitatis materię debitę ex iuſtitia cum Sacerdos accipiens ſtipendium iuſtum pro vnius miſſę celebratione teneatur ex iuſtitia illam celebrare, & fructum illius applicare pro dante ei ſtipendium. In ſecundo caſu ratione grauitatis materię ſpiritualis, nempe fructus miſſę promiſſę alicui perſonę cum animo ſe obligandi, & non mutandi propoſitum illud.

FINIS TRACTATVS TERTII.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATVS QVARTVS

DE SACRAMENTALI COMMVNIONE, ET DE EO, QVI POTEST EAM ADMINISTRARE.

RESOLVTIO PRIMA.

Vtrum ſolus Sacerdos poſſit Sacramentum Euchariſtiæ adminiſtrare.

1 PRO deciſione huius reſolutionis ſuppono, vt certum adminiſtrationem huius venerabilis Sacramenti per ſe ad ſolum Sacerdotẽ pertinere ex officio, hocque ex iure diuino, vt docet Magiſter Sotus in 4.diſt.13.quęſt.1.art.3. & colligitur ex Concilio Tridentino ſeſſ.13.cap. 8. aſſerente ſemper in Eccleſia Dei mos fuit, vt laici à Sacerdotibus cõmunionem acciperent; Sacerdotes autem celebrantes ſe ipſos communicarent, qui mos tanquam ex traditione Apoſtolica deſcendens iure, ac merito retineri debet. Et docet Diuus Thomas 3.par quęſt. 82. art. 3. in corpore per hęc verba reſpondeo. Dicendum, quod ad Sacerdotem pertinet diſpenſatio Corporis Chriſti propter tria. Primum quidem; quia (ſicut dictum eſt artic. 1. huius quęſtionis) ipſe conſecrat in perſona Chriſti. Ipſe autem Chriſtus ſicut conſecrauit Corpus ſuum in Cena, ita & alijs ſumendum dedit. Vndè ſicut ad Sacerdotem pertinet conſecratio Corporis Chriſti, ita ad eum pertinet diſpenſatio. Secũdo, quia Sacerdos conſtituitur medius inter Deum, & Populũ: vndè ſicut ad eum pertinet Dona Populi Deo offerre; ita ad eum pertinet Dona ſanctificata diuinitus Populo tradere. Tertio, quia in reuerentiam huius Sacramenti à nulla re contingitur niſi conſecrata, vndè, & corporale, & Calix conſecrantur, & ſimiliter manus Sacerdotis ad tangendum hoc Sacramentum; vndè nulli tangere licet, niſi in neceſſitate, puta ſi caderet in terram, vel in aliquo alio neceſſitatis caſu.

2 Quia autem, vt hic ait Diuus Thomas ſolut. ad primum, Diaconus quaſi propinqus ordini Sacerdotali aliquid participat de eius officio; vt ſcilicet diſpenſet ſanguinem, non autem corpus, niſi in neceſſitate iubente Epiſcopo, vel Presbitero cõpetit aliquo modo miniſtratio huius

huius Sacramenti, vt idem Sã-ctus Doctor dicit in 4. ſenten-tiarum diſt. 13. quæſt. 1. artic. 3. quæſtiuncula 2. in corpore, ibi, Ad ſecundam quæſtionem di-cẽdum, quòd diſpenſatio huius Sacramenti propriè ad Sacer-dotem pertinet; eò quod ipſe repræſentat Chriſtum, qui fuit mediator Dei, & hominum, vndè cum hoc Sacramentum ſit ad reconciliãdum nos Deo, oportet per Sacerdotem, qui eſt mediator inter Deũ, & Po-pulum diſpenſari; ſed ſicut Sa-cerdos, vt dictum eſt partici-pat aliquid de virtute perfecti-ua, quæ eſt Epiſcopi; ita Dia-conus participat aliquid de diſ-penſatione huius Sacramenti, competit enim ei ex officio sã-guinem Domini diſpenſare, ſed non corpus, quia diſpenſator corporis oportet, quòd ipſum corpus tangat, non autem diſ-penſator ſanguinis, Diacono autem non licet corpus Chriſti tangere, cum non habeat ma-nus ſacratas; & ideo non debet corpus diſpenſare, niſi de mã-dato Præsbiteri, vel Epiſcopi, vel Præsbitero longè poſito, in caſu neceſſitatis, vel ideò diſ-penſat ſanguinem, & non cor-pus, quia per ſanguinem ſigni-ficatur redemptionis miniſte-rium, quòd à capite Chriſti in membra diffunditur officio mi-niſtrorum, vnde, & ſanguini, aqua, quæ Populum ſignat ad-miſcetur, ſed Incarnatio, quàm corpus Chriſti ſignat, non eſt humano miniſterio facta; ita Diuus Thomas, & etiam hoc colligitur ex Canone, non oportet vbi dicitur, non opor-tet Diaconus panem dare, & ex Canone præſente, vbi dici-tur. præſente Præsbitero Dia-conus Euchariſtiam Corporis Chriſti Populo (ſi neceſſitas cogit) iuſſus erogat.

3 Quare licèt diuino iure ſpe-ctato Dominici ſanguinis diſ-penſatio, poſſit etiam nunc ab Eccleſia, vel ſummo Pontifice (alijs enim inferioribus Præla-tis, id non eſt concedendũ poſt-quam vſus antiquus ceſſauit) committi Diacono abſque vlla neceſſitate, vt olim fuit com-miſſa Sancto Laurentio à San-cto Sixto Papa, non tamen diſpenſatio corporis Chriſti, ſi nulla cogat neceſſitas, aut cau-ſa adſit. Si verò neceſſitas co-git, & Sacerdos abeſt, poteſt Diaconus corpus Chriſti in-firmo miniſtrare, quia neceſ-ſitas ipſa interpres eſſet, quod ratum haberet, vt Diaconus eius vices impleret. Si autem adeſt Sacerdos, & non poteſt morienti corpus Chriſti mini-ſtrare, Diaconus poteſt de eius mandato, & commiſſio-ne præſtare, imò ſi ex negligẽ-tia, aut nequitia nollet Sacer-dos potens Sacramentum de-ferre infirmo, etiam monitus à Diacono poſſet Diaconus illo inuito, ſuum munus præ-ſtare, & miſero infirmo in ex-tremis ſuccurrere.

4 Tota ergo difficultas in hac reſolutione eſt, vtrùm in caſu neceſſitatis deficiente Sacerdo-te, & Diacono poſſit Subdia-conus, vel Clericus, aut lai-cus infirmo Sacramentum Euchariſtiæ adminiſtrare; affir-matiuam partem ſubſtinent Valentia tomo 4. diſputat. 6. quęſtione 10. punto 2. Co-ninch. quæſtione 82. artic. 3. numer. 23. Reinaldus libro 29. numer. 93. Laymanus libro 5. tractatu 4. capit. 7. numero 4.

Filliucius tomo 1. tractatu 4. capit. 9. numero 285. Diana parte 3. tractatu 4. de Sacramentis reſolutione 47. & parte 5. tractatu 3. de caſibus occurrentibus tempore mortis, reſolutione 47. & parte 11. tractatu 7. miſcellaneo. reſolutione 43. Pater Thomas Hurtado tomo 1. reſolutionum moralium tractatu 5. cap. 6. reſolutione 63. §. 2. numero 1483. Pater Franciſcus de Lugo de Sacramentis libro 4. de Euchariſtia cap. 11. quæſt. 1. num. 11. Auerſa de Euchariſtia quæſtione 10. ſectione 4. Pater Antonius de Scobar, & Mendoza in libro Theologiæ moralis tractatu 7. de Sacramentis examine 6. de Euchariſtia capit. 5. num. 62. §. ſcio in caſu neceſſitatis, Granadus tertia parte controuerſia ſexta tractatu 12. diſputatione 1. num. 4. & iterum Diana parte 8. tractatu 1. reſolutione 48. Leander à Sanctiſſimo Sacramento parte 2. tractatu 7. de Euchariſtia diſputatione 4. quęſtione 13. Mercerus de Sacramentis quęſt. 82. artic. 3. numer. 3. Chapeauilla de Sacramento Euchariſtię quęſtione 6. & probabilem putant Suarez tomo 3. in 3. par. diſput. 72. ſect. 3. & diſput. 68. ſectione 6. & Pater Hermanus Buſembaum in medulla Theologię moralis lib. 3. tract. 3. cap. 2. dubio 1. num. 3. Martinus de Sancto Ioſeph in Monita Confeſſariorum tract. 5. cap. 4. §. 9. num. 1. & Pater Ioannes de di Caſtillus tom. 1. de Sacrament. tract. 4. de Euchariſtia diſputatione 11. dubitatione 5. quæſt. 5. num 92,

5 Probatur primo hęc ſententia à Patre Thoma Hurtado vbi ſupra num. 1484. quia laico, licet in caſu neceſſitatis ſacram Euchariſtiam tangere, vt ſi cadat in terram poſſit Hoſtiam conſecratam proprijs manibus leuare, ergo in articulo mortis, dum non adeſt copia Miniſtri conſecrati, aut Diaconi poterit Subdiaconus, aut laicus tangere hoc Sacramentum, & in os infirmi ponere ad communicandum, ne ſinè viatico decedat, eſt enim de iure diuino viaticum in mortis articulo ſumere. Antecedens eſt Diui Thomæ 3. par. quæſt. 82. art. 3. in fine corporis dicentis nulli (non Sacerdoti, aut Diacono) licet tangere Euchariſtiam, niſi in neceſſitate; puta ſi caderet in terram, vel in aliquo alio neceſſitatis caſu; conſequentia verò probatur; quia quod laicus non tangat Euchariſtiam, eſt dumtaxat de iure humano, atqui quando occurrunt duo pręcepta, quæ ſimul obſeruari non poſſunt id, quod ſtrictius obligat obſeruandum eſt, vt eſt omnium certa ſententia, ergo in articulo mortis, dum non adeſt Sacerdos, aut Diaconus, poterit Subdiaconus, aut laicus Sacramentum Euchariſtię infirmo adminiſtrare. Pręcipuè, quia quando laicus in caſu huius neceſſitatis Euchariſtiam porrigeret, non eſſet actus authoritatiuus, quaſi laicus authoritate, vel ordinaria, vel delegata ſacramentum diſpenſaret, nullã enim adhoc habet authoritatem, ſed vt ſuccurreret proximo extremè indigenti in articulo mortis de viatico, quod de iure Diuino tenetur accipere, ſi poteſt. Quare laicus id præſtaret ex licentia præſumpta Summi Pontificis,

Digitized by Google

tificis, quem prudenter cenſetur diſpenſare in ſua lege humana, vt diuina obſeruetur; nec enim, vt illa obſeruetur, hæc omittenda eſt.

6 Quod confirmat num. 1486. quia Sacerdotes omnes in mortis articulo iuriſdictionem à iure diuino habent, ad abſoluendum quoſcumq; fideles, qui in illo articulo ad faciendam confeſſionem iure diuino obligantur à caſibus reſeruatis, ergo cũ nõ minus ſint obligati ad recipiendũ viaticũ; ſicut etiam ad recipiendũ baptiſmũ, ſicut poteſt in tali articulo quilibet laicus baptizare; ita poteſt quilibet laicus Euchariſtiam porrigere.

7 Secundo probat num. 1487. quia laicus (& idem iudicat de Subdiacono) poteſt in caſu huiuſmodi neceſſitatis ſeipſum cõmunicare, vt docent Suarez tom.3. in 3. part. diſp.72. ſect. 1. §. vltimo, & Samuel Lumblicus num. 10. & multi alij; quamuis negent poſſe laicum alijs ſacrã Euchariſtiam miniſtrare, concedunt id ſibi licere, atqui non eſt maior ratio, cur laicus poſſit ſibi in articulo mortis Euchariſtiam miniſtrare, & non poſſit alijs illam in dicto articulo mortis præbere, ergo licitũ eſt laico in articulo mortis Euchariſtiam alijs miniſtrare. Probatur minor, nam ſi licet Euchariſtiã ſibi diſpẽſare, vt ſatisfaciat pręcepto diuino de ſumendo viatico, ergo etiam licitum eſt dictante Charitate alijs miniſtrare. Conſequentia videtur formalis; & antecedens conſtat in Regina Maria ſubitura martyrium, quæ cum ſecum adduceret ſanctam Euchariſtiam de Pontificis licentia, cum in tam manifeſto mortis periculo, non haberet Sacerdotis Catholici copiam ſibi communicauit.

8 Nec valet (inquit Hurtadus) ſi reſpondeas cum Fagundez in pręcept. Eccleſię pręcept. 3. lib. 3. cap. 3. num. 8. & cum Vaſquez 3. par. diſp. 219. nu. 18. id feciſse Reginam martyrem ex peculiari conceſſione, & priuilegio Summi Pontificis, qui potuit id facere, cum ſit ſolùm prohibitio humana. Contra hanc ſolutionem (quidquid ſit, an de facto, ita contingeret, quod fuerit expręſſa Pontificis conceſſio, & diſpenſatio legis) arguit Pater Hurtadus ſumendo ex hac ſolutione in ſui fauorem validũ (ſuo videri) argumentum, quia Pontifex poteſt in hoc diſpenſare, vt fatentur prędicti Doct. ergo ſemper, quod occurrat neceſſitas articuli mortis, & nõ adſit copia Miniſtri Eccleſiaſtici, cenſetur adeſſe prę́ſumpta Papę voluntas, vt poſſit laicus miniſtrare. Conſequentia videtur euidens, quia Epycheya, quę eſt legis emendatio, vt ait Diuus Thomas ſecunda ſecundę quęſt. 120. art. 1. dictat ſequi id quod poſcit iuſtitiæ ratio, & communis vtilitas. Vnde ipſe Angelicus Doctor dixerat prima ſecundæ quæſtion. 96. art. 6. quod omnis lex ordinatur ad communem hominum ſalutẽ, & in tantum obtinet vim, & rationem legis, ſecundum verò, quòd adhoc deficit, virtutem obligandi non habet. Vndẽ iuris peritus dicit, quod nulla ratio iuris, aut ęquitatis benignitas patitur, vt quę ſalubriter pro ſalute hominum introducuntur, ea nos duriori interpręẗatione contra ipſorum commodum perducamus ad ſeueritatem. Contingit autem multo-

Digitized by Google

ties, quod aliquid obſeruari communi ſaluti eſt vtile, vt in pluribus; quod tamen in aliquibus caſibus eſt maximè nociuũ, hęc Diuus Thomas, ex quibus verbis tale format argumentum Pater Thomas Hurtado (ipſo iudice in reſolubili) quia virtus epycheya, quæ eſt legis emendatio, tunc habet locum, quando perniciosum nociuum, & iniuſtum eſt legem obſeruare; ſic enim id, quòd ſalubriter pro ſalute hominũ eſt introductũ, ea nos duriori interpretatione contra ipſorum commodum perducimus ad ſeueritatẽ; atqui lex diuina pro hominum ſalute pręcipit, quòd in articulo mortis ſumeretur viaticum, ergo quando lex humana ſtatuit, quòd laicus non poſſit porrigere illud, ſi non adeſt copia Miniſtri competentis, ſi in caſu, ſeu articulo mortis dicta lex humana obſeruetur, maximè nociua eſt, & duriori interpretatione contra hominum commodum, qui priuantur maximo iuuamine, in illa neceſſitate perducitur ad ſeueritatem, & perniciosum eſt; ſi laicus abſenti ministri competentis abſtineat à datione Euchariſtię tempore neceſſitatis, videlicèt tempore peſtis, aut Epidemię, ergo poteſt contingere, quòd ſit laicus, qui contagium non timeat; quando omnes alij miniſtri nolunt accedere ad infirmos, qui maximè afficientur triſtitia; ſi ſine viatico decedant, ergo in tali caſu poterit laicus iſte per virtutem epycheyę infirmis infectis contagio, ſacram Euchariſtiam adminiſtrare.

9 Tertio probat, quia, quòd laicus porrigat Euchariſtiam ſibi, vel alijs tempore neceſſitatis, quando non adeſt copia miniſtri competentis, qui illam diſpenſet, aut eſt malum ex natura rei, & iure naturali, & diuino prohibitum, aut non? ſi non, ergo poteſt laicus ſibi, & alijs in caſu neceſſitatis, deficiẽte miniſtro competenti, Euchariſtiam adminiſtrare. Atqui falſum eſt aſſerere, quod eſt malũ natura rei, & prohibitum iure diuino, ergo non obſtante prohibitione humana, poterit laicus per virtutem epicheyę Euchariſtiam in caſu neceſſitatis, deficiente miniſtro legitimo adminiſtrare. Minor ſubſumpta probatur, quia licet Sacerdotibus id ſit iure diuino conceſſum, quod conficiant, & diſpenſent Euchariſtiam; tamen hoc eſt authoritatiuè, & ex vi ordinis; tamen, quod laicus ſibi porrigat Euchariſtiam non eſt prohibitam iure diuino, cũ in primitiua Eccleſia cõtrarius mos viguerit, vt conſtat ex hiſtorijs Eccleſiaſticis Euſebij lib. 6. cap. 33. & Nicephori lib. 6. cap. 6. & lib. 12. cap. 41. & aliorum.

10 Quarto probat numer. 1498. quia licet Sacerdoti, cui iure diuino conceſſa eſt poteſtas cõficiẽdi Euchariſtiam; ſit etiam conceſſa tanquam miniſtro ordinario poteſtas diſpenſandi illam, tamen non eſt neceſſariũ, vt illi, cui non eſt conceſſa iure diuino poteſtas conficiendi, ſit negata iure etiam diuino poteſtas diſtribuendi, cum vſus huius Sacramenti non ſit de eius eſſentia, ergo non repugnat, quod ille, qui non poteſt conficere, poſſit diſtribuere, vt cõſtat in Diacono, qui non poteſt diſtribuere, quia diſtributio ſit Sacramenti iam confecti: ergo poterit laicus in caſu neceſſitatis deficiente Sacerdote, & Diacono

cono ſacram Euchariſtiam infirmo exiſtĕte in periculo mortis adminiſtrare.

11 Secunda, & probabilior ſententia affirmat, non poſſe Subdiaconum, aut laicum etiam in caſu neceſſitatis ſibi, aut alijs ſacram Euchariſtiam adminiſtrare: ita Diuus Thomas in 4. diſtint. 13. quæſt. 1. art. 3. quæſtiuncula prima, quem ſequuntur Bonacina de Sacramentis diſput. 4. quæſt. 5. punt. 1. nu. 6. Henriquez lib. 8. cap. 54. Vaſqu. diſp. 219. Sà verbo Euchariſtia nu 4. & 32. Victoria de Euchariſtia nu. 89. Poſſeuinus de communione cap. 8. nu. 24. Chamerota de Euchariſtia cap. 9. dub. 3. Viualdus de Sacramento Euchariſtiæ, & de vſu, & adminiſtratione illius nu. 3. Pater Gaſpar Hurtadus de Sacramentis diſp. 11. de Euchariſtia diffic. 3. Ioannes Prępoſitus in 3. partem quæſt. 82. art. 3. dub. 1. num. 11. Fauſtus de Euchariſtia libro 1. quæſt. 112. Tannerus to. 4. diſp. 5. quæſt. 8. dub. 8. numer. 182. Ochiocauia de Sacramĕt. tract. 3. de miniſtro Euchariſt. quæſt. 4. num. 6. Fagundez in præcepta Eccleſiæ præcept. 3. lib. 3. cap. 1. num. 10. Zacharias Paſqualigius tom. 2. Theologiæ moralis diſp. 108. de miniſtro Sacramenti Euchariſtiæ ſect. 7. D. Carolus Mallettus in aur. Theologiæ moralis tom. 1. de Sacramentis malleattione 4. Bractea 57. Eminentiſſimus Cardinal. de Lugo de Sacramentis diſp. 18. ſect. 1. nu. 22. Pater Ioannes de di Caſtillo de Sacramentis to. 1. tract. 4. de Sacramento Euchariſtiæ diſp. 11. dub. 5. nu. 93.

12 Probatur 1. noſtra ſententia authoritate Diui Thomæ, loco ſuperius citato ex 4. ſententiarum quęſtiuncula illa prima in corpore, vbi ſic ait, Reſpondeo. dicendum ad primam quęſtionem, quòd ſicut in corpore naturali ſunt quædam membra principalia, per quæ virtutes, & operationes vitæ, à principio vitæ ad cætera membra decurrunt; ita, & in Eccleſia Sacerdotes, & alij miniſtri ſunt, quaſi membra principalia, quibus mediantibus Sacramenta vitæ Populo diſpenſari debent; & ideò laicis quantumcumque Sãctis, ſicut nec conſecratio, ita nec diſpenſatio huius Sacramĕti competit: ergo ex mente Diui Thomæ in nullo caſu licet Sacramentum Euchariſtiæ ſibi, aut alijs adminiſtrare.

13 Nec valet ſi dicas Angelicum præceptorem loqui in verbis relatis extra caſum neceſſitatis, qui aliàs ſibi eſſet contrarius, quod non eſt dicendum, ergo ex verbis relatis Diui Thomæ, non conuincitur non poſſe laicum deficiente Sacerdote, aut alio miniſtro legitimo in caſu neceſſitatis ſibi, aut alijs ſacram Euchariſtiam adminiſtaare, Cõſequentia eſt euidens, & antecedens probatur manifeſtè: nã ipſe Angelicus Doctor 3. part. quæſt. 82. art. 3. vbi inquirit; vtrum diſpenſatio huius Sacramĕti, pertineat ad ſolum Sacerdotem; in corpore huius articuli poſtquam dixit ad Sacerdotem pertinere diſpenſationĕ Corporis Chriſti; in fine corporis dixit, niſi in neceſſitate, puta ſi caderet in terram, vel in aliquo alio neceſſitatis caſu, quia tunc concedit Sãctus Thomas, licere non Sacerdoti proprijs manibus tangere Corpus Chriſti, ergo Diuus Thomas concedit poſſe laicum in caſu neceſſitatis, Corpus Chriſti Domini ſibi, aut alijs diſpenſare;

probo

probo conſequentiam, quia ſicut Sacerdotis, eſt diſpenſare Corpus Chriſti: ita & tangere, ſed in aliquo caſu licet laico tãgere corpus Chriſti, puta ſi videret ipſum in terram iacere, & non eſſet Sacerdos, qui tolleret, ergo in aliquo caſu liceret ei diſpenſare, nempè in caſu neceſſitatis, ergò Diuus Thomas in loco citatò in noſtro argumento ex 4. ſentent. loquitur extra caſum neceſſitatis, aliàs Sãctus Doctor ſibi eſſet contrarius, quod non eſt dicendùm.

14 Hoc inquam non valet, nam adhoc argumentum ſatis clarè reſpondet ipſe Angelicus Doctor, quæſtiuncula illa prima citata reſp. ad 3. argument. per hæc verba; Ad tertium dicendum, quod ſicut baptiſmum cõferre competit Sacerdoti ex officio; tamen laicus in caſu neceſſitatis non peccat baptizãs, ita tangere corpus Chriſti ex officio ſoli Sacerdoti cõpetit, ſed in caſu neceſſitatis poteſt, & debet corpus Chriſti tangere, etiam ſi ſit peccator, vt ſi in aliquo loco immundo iaceret, ſed non eſt ſimile de diſpenſatione Sacrameti, quia receptio huius Sacramenti non eſt neceſſitatis, vnde ei, qui non poteſt Sacramentaliter manducare, dicendum eſt crede, & manducaſti, ergo Diuus Thomas in loco à nobis citato loquitur, etiam in caſu neceſſitatis, nec ſibi eſt contrarius, cum diſparitatem aſſignet in vtroque caſu, nempè licere laico in caſu neceſſitatis tangere corpus Chriſti, & non licere in caſu neceſſitatis corpus Chriſti diſpenſare.

15 Secundo probatur noſtra ſententia ex cap. prouenit 29. de conſecrat. diſt. 2. vbi ſic dicitur, Peruenit ad notitiam noſtram, quod quidam Præsbiteri in tantum paruipendant diuina miſteria, vt laico vel feminæ, ſacrũ corpus Domini tradant, ad deferendum infirmis, & quibus prohibetur ne ſacrariũ ingrediantur, nec ad Altare appropinquent, illis Sancta Sanctorũ committuntur, quod quàm ſit horribile quamque deteſtabile omnium religioſorum animaduertit prudentia. Igitur interdicit per omnia Synodus, ne talis temeraria præſumptio vlterius fiat; ſed omnimodis præsbiter per ſeipſum infirmũ communicet; quod ſi alitèr fecerit gradus ſui periculo ſubiacebit. Ex quibus verbis tale cõficio argumẽtum, ex dicto tex. conſtat, quòd quid horribile, & deteſtabile dicitur, quod laici Euchariſtiam ſacram deferant ad alium: atqui, quod eſt horribile, & deteſtabile, nequè in caſu vrgentis neceſſitatis fieri poteſt, ergo non licet laico in caſu extremæ neceſſitatis Sacramentum Euchariſtię alijs adminiſtrare.

16 Tertio probatur. Miniſtratio Sacroſancta Sacramenti Euchariſtiæ, fundatur in ſacerdotio, ita vt ratione ipſius conueniat, & in tantum Diaconis poteſt competi, in quantum ſunt ex vi ordinis ſpeciales miniſtri Sacerdotis, & aliquid participant de eius officio, vt docet Diuus Thomas 3. par. quæſt. *82.* art. 3. ad 1. per hæc verba. Ad primum ergo dicendum, quod Diaconus quaſi propinquus ordini ſacerdotali, aliquid participat de eius officio, vt ſcilicet diſpenſet ſanguinem; non autem corpus, niſi in neceſſitate, iubente Epiſcopo, vel Preſbitero, atqui laici, neque ſunt ſacerdotes, neq; communicant

Digitized by Google

in officio Sacerdotis, vt communicat Diaconus, ergo nullo modo poſſunt etiam in caſu neceſſitatis ſacram Euchariſtiã alijs adminiſtrare, probo conſequentiam, quia quando aliquis actus conuenit ratione ordinis, non poteſt exerceri à non habente ordinem, vt inductione conſtat, & cenſetur prohibitus cæteris omnibus, ergo cum laici, nec ſint Sacerdotes, nec communicent in officio ſacerdotis, non poteſt eis competere, etiam in caſu neceſſitatis ſacram Euchariſtiam alijs adminiſtrare.

17 Quarto probatur, quia ſumptio Sacramenti Euchariſtiæ, non eſt neceſſaria neceſſitate medij, & finis; hoc eſt non eſt neceſſarium medium ad ſalutẽ, ergo non licebit laico in caſu neceſſitatis hoc ſanctiſſimum Sacramentum per modum viatici infirmis adminiſtrare, antecedens eſt certum, quia aliàs ne ægrotus abſque iſto viatico diſcederet è vita, & non impleret præceptũ Euchariſtiæ, poſſet Sacerdos ſine veſte ſacra, & extra officium miſſæ, Sacramentum Euchariſtiæ conficere, quia hæc tantam ſunt de iure humano conſtituta, quod nullus audebit affirmare. Conſequentia verò probatur, quia quando duo præcepta concurrunt vnum de iure humano naturali, & poſitiuo, & alterum de iure diuino, ſi præceptum diuinum in tali caſu non obligat, ſeruandum eſt ius humanum naturale, & poſitiuum, atqui infirmus in articulo mortis cõſtitutus deficiente ſacerdote, & Diacono, qui poſſit ei ſacram Euchariſtiam adminiſtrare per modum viatici, non eſt obligatus ad impletionem præcepti ſacræ communionis, imo eſt excuſatus à tali adimpletione dicti præcepti diuini communionis ſacramentalis, cum non ſit medium neceſſarium ad ſalutem, ergo laicus, cui prohibitum eſt iure humano naturali, & poſitiuo ſacram Euchariſtiam alijs adminiſtrare, nõ poterit adminiſtrare illam, etiam in caſu neceſſitatis, ſed ſeruari debet ius humanum conſtituẽs miniſtrum legitimum huius Sacramenti, cum præceptum diuinum Euchariſtiæ in eo caſu non obliget.

18 Ex dictis infero, quod ſicut non licet laico, aut Subdiacono in caſu neceſſitatis ſacram Euchariſtiam alijs adminiſtrare; ita nec eis licet etiam in articulo mortis deficiente ſacerdote, & Diacono, ſibi ipſi Sacramẽtum Euchariſtiæ adminiſtrare, propter rationes ſuperius dictas per noſtram ſententiã, nam non ſolùm conuincunt, non licere laico alijs in caſu neceſſitatis Euchariſtiam adminiſtrare, ſed nec etiam ſibi ipſi, neque obſtat exemplum de Regina Scotię Maria, quæ in Anglia martyrium ſubitura, Euchariſtiam, quam apud ſe ſeruabat ſumpſit, proprijs manibus, nam Euchariſtiam nõ tam ſumpſit, vt ſeipſam communicaret; quã vt eam ab hæreticorum iniurijs eriperet. Et quamuis eam ſolũ ſumpſiſſet, vt ſeipſam communicaret, poteſt dici, quod hoc feciſſet, vel bona fide credens ipſi ſibi licere, vel media diſpẽſatione, ad id cõceſſa à Summo Pontifice, vel dici de illa poſſet, quòd de Sancta Apollonia, ait Magiſter Sotus lib. 5. de iuſtit. quæſt. 1. art. 5. ad finem, quod cum eſſet femina, ac cõmunis iuris inſcia, per inuincibilem igno-

ignorantiam ſit excuſanda.

19 Ad primum argumentum oppoſitæ ſententiæ reſpondetur, concedendo antecedens, & negando conſequentiam, & ratio diſparitatis eſt illa, quam ſupra aſſignauimus ex D. Thoma in 4. diſtint. 13. quæſt. 1. art. 3. quæſtiuncula 1. ad 3. vbi poſt quam Diuus Thomas, ſibi obijcit hoc argumentum contra quæſitum factum in dicto art. 3. in quo interrogat, vtrùm laicus poſſit diſpenſare Corpus Chriſti, ſcilicet ſicut Sacerdotis eſt diſpenſare corpus Chriſti; ita & tangere, ſed in aliquo caſu licet tangere laico corpus Chriſti, puta ſi videret ipſum in terra iacere, & non eſſet Sacerdos, qui tolleret, ergo in aliquo caſu liceret ei diſpenſare, adhoc argumentum reſpondet verbis ſuperius relatis numer. 13. aſſignando diſparitatē, quia licet tangere corpus Chriſti ex officio ſoli Sacerdoti competat; in caſu autem neceſſitatis poteſt, & debet laicus corpus Chriſti tangere; etiam ſi ſit peccator, vt ſi in aliquo loco immundo iaceret, quod non eſt ſimile de diſpenſatione Sacramenti, quia receptio huius Sacramenti non eſt neceſſitatis, vndè ei, qui nō poteſt ſacramentaliter manducare, defectu miniſtri legitimi, dicendum eſt ei crede, & manducaſti, quare miror, quod Pater Thomas Hurtadus aliàs eruditiſſimus, & vir peritiſſimus in ſcientia, audeat affirmare ſuā ſententiam nō obſcurè inſinuari à Diuo Thoma; cum luce clarior ſit Diuum Thomam tenere ſententiam contrariam, vt ex dictis à nobis in hac reſolutione conſtat. Ad probationem conſequentiæ reſpondeo; quod licèt ſolum ſit prohibitū laico lege humana naturali, & poſitiua adminiſtrationem Sacramenti Euchariſtiæ; nihilominus ei non licet in caſu neceſſitatis, puta in articulo mortis, aut tempore peſtis, ſeu epidemię Sacram Euchariſtiam infirmis adminiſtrare in defectu Sacerdotis, & Diaconi, quia in hoc caſu non inſtat præceptum diuinum de ſacra Communione ſacramentali, imò infirmus eſt à dicta obligatione excuſatus, quare in dicto caſu, nō concurrunt ſimul duo præcepta, alterum humanum & naturale, & alterum diuinum, nam cum diuinum in dicto caſu nō obliget, vt diximus, inſtat ſolū pręceptum naturale, humanū, & poſitiuum, prohibens laico ſacram Euchariſtiam adminiſtrare, & ita hoc eſt adimplendum.

20 Sed dices cum Patre Thoma Hurtado dicto tractat. 5. cap. 6. reſolut. 63. §. 3. num. 1502. quòd etiam baptiſmus reipſa ſuſceptus, non eſt medium neceſſariū, ſed in re, vel in voto, & tamen ſi adultus infidelis morti ſit proximus, ſi non adeſt ſacerdos, aut Diaconus, poteſt laicus ipſum baptizare, quia eſt præceptum diuinum de ſuſcipiēdo baptiſmo re ipſa, ſi adeſt copia miniſtrantis, quia idem non poteſt ſeipſum baptizare, ergo cum etiam ſit pręceptum diuinum de ſumendo viatico, ſi adeſt, qui poſſit tribuere, vel ipſe infirmus ſuis manibus poteſt ſumere, & ſic infirmus poteſt ſeipſum communicare, vel laicus ſi adſit, poteſt ipſum infirmum communicare, quia laicus non tenetur lege Eccleſiaſtica de non tangendo corpus Chriſti.

21 Ad hanc replicam, vt reſpōdeamus

deamus

Digitized by Google

deamus, ſciendum eſt. 1. quod baptiſmus, qui eſt Sacramentum conſiſtens in ablutione corporis exteriori ſub præſcripta verborum forma à Chriſto Domino inſtituta ad ſpiritualem animæ regenerationem dupplicitér eſſe poteſt neceſſarius, vel in re, vel in voto; quādo in re ob extrinſecum impedimentum haberi non poteſt. Sciendum eſt 2. baptiſmi Sacramentum eſſe etiam neceſſarium, & neceſſitate medij, & neceſſitate præcepti; at non æquali modo in omnibus hominibus, ſicut nequè etiam abſolutè, & ſimpliciter, ſi loquamur de vero baptiſmo, vt eſt Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum. Ex quo ſequitur, quod vbi baptiſmi neceſſitas eſt, quilibet erit ſufficiens miniſter, quòd eſt de fide, & deciſum habetur, tam in Concilio Tridentino, quam in Concilio Florentino, & Carthaginenſi; & ratio eſt; tū quia obſtetrices frequenter baptizant; tum etiam quia aliter innumeri pueri perirent; tum denique, quia baptiſmus eſt Sacramentū maximę neceſſitatis, & conſiſtit in materia valdè cōmuni, & ſimpliciſſima actione, & verbis.

22 Quibus ſuppoſitis ad argumentum reſpondeo: concedēdo antecedens, & negando cōſequentiam, tum quia Sacramentum baptiſmi eſt medium neceſſarium ad ſalutem neceſſitate medij, & neceſſitate præcepti, ſacra autem communio ſacramentalis in articulo mortis, ſolùm eſt neceſſaria neceſſitate præcepti; non autem neceſſitate medij, & finis, vt cum Diuo Thoma diximus, non ſolùm in prima probatione noſtræ ſententiæ, ſed etiam in ſolutione præcedentis argumenti; & ita laicus deficiente ſacerdote, & Diacono poteſt, & debet baptiſmi Sactamentum in caſu neceſſitatis adminiſtrare, & Sacramentum Euchariſtiæ in caſu neceſſitatis adminiſtrare non poteſt ſibi, nec alteri, quia cum adminiſtratio Euchariſtiæ, vt ſupra diximus fundetur in Sacerdotio; ita vt ratione ipſius conueniat, & in tantum Diaconis poteſt committi in quantum ſunt ex vi ordinis ſpeciales miniſtri Sacerdotis, & participant de eius virtute, quòd non habet laicus, cum nec ſit Sacerdos: neque communicet in officio Sacerdotis, & ita non poteſt etiam in caſu neceſſitatis ſacram Euchariſtiā adminiſtrare, ſicut poteſt adminiſtrare Sacramentum baptiſmi. Tum etiam, quia in caſu neceſſitatis, vt ſupra diximus, quilibet eſt ſufficiens miniſter Sacramenti baptiſmi ob maximam illius neceſſitatem ad ſalutem ſpiritualem animæ, & nulla eſt prohibitio, neque humana, neque diuina, vt quilibet non poſſit in dicto neceſſitatis caſu Sacramentum baptiſmi adminiſtrare, & imò contrarium determinatum eſt à Concilijs Tridentino, Florentino, & Carthaginenſi; adminiſtratio autem Sacramenti Euchariſtiæ prohibita eſt laicis iure Eccleſiaſtico, vt conſtat ex dicto capit. prouenit, & in opinione multorum Doctorum, etiam iure diuino, quia quando aliquis actus fundatur in poteſtate ordinis, eſt prohibitus de iure diuino omnibus non habentibus talem ordinem, quia ſunt inhabiles pro illo

actu, & proinde niſi per ordinem habilitentur, non poſſunt dictum actum exercere.

23 Ad ſecundum reſpondetur, negando maiorem, nam vt ſupra diximus numero decimooctauo, ſicut prohibitum eſt laicis alijs ſacram Euchariſtiam adminiſtrare etiam in caſu neceſſitatis, eadem ratione illis prohibitum eſt ſibi ipſis communicare ſacramentaliter, cum in vtroque ſit par ratio. Ad id autem, quod in argumento dicitur de Maria Regina Scotiæ, quæ ſubitura Martyrium cum ſecum adduceret ſacram Euchariſtiam de Pontificis licentia cum in tam manifeſto mortis periculo non haberet copiam Sacerdotis Catholici ſibi communicauit patet ex dictis dicto numero decimooctauo, nam, vt ibi diximus dicta Regina, & Martyr non tam ſumpſit, vt ſeipſam communicaret, quam, vt eam ab hæreticorum iniurijs eriperet, & ſi velimus dicere eam ſolùm ſumpſiſſe, vt ſeipſam communicaret, optima eſt ſolutio Patris Fagundis poſita ſupra numero decimo octauo. Ad id autem quod in contra arguitur, reſpondeo conceſſo antecedenti, negando conſequentiam, & ad eius probationem reſpondeo, quod epicheya, vt docet Ariſtoteles quinto Ethicorum capit. 10. eſt emendatio iuſtæ legis, & importat iudicium, quo legislator non intendit obligare in tali caſu. Dicitur autem emendatio legis, quia reduxit rigorem legis ad æquitatem, & differt ab interpretatione, quia hæc eſt ad omnes caſus, vt notat diuus Thomas ſecunda ſecundæ quęſtione 120. Quæ epicheya locum habet in lege humana, vt communiter docent Doctores cum Ariſtotele loco citato, quia lex ratione vniuerſalitatis poteſt in caſibus particularibus ratione circumſtantiarũ deficere ab æquitate, in noſtro autem caſu licet adminiſtratio Sacramenti Euchariſtię ſit prohibita laico lege humana, Eccleſiaſtica non habet locum epicheya, tum quia in articulo mortis fidelis conſtitutus deficiente legitimo miniſtro, qui ei poſſit ſacram Euchariſtiam per modum viatici adminiſtrare, non tenetur adimplere prçceptum diuinum de communione ſacramentali recipienda in dicto mortis articulo, imò ab hac obligatione eſt excuſatus ſuppoſito, quòd non adeſt miniſter legitimus, qui poſſit ei ſacram Euchariſtiam porrigere; & ita in hoc caſu non habet locum epicheya, præſertim in ſententia Caetani ſecunda ſecundæ quæſtione 120. articulo primo. Soti de iuſtitia, & iure quæſtione ſeptima articulo octauo. Vaſquez prima ſecũdæ diſput. 186. capit. 6. & aliorum aſſerentium epicheyam ſolum habere locum, quando ſeruare leges eſſet peccatum, quia epicheya eſſet emendatio legis, cum peccat; ſed ſolum peccat quando obſeruare illam eſſet peccatum, ergo ſolùm excludit obſeruantiam legis, quando illam obſeruare eſſet peccatum: atqui laicus obſeruando legem poſitiuam, Eccleſiaſticam illi prohibentem adminiſtrationem Sacramenti Euchariſticam non peccaret mortaliter Euchariſtiam, ſcilicet non adminiſtrando alijs etiam in caſu neceſſitatis, nempè in articulo mortis, aut

tempore

tempore peſtis, ſeù epidemiæ in defectu Sacerdotis,& Diaconi, ergo in dicto caſu nõ habet locum epicheya,præcipuè,quia infirmi conſtituti in articulo mortis, non ſunt obligati ad præceptum diuinum de ſumẽda ſacra Euchariſtia per modũ viatici deficiente ſacerdote, & Diacono, qui eam poſſit adminiſtrare, imo ab hac obligatione ſunt legitimè excuſati. Deindè, quia licèt cum cõmuniori Doctorum ſententia aſſeramus,epicheyam habere locum, etiam, quando lex eſt nimis dura, & difficilis, vt deſumitur ex lege nulla ff. de legibus, & aſſerunt Suarez tomo 6. de legibus capit. 7. Gordonius lib. 2. Theologiæ moralis quæſtio. 12. cap. 3. Lorca prima ſecundæ diſputatione 26. de legibus, Ludouicus Caſpenſis in curſu Theologiæ tom. 1. tract. 13. de legibus diſp. 6. de ceſſatione legis ſect. 1. nu. 6. Zacharias Paſqualigus tom. 2. Theologiæ moralis diſput. 38. ſect. 1. adhùc in hac opinione locum non habet epicheya in noſtro caſu, quia adimpletio legis humanæ poſitiuæ, Eccleſiaſticæ, prohibentis laico ſibi, aut alijs ſacram Euchariſtiam adminiſtrare, nec difficilis, imò facilis, & ſuauis, & ſpectans ad maximam reuerentiam Euchariſtię Sacramento debitam, ob quam fuit prohibita laicis huius Sacramenti adminiſtratio, & ordinatum, quòd omnimodis præsbyter per ſeipſum infirmo communicet, vt conſtat ex dict. cap. peruenit, ergo non licet vti epicheya in noſtro caſu, & conſequenter non poterit laicus deficiente ſacerdote, & Diacono ſacram Euchariſtiam adminiſtrare, etiam in caſu neceſſitatis.

24 Ad ſecundam replicam, ſeù argumentum, quod licet Pater Hurtado contra prædictam reſponſionem Patris Vaſquez, & Fagũdez præter quam, quòd facile, vt dixi in præcedenti ſolutione pręcedentis numeri poteſt conſtare, reſpondeo: concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem, lex diuina pro hominum ſalute pręcipit, quod in articulo mortis ſumeretur viaticum; ita vt in articulo mortis obligaret pręceptum diuinum de ſumendo viatico, etiam deficiente legitimo miniſtro, qui illud poſſit adminiſtrare, nego minorem, ita vt pręceptum diuinum de ſumendo viatico in dicto articulo, ſolum obligaret ſtãte legitimo miniſtro, qui illud poſſet infirmo adminiſtrare concedo minorem, & nego conſequentiam, nam obſeruatio legis humanę prohibentis laico adminiſtrationem Euchariſtię, non eſſet in tali caſu nociua, nec duriori interpretatione contra hominum commodũ, qui priuantur maximo iuuamine in illa neceſſitate, perduceretur ad ſeueritatem (vt malè iudicat Hurtadus) ſi laicus ſe abſtineat in abſentia miniſtri competentis à datione Euchariſtiæ in dicto caſu neceſſitatis, nam vt benè inquit Diuus Thomas loco ſuperius citato ex 4. ſententiarum in dicta ſolutione ad 3. cum receptio huius Sacramenti non ſit neceſſitatis, nulla eſſet ratio, quę moueri poſſit ad aſſerendum, quòd virtute epicheyę poſſit laicus in dicto caſu neceſſitatis Euchariſtiam adminiſtrare infirmo non obligato, ex defectu miniſtri legitimi ad ſumptionem Euchariſtię,

O 2 vndè

Digitized by Google

vndè (vt concludit Diuus Thomas) ei, qui non poteſt ſacramentaliter manducare dicendum eſt, crede, & manducaſti.

25 Ad tertium reſpondetur 1. cum Zacharia Paſqualigo dict. tom.2. Theologię moralis diſp. 108. ſect.7. num.32. concedendo eſſe malùm ex natura rei, & iure diuino prohibita adminiſtratio Sacramenti Euchariſtię ab alio, quàm à miniſtro competenti, & legitimo, cuius rationem reddit Paſqualigus, quia adminiſtratio Euchariſtię fundatur in ſacerdotio, ita vt ratione ipſius conueniat; & in tantùm Diacono poteſt committi, in quantum eſt ex vi ordinis Diaconatus, ſpecialis miniſter Sacerdotis, quando autem aliquis actus fundatur in poteſtate ordinis eſt prohibitus (inquit Paſqualigus) de iure diuino omnibus non habentibus talem ordinem, quia ſunt inhabiles pro illo actu; & proinde niſi per ordinem habilitentur non poſſunt dictum actum exercere; ad probationẽ illius partis dilemmatis, quæ in argumento eſt probatio minoris ſubſumptę, reſpondetur, quod licèt in Eccleſia Dei primitiua mos fuiſſet, quòd laici proprijs manibus ſacram Euchariſtiam tangerent, non tamen vnquam mos fuit, vt ſacrã Euchariſtiam adminiſtrent, vt colligitur ex Concilio Tridentino ſeſſ.13. cap.8. de vſu huius Sacramenti ibi. In ſacramentali autem ſumptione ſemper in Eccleſia Dei mos fuit, vt laici à ſacerdotibus communionẽ acciperent; ſacerdotes autem celebrantes ſeipſos communicarent; qui mos tamquam ex traditione Apoſtolica deſcendens iure, ac merito retineri debet. Vbi notanda ſunt illa verba (ſemper in Eccleſia Dei mos fuit, vt laici à Sacerdotibus communionem acciperent) ex quibus hanc conſequentiam infert, ergo nunquam in Eccleſia Dei mos fuit, vt laici ab alijs, quam à ſacerdotibus communionem acciperent, valet conſequentia, nam aliàs illa propoſitio Concilij Tridentini eſſet falſa, quia ſi aliquo tempore mos fuit vt in Eccleſia Dei laici adminiſtrarent ſibi, aut alijs Sacramentum Euchariſtiæ, ergo falſum eſt aſſerere, quod ſemper in Eccleſia Dei mos fuit, vt laici à Sacerdotibus communionem acciperent; atqui hęc propoſitio affirmatur à Concilio Tridentino, ergo, vel eſt falſum aſſerere, quod in aliquo tempore mos fuit in Eccleſia Dei, vt laici ſibi, aut alijs communionem adminiſtrarent; vel eſt falſa dicta propoſitio Concilij Tridentini, atqui hoc aſſerere eſt hæreticum, ergo aſſerendum neceſſariò eſt, quod numquam mos fuit in Eccleſia Dei, vt laici ab alijs, quam à Sacerdotibus cõmunionem acciperent. Qui mos fuit forſitan fundatus, quia vt certum tenebatur prohibitũ eſſe laicis iure diuino Euchariſtiæ Sacramentum adminiſtrare, vtpotè actus fundatus in poteſtate ordinis, quæ poteſtas nullo modo reperitur in laicis, & ſolùm Gelaſius Papa epiſtola prima capit.9. & 10. conceſſit ſolis Diaconis, vt in neceſſitate in defectu ſacerdotum poſſint Euchariſtiam infirmis miniſtrare, quatenus Diaconi ſunt ſacerdotum miniſtri immediati, & aliquo modo participant de eius virtute, vt affirmat Diuus Thomas loco ſuperius citato

ex

ex tertia parte.

26 Nec valet, ſi dicas Conciliũ Tridentinũ loqui extra caſum neceſſitatis, in quo ſenſu affirmat, quod ſemper mos fuit in Eccleſia Dei, vt laici à ſacerdotibus communionem acciperent, in quo ſenſu vera eſt cõſequentia noſtri argumenti, ſcilicet, ergo nunquam mos fuit in Eccleſia Dei, vt laici ab alijs, quam à ſacerdotibus communionem acciperent, cum quo benè ſtare poteſt, vt in caſu neceſſitatis poſſit laicus ſibi, aut aliis ſacram Euchariſtiã miniſtrare, ſicut in ſimili neceſſitatis caſu, poteſt baptiſmi Sacramentum alijs miniſtrare. Hoc inquam non valet, tum, quia Sacramentum baptiſmi eſt ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem, & ſic ſtante miniſtro, qui illum poſſit miniſtrare eſt neceſſarium in re; Sacramentum autem Euchariſtię non eſt ſimpliciter neceſſarium ad ſalutẽ, & ſic cõmunio ſacramentalis in articulo mortis nõ eſt neceſſaria neceſſitaté medij, ſed neceſſitate pręcepti, quòd pręceptum diuinum in dicta neceſſitate nõ obligat, ſi non adeſt ſacerdos, aut Diaconus, qui Euchariſtiã poſſint infirmo miniſtrare, cum alię perſonę ſint incapaces miniſtrandi ſacram Euchariſtiam, eò quod iſta talis adminiſtratio ſit actus fundatus in poteſtate ordinis, ac proinde niſi per ordinẽ quis habilitetur, nõ poteſt prędictum actum exercere, tũ etiam, quia Concilium Tridentinum declarat, quòd in caſu neceſſitatis poteſt quilibet homo in defectu ſacerdotis (Diaconi, & ſubdiaconi) Sacramentum baptiſmi adminiſtrare, & habetur in cap. Mulier 20. de conſecrat. diſtinct. 4. ibi Mulier quamuis docta, & ſancta viros in conuentu docere, vel aliquos baptizare non pręſumat, niſi neceſſitate cogente &c. & in cap. in neceſſitate 21. eodem tit. & diſtint. vbi dicitur, in neceſſitate cum Epiſcopi, aut pręſbyteri, aut quilibet miniſtrorũ non inueniuntur, & vrget periculum eius, qui petit, ne ſine iſto Sacramento hanc finiat vitam, etiam laicos ſolere dare Sacramentum, quod acceperũt ſolemus audire, ergo ſi intentũ Concilij Tridentini in verbis ſuperiꝰ relatis eſſet, loqui extra caſum neceſſitatis, explicaret certè in caſu neceſſitatis licere laico in defectu ſacerdotis, & diaconi ſacram Euchariſtiam adminiſtrare, ſicut explicat in adminiſtratione Sacramẽti baptiſmi, ergo cum hoc non faciat, ſed loquatur abſolutè, & abſq; diſtintione, abſolute, & abſquè diſtintione intelligi debet, ergo cum aſſerit, quod in Eccleſia Dei ſemper mos fuit, vt laici à ſacerdotibus communionem acciperent, aſſerendum eſt Cõcilium, loqui etiam in caſu neceſſitatis, & ſic infertur optimè conſequentia noſtri argumenti ſcilicet, quod nunquam in Eccleſia Dei mos fuit, vt laici ab alijs, quam à ſacerdotibus cõmunionem acciperent.

27 Secundo. Reſpondetur eligendo ſecundam partẽ dilemmatis, nempè, quod non ſit prohibita laicis adminiſtratio ſacroſanctę Euchariſtię iure diuino, ſed dumtaxat iure humano, poſitiuo, Eccleſiaſtico, & negando conſequentiã, quia vt ſupra diximus, cum cõmunio ſacramentalis in caſu neceſſitatis, vt in mortis articulo nòn ſit medium eſſentialiter neceſſarium ad ſalutem, vt eſt

Sa.

Sacramentum baptiſmi, hinc prouenit, quòd in tali caſu neceſſitatis, deficiente miniſtro idoneo, qui poſſit Sacramentum Euchariſtię adminiſtrare, non obligat præceptum diuinũ de ſacra Euchariſtia recipiẽda, & ſic laicus in tali caſu tenetur ſeruare legem poſitiuam Eccleſiaſticam, illi prohibentem adminiſtrationem ſacramenti Euchariſtię, vt ex ſolutione primi, & ſecundi argumenti oppoſitę ſententię conſtat.

28 Ad quartum reſpondetur. 1. negando antecedens, quoad ſecundam partem, nam vt diximus num. 26. ſolut. 1. ad 3. argumentum cum Patre Zacharia Paſqualigo, prohibitum eſt iure diuino laicis Sacramẽtum Euchariſtiæ adminiſtrare, vt. potè actus fundatus neceſſariò in poteſtate ordinis, & ita cui non eſt conceſſa iure diuino poteſtas conficiendi, eſt negata iure diuino poteſtas diſtribuendi, nam licèt vſus huius Sacramenti, non ſit de eius eſſentia, fundatur tamen in poteſtate ordinis neceſſariò vt ſupra diximus, vnde diſtinguendum eſt conſequens: ergo non repugnat, quod ille, qui non poteſt conficere, poſſit diſtribuere, ſi tale ſubiectum non ſolũ careat Sacerdotio, in quo miniſtratio Euchariſtiæ immediatè principaliter fundatur, ita vt ratione ipſius conueniat, ſed etiam careat ordine Diaconatus, ratione cuius Diaconus, ex vi dicti Ordinis eſſet ſpecialis miniſter Sacerdotis participans aliquo modo de eius virtute nego conſequentiam; ſi habeat ordinationem, ſaltem Diaconatus, concedo conſequentiam, quia tunc licèt non habeat authoritatem ordinariam adminiſtrã di Sacramentum Euchariſtiæ, habet tamen illam delegatam à Summo Pontifice, vt conſtat ex illa epiſtola ſuperius citata Gelaſij Papæ, qui determinauit, vt in caſu neceſſitatis in abſentia ſacerdotis, poſſet Diaconus diſpenſare corpus Chriſti Domini, nam licet Summus Pontifex non habeat authoritatem diſpenſandi in iure diuino, habet tamẽ authoritatem illud explicandi, & interpretandi, & ſic licèt prohibitum ſit iure diuino ſacram Euchariſtiam adminiſtrari à nõ ſacerdotibus, qui ſicut habent poteſtatem cõficiendi ſacramentum Euchariſtię ita ad eos pertinet de iure diuino Sacramentum alijs adminiſtrare; vt potè actus fundatus in poteſtate ordinis; Pontifex Gelaſius explicauit hoc diuinum pręceptum, aſſerens non eſſe prohibitam Diaconis ſacrę Euchariſtiæ adminiſtrationem in caſu neceſſitatis, abſente Sacerdote, ex eo quòd ex vi ſuę ordinationis eſt miniſter immediatus ſacerdotis, participans aliquo modo de eius virtute. Cum enim laici nullam habeãt poteſtatem ordinis, sũt inhabiles ad adminiſtrandum Euchariſtiæ Sacramentum, nec poteſt Pontifex cum illis diſpẽſare in caſu neceſſitatis, niſi habilitando illos ad ſacros ordines Præsbiteratus, aut Diaconatus, quia aliàs diſpenſaret in iure diuino prohibente laicis adminiſtrationem huius Sacramenti, quod non poteſt dici.

29 Secundo. Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam vltimam, nã licet verum ſit, quod nõ repugnet, quod ille, qui non poteſt cõficere poſſit diſtribuere, ſaltem in caſu neceſſitatis, vt patet in

in Diacono, qui non poteſt conficere, & poteſt diſtribuere in dicto neceſſitatis caſu, cum diſtributio fiat ſacramenti iam facti, non tamen ſequitur vltima conſequentia, ergo poterit laicus in caſu neceſſitatis deficiente Sacerdote, & Diacono ſacram Euchariſtiam infirmo exiſtenti in articulo, vel periculo mortis diſtribuere. Hæc autem conſequentia minimè ſequitur, tum quia, vt ſupra diximus in dicto caſu non obligat præceptum diuinum de ſacra communione accipienda, cum communio ſacramentalis in mortis articulo non ſit neceſſaria neceſſitate medij eſſentialiter requiſiti ad conſecutionem vitæ æternæ, & ſic ſeruanda eſt lex poſitiua Eccleſiaſtica prohibens laicis ſacramenti Euchariſtiæ adminiſtrationem; nec hic locum habet epicheya, vt ex ſupradictis in hac reſolutione conſtat, cum etiam, quia adminiſtratio Sacramenti Euchariſtiæ etiam in caſu neceſſitatis eſt actus authoritatiuus ordinis ſacerdotalis, qui in neceſſitate ſolum cõceditur Diaconis priuatiuè, & non alijs, indecens autem eſt, & ex ſua natura in reuerentiam tanti Sacramenti cedit, quòd laicus etiam in caſu neceſſitatis hunc actum ſibi vſurpet. Vt colligitur clarè ex cap. peruenit de conſecratione diſtinct.2. ſuperius citato, vbi vt ſuperius retulimus in probatione ſecundę noſtræ ſententiæ dicitur horrendum, & deteſtandum ſacrilegium eſſe, quod per laicos ſacra Euchariſtia ad infirmos deferatur.

RESOTVTIO SECVNDA.

An in caſu neceſſitatis poſſit Sacerdos ſibi ipſi ſacram Euchaſtiam adminiſtrare extra Miſsę ſacrificium?

30 PRæſens difficultas dupplicìciter poteſt diſputari. Primo an ſacerdos in articulo mortis conſtitutus abſente Epiſcopo, & alio quocumque Sacerdote (præſente tamen Diacono) ſi poſset ad ſacrariũ accedere poſſit ſeipſum proprijs manibus communicare per modum viatici, ne ſine hoc diuino viatico è vita diſcedat? Secundo an Sacerdos cõſtitutus in mortis articulo in aliqua terra, aut Villa; ita exigua, vt in Eccleſia non ſit ſacrarium, nec adſit Sacerdos, qui poſſit miſſam celebrare ad porrigendum ei diuinum viaticum in tali afflictione conſtitutus poſſit dictus ſacerdos extra Miſſam particulam aliquam conſecrare, vt ſeipſum communicet per modum viatici in dicto mortis articulo.

31 Loquendo de hac difficultate in primo ſenſu prima ſententia ſubſtinet poſſe Sacerdotem in dicto caſu etiam præſente Diacono ſeipſum proprijs manibus communicare, dum in tali caſu nullum ſequeretur ſcandalum: ita Syluius in tert. parte quæſt.82.art.4. Homobonus de examine Eccleſiæ parte 1.tract.4.cap.11.num.106. Fagundez in præcepta Eccleſiæ præcepto 3.lib.3.cap.3.num.7. Suarez tom.3.in 3.part.diſp.72 ſect.3. licet Fagundez hanc ſẽtentiam limitet, niſi in tali caſu adeſſet Diaconus, quia in tali caſu iudicat non poſſe Sacerdotem

tem ſeipſum communicare, quę limitatio non placet Patri Dianæ par.2.tractat.14.reſolut.53. vbi abſolutè docet poſſe Sacerdotem etiam præſente Diacono in mortis articulo ſeipſum communicare. & 3 part. tract. 4. de Sacramentis reſolut. 47. affirmat, quòd etiam extra articulum mortis poteſt ſacerdos proprijs manibus ſeipſum communicare ceſſante ſcandalo, etiam Diacono præſente per hæc verba: notandum eſt tamen hic obiter, quod ſi magnum feſtum adſit, & Sacerdos ſacrificare nõ poſſit, poſſe quidem eum tali caſu ſcandalo ceſſante ex ſacrario Euchariſtiam accipere, & ſeipſum communicare ſi alius ſacerdos non adſit, & hoc etiam præſente Diacono, licèt poſtea part. 5. tract. 3. de caſibus occurrentibus tempore mortis contrarium doceat, etiam in mortis articulo reſolut. 48. rem forſitan maturius conſideratam; ne dicamus ſibi eſſe contrarium. Sà verbo Euchariſtia num. 35. Coninch. quæſt.82.art.3.num.25. Rodriquez tom.1.ſummæ cap.67.nu. 2.concl. 2. in fine, apud D. Carolum Malletum in auro Theologiæ moralis tom. 1. de Sacramentis malleatione 4. bracteà 58. vbi hanc ſententiam ſubſtinet abſolutè, & abſque limitatione exiſtentię Diaconi: inuenies citatum Rodriquez in ſumma cap.64. falsò tamen forſitan, quia eum non vidit Layman tom.2.tractat.4. cap. 7. num. 5. Granadus in 3. part. controuerſia 6. de Euchariſtia tract. 12. diſput. 11. num. 5. Leander à ſanctiſſimo Sacramen. part. 2. tract. 7. de Euchariſtia quęſt. 15. Qui etiam concedit hoc licere, etiã extra caſum neceſſitatis deuotionis cauſa quęſtion. 14. Pater Thomas Hurtado tom. 1. reſolutionum moralium tractat. 5. cap. 6. reſolut. 65. Pater Ioannes de di Caſtillo de Sacramentis tom. 1. tract. 4. de Euchariſtia diſp. 11. dubit. 6. num. 103. Caietanus in ſumma verbo communionis miniſter Vaſquez 3. par. diſp. 219. cap. 1. num. 17. Armilla verbo communio num. 8. Filliucius tract. 4. cap. 9. num. 285. Villalobos part. 1. ſummę tract. 7. difficul. 48. num. 1. & alij.

32 Probatur hęc ſententia à Patre Hurtado. Primo quia nulla eſt cõſuetudo, ex qua poſſit colligi oppoſitum. Secundo, quia Diaconus poteſt Euchariſtiam miniſtrare de Epiſcopi, aut Sacerdotis licentia, ergo ſi iſte hoc concedat poteſt proprijs manibus ſumere. Tertio, quia propter quod vnumquodque tale, & illud magis, atqui Diaconus miniſtrat propter coniunctionem ad ſacerdotiũ, cui iure diuino competit diſtribuere hoc Sacramentum, ergo etiam ipſo præſente aptius, & congruentius, quàm Diaconus ſibi miniſtrare poteſt; vtpotè habens manus conſecratas. Id autem, quod habet Diaconus ex vi ſuę ordinationis non eſt aliud, quàm capacitas, vt ſibi diſtributio Euchariſtię poſſit committi. Priuilegium autem hoc non cogit, vt ſit miniſter.

33 Secunda ſententia negat poſſe Sacerdotem pręſente Diacono, etiam in caſu neceſſitatis, ſcilicet in mortis articulo ſeipſum communicare per modum viatici; ita Fagundez loco ſuperius citato Prępoſitus in 3. part. quęſt. 82. art. 3. dub. 1. n. 11. Ochagauia de Sacramen. tract. 3. de Euchariſtia quęſt. 4. nu. 6. Diana part. 5. tract. 3. reſolut. 48

Pater

Digitized by Google

Pater Franciſcus de Lugo de Sacramentis lib. 4. de Euchariſtia cap. 11. quæſt. 5. num. 49. & alij. Fundamentum huius ſententiæ poſtea adducemus: quare pro deciſione huius difficultatis quoad hanc partem.

34 Dico 1. in caſu neceſſitatis nempè in mortis periculo, aut articulo poteſt Sacerdos ſi non adeſt alius Sacerdos, aut Diaconus ſeipſum proprijs manibus ex particulis præconſecratis communicare, dum non ſequatur aliquod ſcandalum: ita aſſerere tenentur Authores vtriuſque ſententiæ. Probatur concluſio ex Concilio Niceno primo canone 14. vbi iubentur Diaconi accipere ſecundum ordinem poſt Præsbyteros ab Epiſcopo, vel à Præsbytero ſacram communionem. Quod ſi non fuerit in præſenti, vel Epiſcopus, vel Præsbyter: tunc ipſi proferant, & edant, atqui omnes Sacerdotes Diaconi ſunt, ergo in caſu neceſſitatis habent facultatem in abſentia Sacerdotis, & Diaconi ſeipſos communicandi. Nequè obſtat Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 8. vbi dicitur, quòd in ſacramẽtali ſumptione ſemper in Eccleſia *Dei mos fuit, vt laici à* Sacerdotibus communionem acciperent: Sacerdotes autem celebrantes ſeipſos communicarent, vbi ſolum intra miſſam videtur cõcedi huiuſmodi poteſtas ſacerdoti miniſtrandi ſibi ipſi. Hoc inquam non obſtat, vt notat Eminentiſſimus Cardinalis de Lugo diſput. 18. de Euchariſtia ſect. 1. num. 20. tũ quia Concilium ſolùm loquitur de facto; non autem de iure, quid fieri poſſet ſecluſa prohibitione humana, prout nunc loquimur; nam ideo laici non poſſunt ſeipſos etiam in mortis articulo proprijs manibus communicare, quia illis eſt prohibitum, ſaltem lege humana, poſitiua, Eccleſiaſtica, vt reſolutione præcedẽti diximus, quæ prohibitio non eſt facta Sacerdotibus, tum etiam, quia nec Concilium dixit Sacerdotes extra miſſam accepiſſe Euchariſtiam ab alijs; ſolùm dixit laicos accepiſſe à ſacerdotibus, & ſacerdotes in miſſa à ſeipſis, quomodò autem ſacerdotes extra miſſam acceperint, omittit; vndè potius argumentum in contrarium deſumi poteſt, quòd de eo puncto nihil dixerit Concilium; ſed potius omiſit, vel quia Sacerdotes non ſolent regulariter communicare, niſi dum celebrant, vel id faciunt dum ægrotant in caſu, quo non habeant miniſtrum idoneum, à quo in tali caſu poſſint communionem accipere.

35 Dico 2. Sacerdotes extra caſum neceſſitatis; etiam ſi ſcandalum abſit non poſſe per ſeipſos Euchariſtiam ſumere: ita Caetanus verbo communionis miniſter, Vaſquez 3. parte diſputat. 219. cap. 1. num. 17. Armilla verbo communio num. 8. Filliucius tractat. 4. cap. 9. numer. 255. Villalogos in ſumma parte prima tractatu 7. difficultat. 48. numer. 1. Zacharias Paſqualigus tomo ſecundo Theologiæ moralis diſputat. 108. ſectione 8. numero 36. Deſumitur hæc concluſio ex Concilio Tridentino ſectione 13. ſupra citata cap. 8. & probatur, quia ſacerdos non celebrans, & ſumens Euchariſtiam ſumit tanquam ouis paſcenda cibo illo ſpirituali, & non vt Sacerdos: ergo non poteſt

Digitized by Google

per ſeipſum ſumere extra neceſſitatis caſum. Probatur antecedens, quia, vt Sacerdos habet tantùm duos actus proprios confectionem Euchariſtiæ, & miniſtrationem, atqui miniſtratio non poteſt exerceri, niſi ſit adiuncta iuriſdictio, ſaltem ex priuilegio, aut ex commiſſione, nam proindè dicit exercitium paſtoris in ordine ad oues: ergo cum ſacerdos ſit ouis, quando non ſumit, vt ſacerdos celebrando, debet ſumere, vt ouis, ergo debet ſumere communionem ab alio, ſcilicet à paſtore. Patet conſequentia, quia vt ouis dicit ordinem, & ſubiectionem ad paſtorem à quo paſcenda eſt.

36 Dico tertiò. Sacerdos, qui in mortis articulo conſtitutus, ſi adſit Diaconus, qui poſſit illi ſacrum viaticum porrigere, nō poteſt ſeipſum proprijs manibus communicare, etiamſi abſit ſcandalū. Hæc concluſio defenditur à Doctoribus ſecundę ſententiæ, & probatur, quia communio ſacerdotis extra miſſam, etiam in caſu neceſſitatis eſt laica, & ita vocatur à Concilijs, debetque ad illam conſiderari ſacerdos, ac ſi eſſet laicus, nec ſacerdotiū præceſſiſſe, ergo quando adeſt miniſter legitimus, qui poſſit ei in tali periculo ſacram Euchariſtiam porrigere, non licebit ei ſeipſum proprijs manibus communicare, etiam ſi abſit ſcandalum. Atqui in caſu neceſſitatis abſente ſacerdote Diaconus eſt miniſter legitimus ad adminiſtrandam Euchariſtiam moribundo per modum viatici illi conceſſam à Summis Pontificibus, & à iure, ergo præſente Diacono tenetur ſacerdos in dicto caſu neceſſitatis ab illo ſacrū viaticum accipere, & nō poteſt ſeipſum proprijs manibus communicare. Cōſequentia eſt formalis, & minor conſtat, tum ex epiſtola prima Gelaſij Papæ cap. 9. & 10. tum ex Concilio Nicæno cap. 14. citato, vbi dicitur, quòd ſi non fuerit in præſenti, vel Epiſcopus, vel Præsbyter: tunc ipſi (ſcilicet Diaconi) proferant, & edant.

37 Ad fundamenta primæ ſententiæ, quatenus opponuntur huic tertiæ concluſioni reſpōdetur ad primum reſpondeo, quod licet non ſit conſuetudo expreſſa in contrarium (de quo mihi maximum dubium eſt) colligitur tamen eſſe prohibitum ſacerdotibus ſeipſos proprijs manibus communicare, etiam in articulo mortis præſente Diacono ex Conciliis appellantibus communionem ſacerdotis extra miſſam laicam eſſe, & etiam ex Concilio Tridentino, vt ſupra diximus, & ſic præſente Diacono, qui in eo caſu eſt verè miniſter ſufficiens, tenetur ſacerdos ab illo viaticum accipere. Ad ſecundum reſpondeo, quod licet Diaconus ad adminiſtrandam Euchariſtiam laicis in caſu neceſſitatis præſente Epiſcopo, vel Præsbytero egeat licentia Epiſcopi, vel Præsbyteri ad dictum munus exequendum, in noſtro autem caſu non egeat licentia ſacerdotis ad porrigendum ei ſacrum viaticum, qui in dicto caſu Sacerdos non ſe habet, vt Sacerdos, & Paſtor; ſed ouis paſcenda cibo illo ſpirituali, & Diaconus in dicto caſu ſe habet, vt paſtor iuriſdictione ipſi delegata à Summo Pontifice

tiſce, & Eccleſia, & ſic Sacerdos non poteſt ſeipſum communicare. Ad tertium reſpondeo, diſtinguendo antecedens propter quod vnumquodque tale, & illud magis; ſi ſermo ſit in eodem ordine cõcedo antecedens, ſi ſermo ſit in diuerſo ordine, nego antecedens, nam licet Diaconus Sacramentum Euchariſtiæ poſſit in caſu neceſſitatis alijs moribundis adminiſtrare in abſentia ſacerdotis, vel de mandato, & iuſſu *Epiſcopi*, vel *Presbyteri* propter coniunctionem ad Sacerdotium, cui de iure diuino competit diſtribuere hoc Sacramentum, & in hoc ſenſu ſi competit Diacono, potiori iure competit Sacerdoti mandanti, ſeu præcipienti, eò quod Diaconus ex vi ſuæ ordinationis, id, quod habet, non eſt aliud, quam capacitas, vt ſibi diſtributio Euchariſtiæ poſſit committi, & in hoc ſenſu tenet Axioma, propter quod vnumquodq; tale, & illud magis, non tamen tenet in caſu præſenti, de quo loquimur, quia in iſto caſu cõmunio ſacerdotis dicitur laica, quia non ſumit Euchariſtiam, vt ſupra diximus, vt ſacerdos, & vt paſtor, ſed tanquam ouis paſcenda cibo illo ſpirituali, & non vt ſacerdos, ob quam rationem tenetur, ſi velit ſacrum viaticum accipere per manus Diaconi, qui in tali caſu eſt verè, & propriè miniſter ſufficiens; & ſic in hoc caſu locum non habet prædictum axioma, propter quod vnumquodque tale, & illud magis, cum Sacerdos in tali caſu non ſupponat, vt Sacerdos, & paſtor, ſed vt ouis paſcenda illo cibo ſpirituali, nam idem reſpectu ſui ipſius non poteſt eſſe paſtor, & ouis, vnde neganda eſt conſequentia propter rationes ſuperius dictas.

38 Loquendo autem de hac difficultate in ſecundo ſenſu, dicendum eſt, non poſſe Sacerdotem Hoſtiam, ſeu particulam conſecrare, vt ſe communicet per modum viatici, & contrarium aſſerere eſt improbabile, & dici non poteſt. Hanc concluſionem tenent omnes Doct. vtriuſque ſententię ſuperius relatæ, contra Maiorem, qui nimia licentia id conceſſit, & ratio præcipua eſt, quia, vt cum Diuo Thoma docent *Vaſquez* 3.part.diſp.223.cap.3. Valentia diſp.6.quæſt.10.punt.4. Suarez diſp.43.ſect.3.& 4. de iure diuino eſt celebrare ſacrificium Altaris in vtraque ſpecie panis, & vini, quod præceptum præpõderat magis, quam recipere viaticum tempore mortis, cũ hoc ſit diuinum poſitiuum, illud verò diuinum negatiuum, quod obligat ſemper, & pro ſemper.

RESOLVTIO TERTIA.

Vtrùm licitum ſit Sacerdoti, Miſſam celebrare non ieiuno ad porrigendum viaticum infirmo in articulo mortis conſtituto, caſu, quo non adſit alius ſacerdos ieiunus, qui poſſit miſſam celebrare ad præbendum viaticum dicto infirmo, nec ſint particulæ præconſecratæ in ſacrario Eccleſiæ?

39 IN hac reſolutione ſuppono, vt certum, quod ſacerdos ſi non ſumpta ablutione cõmunicauit, poterit ſecundo celebrare; ſi neceſſitas adſit vrgens, nempè ad porrigendum viaticum infirmo in articulo mortis conſtituto, & ratio eſt, quia,

vt docent communiter Doct. ſacerdos in aliquibus caſibus poteſt bis in die celebrare, ergo in caſu neceſſitatis, nempe ad præbendum viaticum infirmo poterit Sacerdos, ſi alius non adſit, qui poſſit celebrare, non ſumpta ablutione, iterum miſſam celebrare.

40 Quo ſuppoſito, quod in pręſenti dubitatur, eſt vtrum Sacerdos non ieiunus, poſſit miſſam celebrare, & viaticum infirmo in articulo mortis conſtituto porrigere, qui ita deſperatus eſt, vt alium diem attingere nequeat? prima ſententia ſubſtinet, valdè probabile eſſe, & tutum in praxi aſſerere, & ſuadere ſacerdotem non ieiunum poſſe miſſam celebrare ad communicandum infirmum, ita periculoſum, vt expectare amplius non valeat, & ingens immineat periculum, vt nō ſumpto viatico decedat. Hanc ſententiam acriter defendit Pater Thomas Hurtado part.2. reſolutionum moralium tractat.11. cap.9. reſolut.8. nu.310. & deinceps. Pro qua ſententia plures citat num.306.307. & 308.

41 Probatur 1. hæc ſententia à Patre Hurtado nu.311. quia ſuſcipere viaticum in mortis articulo, eſt pręceptum diuinū, atqui celebrare miſſam in ieiunō eſt præceptum humanum, ergo licebit ſacerdoti non ieiuno miſſam celebrare, vt proximus diuinum præceptum adimpleat. Probatur conſequentia, quia charitas dictat, proximum ſuccurri debere iuuaminibus à iure diuino conceſſis, neque hoc Sacerdoti adimere valet ius humanum, ſicut nec prohibere viaticum porrigi infirmo non ieiuno, quia hoc præſidiū Chriſtus illi largitus eſt. Confirmatur, quia licèt extet præceptum diuinū de confitendo ante miſſæ celebrationem, nihilominus poteſt ſacerdos nō pręmiſſa confeſſione celebrare ad cōmunicandum infirmum, ergo etiam poterit non ieiunus. Cōſequentia eſt euidens, quia ſicut in primo caſu virtus epicheyę dictat, pręceptum diuinum nō obligare, quia magnum ſubſequitur detrimentum moriendi ſine viatico, cum hoc detrimētum etiam ſequatur in noſtro caſu, poterit ſacerdos non ieiunus celebrare, ſicut valet non pręmiſſa confeſſione.

42 Nec valet. Si cum Vaſquez reſpondeas huic rationi epicheyam habere locum in eo, quòd infirmum communicet, etiam non ieiunus, quia cum hoc moraliter impoſsibile ſit infirmo, lex de ſeruando ieiunio, naturę redderetur nociua, quod non ſequitur, ſi negetur infirmo Sacramentum, quia nō poteſt illi pręberi iuxtà ritum ab Eccleſia in vniuerſum pręſcriptum, ne fieret conſecratio pręter vniuerſalem conſuetudinem ab Eccleſia laudabilem.

43 Sed hanc reſponſionem impugnat Pater Hurtado nu.315. quia ſecluſa lege, & pręcepto Eccleſię celebrandi in ieiunio, nociuum eſſet infirmo non ſuſcipere viaticū, quia extat pręceptum diuinum, & Sacerdos poterit, & tenebitur celebrare, ſi eſſet Parochus, & ouis ſua paſcua de corpore Chriſti non amitteret, ergo pręceptum Eccleſiaſticum ſuperueniens, non tollit illi pręhabitam obligationē iure naturę, & iure diuino, & virtus epicheyę locum obtinet. Pręcipuè, quia miſſam celebrare poſt moderatum cibum & potum, non ita ingens irre-

ue-

ucrentia eſt, quòd in caſu, tam magnę neceſſitatis, vt eſt infirmum pro viatico communicare, non debeat Sacerdos celebrare; quia ſi ita grauis irreuerentia eſſet, non eſſet licitum ipſi moribundo non ieiuno cõmunionem accipere.

44 Secundo probat hanc ſententiam Pater Hurtado n. 317. quia ſi Parochus nocte Natalis Domini, poſt primam miſſam dictã, ſumpſit ablutionem, poteſt, & debet iterum celebrare propter vitandum ſcandalum. Ita tenent Anglez in 4. quęſt. de ſuſcipientibus Euchariſtiã art. 6. difficultate prima concl. vnica, vbi ſic loquitur, vnde manifeſtum eſt, quod ſi in aliquo oppido eſſet vnus tantum ſacerdos, qui in die Natalis Domini poſt mediam noctem, ieiunium naturę ſoluiſſet, neq; reperiri poſſet ſacerdos, qui miſſam celebraret, teneretur profectò rem ſacram facere, ne populum ſcandalizaret, cum ei ex officio celebrare incumbat. A ſimili poſſunt alij caſus occurrere, in quibus ſcandalum ſequitur; poteritque non ieiunus miſſam inchoare, & perficere. Ita ille: ergo etiam ad vitandũ ſcandalum *infirmi*, debet celebrare quamuis non ieiunus.

45 Tertio probat num. 319. quia hodiè communis ſententia Recentiorum eſt, quod in vnica infirmitate licitum eſt multoties communicare infirmũ, etiã non ieiunum, ad quod ſufficiet, quod quis aſſuefactus ſit communioni, vel iugi celebrationi ex deuotione, vt tenent Layman lib. 5. tract. 4. cap. 6. nu. 20. Ludouicus de Saniouan to. 1. quęſt. 7. de Euchariſt. artic. 3. difficultate 4 ergo etiam licebit Sacerdoti, etiam non ieiuno, celebrare in caſu grauiſſimę neceſſitatis, ad porrigendum viaticum infirmo.

46 Poſt hęc ſcripta, inueni hũc eamdem ſententiam ſecuturum Patrem Zachariam Paſqualigũ tom. 2. Theologię moralis diſp. 111. ſect. 7. num. 30. vbi pro hac ſententia eoſdem citat Doctor. quos citat Pater Thomas Hurtado, nempe Maiorem in 4. diſtint. 9. quęſt. 2. ad 5. Zanardũ part. 1. directorii confeſſariorũ cap. 7. de Euchariſt. Zambranũ in ſuis deciſionibus cap. 4. de Euchariſtia dubio 6. numer. 3. Philyarcũ de officio ſacerdotis tom. 1. part. 1, lib. 2. cap. 2. Fernandes de Hęredia de Sacram. part. 8. de Euchariſtia dubio 2. num. 8. Petrum Mattheum in annotationibus ad Rubricam Miſſalis part. 1. cap. 9. numer. 1. Patrem Iacobum Granados in 3. part. controuerſia 6. tract. 10. diſput. 8. n. 12. vbi ſic loquitur: lex charitatis vtpotè diuina, videtur magis obligare ſacerdotem, vt ſuccurrat morituro illi, cui dat viaticum in maxima neceſſitate, quam pręceptum Eccleſiaſticum ieiunij, quod non obligat in tot caſibus hactenus explicatis, ſic etiam alia præcepta non ſeruantur, vt in extrema hac neceſſitate ſuccurratur infirmo, poteſt enim ſacerdos ſeipſum moriturum extra miſſam cõmunicare, poteſt bis celebrare ſacrum in eodem die, ad communicandum infirmum, ergo poterit etiam non ieiunus ob eamdem rationem celebrare; hęc ille. Quam opinionem probabilem putat Filliucius tract. 4. nu. 2. & 82. quam ſententiam probat Paſqualigius dicto num. 30. quia pręceptum de viatico eſt diuinum, atque adeò ſaltem, qui ex officio mi-

niſtrare

ſtrare debent, tenentur de iure diuino illud miniſtrare, quia de iure diuino naturali tenetur paſcere oues, ergo non obſtat præceptum Eccleſię de ieiunio, quo minus poſſit conficere Euchariſtiam, vt impleat hoc præceptum. Probatur conſequentia, tum quia præceptum Eccleſię non prævalet contra præceptum diuinum, tum quia Eccleſia non intendit priuare Sacramentis, quando quis ex precepto diuino tenetur illa ſumere. Quod confirmat, quia præceptum ieiunij, non minus obligat infirmum, quam celebrantem, & tamen relaxatur, ſeu non ſe extendit ad infirmũ, quando debet ſumere viaticũ: ergo neque ad Sacerdotem, quando debet miniſtrare, tum quia eſt idem præceptum, & ideò ſi non obligat vnum in ordine ad eumdem finem, nec etiam obligat alium, ſiquidem vbi eſt eadem ratio, ibi debet eſſe eadem iuris diſpoſitio lege illud ff. ad leg. aquiliam, & l. ſi poſtulauerit §. 2. ff. ad l. Iuliam de adulterijs, & l. illud C. de ſacroſanctis Eccleſ. & notant communiter Doctor. tum quia in correlatiuis diſpoſitum de vno cenſetur etiam diſpoſitum de altero l. filius ff. de acceptilationibus, & l. ſi quis ſeruo C. de furtis.

47 Etſi illi reſpondeas, præceptũ diuinum non obligare ad viaticum, quando non poteſt miniſtrari iuxta praxim Eccleſię. Contra arguit numer. 31. quia præceptum de viatico, tanquã Diuinum eſt impediens à præcepto Eccleſię de ieiunio; & prius ipſo, ergo imponit ſuam obligationem independenter ab ipſo, & prius ipſo, ergo non obligat ſecundum menſuram talis præcepti; quod confirmat eodem num. quia ſi obligaret ſecundum menſuram ipſius, neque etiam infirmus poſſet nõ ieiunus accipere viaticum. Ad quod accedere videtur, quòd infirmus in ordine ad viaticum eſt in graui neceſſitate, ergo quiſque tenetur ei ſuccurrere ex charitate, etiam cum ſui incommodo, & Paſtores tenentur ex officio, ergo non obſtat præceptum Eccleſiæ de ieiunio, quia intentio Eccleſię, tanquã regulata, & optima accipienda eſt ſecundum regulas rectę rationis. Regulę autem rectę rationis non permittunt, quòd tollatur obligatio charitatis, & proprij officij, nec quod ponatur impedimentum, ne ſuccurratur miſeris. Hęc ſententia probabilis eſt, tam ab extrinſeco, quam ab intrinſeco, & tuta in praxi.

48 Nihilominus, probabiliorẽ iudico oppoſitam ſententiam negantem poſſe ſacerdotem non ieiunum miſſam celebrare ad porrigendum viaticum infirmo in articulo mortis, etiã ſi ita periculoſus ſit vt expectare amplius non valeat, ita Ledeſma in ſumma tom. 1. cap. 13. de Euchariſt. concl. 5. dub. vltim. Nauarrus cap. 25. num. 88. ſeu 51. Tolet. lib. 2. cap. 13. Syluius in 3. part. quæſt. 80. art. 8. Armilla verbo miſſa num. 25. Syluius in verbo miſſa 1. quæſt. 7. dub. 2. caſu 3. Diuus Antoninus part. 3. titul. 13. cap. 6. §. 2. Henriquez lib. 3. cap. 46. num. 1. & cap. 50. num. 1. Victoria in ſumma nu. 83. Sotus in 4. diſt. 13. quæſt. 2. artic. 2. quos citat, & ſequitur Diana part. 2. tract. 14. de celeb. miſſarum reſolut. 66. & eamdem ſententiã ſequitur part. 3. tract. 4. de Sacram. reſol. 33. & par. 5. tract. 3.

Digitized by Google

tractat. 3. reſol. 35. licèt in his duabus partibus oppoſitam ſẽtentiam non impugnet, ex quo videtur ipſe, vt probabilem illã tenere Doctor Petrus Ochogauia de Sacramentis tract.2.de Euchariſt.quæſt.12.numer.13. Pater Gaſpar Hurtadus de Sacramentis diſput. 9. de Euchariſt. difficult.17.§.tandem conueniunt Doctores Vaſquez in 3.part.diſput.211.cap.5. Leander à Sanctiſſimo Sacramento part. 2. tract.7. de Euchariſtia diſput.5. quæſt.20.Suarez in 3. par.diſp.68.ſect. 5. Azorius to. 1.lib.10.cap.30. quæſt.2. Paludanus in 4.diſt.8.quæſt. 2. Bartholomeus ab Angelo Poſſeuinus Chamerota, Reginaldus, quos citat, & ſequitur Pater Ioannes de di Caſtillo de Sacramentis tom.1.tract.4. de Sacramento Euchariſtiæ dubitatione 16.num.345. Eminentiſſimus Cardinalis de Lugo diſp. 15. de Euchariſt.ſect.3. nu. 68. Don Carolus Malletus in auro Theologiæ moralis tom.1.de Sacramentis malleatione 4.bracteà 83. & alij apud ipſos.

49 Hanc ſententiam probat Eminentiſſimus Lugo vbi ſupra nu. 69. hac ratione, quia licèt præceptum ieiunij diſpenſatum ſit, quoad ipſum ægrotum cõmunicaturum, non reperitur tamen talis diſpenſatio pro Sacerdote celebraturo ad communicandum ſeipſum, vt præbeat viaticum infirmo, ergo licet infirmus poſſit non ieiunus recipere ſacrum viaticum; non tamen poterit Sacerdos miſsã celebrare non ieiunus ad porrigendum viaticũ infirmo in articulo mortis conſtituto.

50 Sed hæc ratio non placet Patri Ioanni de di Caſtillo loco ſuperius citato, & ita eam impugnat num.35.quia Authores affirmant poſſe ſacerdotem nõ ieiunum miſſam celebrare ad porrigendum viaticum infirmo, non nitũtur diſpenſatione propriè loquendo, ſed quia putant legem humanam non fuiſſe latam pro eo caſu; atquè adeò non loqui in tali occaſione. Multum autem refert ſcire an, quod quis non obligatur aliqua lege, ſit: quia cum illo lex non loquitur in hac, vel illa occaſione, vel an, ſit: quia ſuperior cum illo diſpenſauit; & ſanè ex diuerſis principijs, & capitibus iudicandum eſt, an id proueniat ex diſpenſatione in lege: alioquin obligante (etiam pro tali caſu) vel an proueniat ex eò quod lex non loquatur pro tali caſu: quando enim dicitur prouenire ex diſpenſatione debet conſtare ex vna parte de voluntate, & lege, qua etiam ille caſus compræhendatur, ſpectata lege ſecuudum ſe, & vt ſonat etiam rationabiliter intellecta; ex alia vero parte debet conſtare de voluntate ſuperioris volentis aliquem eximere ab ea obligatione. Quando verò prouenit ex eò quòd lex non loquatur in eo caſu, nulla requiritur diſpenſatio, quia nulla eſt lex, in qua diſpenſetur. Sic non dum attingens 21. ætatis annum non cenſetur diſpenſatus in lege ieiunij, ſed nõ compræhenſus; nec laicus cenſetur diſpenſatus in lege dicendi officium Breuiarij, ſed non compræhenſus. Quòd autem talis caſus non ſit compræhenſus conſtare poteſt: non ſolum ex aliqua voluntate legiſlatoris ſignificantis ſe non habuiſſe voluntatem talem caſum compræhendi: ſed etiam ex alijs ſignis extrinſecis. Vndè

ſi

Digitized by Google

ſi conſtet mentem legislatoris non eſse compræhendere aliquem caſum propter rationẽ, quæ in illo caſu eſt; prudenter quoque iudicabitur à viris intelligentibus mentem non eſſe compræhendere alium caſum, in quo ſimilis ratio eſt, & ad hoc nulla præſumenda eſt diſpenſatio, ſed non comprænenſio propter ſimilem rationem iuxtà receptum axioma iuriſtarum, quòd vbi eadem eſt deci. dendi ratio; eadem quoque debeat eſſe deciſio. In noſtro ergo caſu Authores affirmatiuę ſententię, quia putant rationem Eccleſię non comprębendẽdi ęgrotum eſſe, ne ęgrotus decedat ſine hoc maximo auxilio, & viatico, atque ob hanc rationẽ non velle priuare illum in tali neceſſitate tãto auxilio; ideoq; non extendit legem ad illum caſum non communicandi ſine ieiunio; pari ratione ſuo iudicio prudenter iudicant non ſe extendere eam legem pro caſu preſenti, quia cenſetur idem motiuum iuuandi filium mori. bũdum nõ priuãdo illum tanto auxilio; quo auxilio priuaretur: ſi in tali caſu Sacerdos non poſſet celebrare ob defectum ieiunij, cuius obſeruatio; vt iam aliundè conſtat, non tanti ſit ab Eccleſia quanti ſubuentio, & auxilium filij exiſtentis in tali periculo; vnde fruſtra (inquit de di Caſtillo) quęrit Lugo diſpenſationem, aut ad illam recurrit, cum Sacerdos etiam pro ſeipſo nõ cenſeatur diſpẽſatus: ſed non compręhenſus ea lege, & in noſtro caſu, etiam à Doctoribus affirmatiuę ſententię iudicetur non compręhenſus.

51 Verùm enim verò licet hęc impugnatio eruditi Patris Ioãnis de di Caſtillo plura vera, & certa ſupponat, nihilominus non infirmat vim rationis Emiuentiſſimi de Lugo, nam licèt verum ſit, quod eſt maxima differentia inter diſpenſationem legis pro aliquo caſu, & inter non obligationem legis prò tali caſu, nihilominus nulla appa. ret ratio ſufficiens. qua conuincatur, quod lex poſitiua Eccleſiaſtica de recipienda ſacra Euchariſtia in ieiunio non obliget ſecundum ſe conſiderata etiam in articulo mortis, licèt ex voluntate Eccleſiæ, & Summi Põtificis obligantis ad recipiendã Euchariſtiam in ieiunio poſſit colligi, quod pro articulo mortis non velit cum tanto rigòre obligare filium moribundum priuandò illum illo diuino viatico, in tam vrgenti neceſſitate, ſed potius prudenter iudicare debent viri Docti Eccleſiam in tali occaſione diſpenſare cum moribundo Catholico, qui non poteſt ob grauitatem ſuæ infirmitatis in ieiunio ſacrum illud viaticum recipere. In ſacerdote autem non currit eadem ratio, quia maioris momenti cenſetur, quòd non ieiunus abſtineat à communione, quàm quòd ægroto iam iuſtificato per confeſſionem ſacramẽtalem illã adminiſtret pro augmento ſanctitatis, & abundantia axiliorum, tum quia tanti momenti eſt cultus, & reuerentia illa ſignificandi Chriſtũ eſſe cibum principalem, & primum noſtrum, & tanti momenti eſt, quod colatur præcedenti ieiunio, vt præponderet fructui ſpirituali augmenti gratiæ, & auxiliorum, qui indè prouenire pòterant ęgroto, imò, & tanti momenti eſt huiuſmodi cultus (quamuis non à Chriſto, ſed ab

Eccle.

Eccleſia præſcribatur:) vt præceptum ipſius Chriſti accipiendi Euchariſtiam, non cenſeatur obligare, quando quis etiam in extremo vitæ articulo non poteſt aliter habere communionem, niſi curat ſibi celebrari à non ieiuno: ergo præceptum diuinum de communione accipienda in mortis articulo; ſolum intelligitur obligare, quãdo ſalua reuerentia poteſt haberi; atqui non haberetur ſalua reuerentia, & decentia tanti Sacramenti, ſi haberetur mediante celebratione à Sacerdote non ieiuno, ergo licèt infirmus non ieiuuus cenſeatur diſpenſatus in lege ieiunij pro recipienda Euchariſtia per modum viatici; quando illa alio modo habere non poteſt, nunquam tamen Sacerdos cenſetur diſpenſatus ad celebrandum non ieiunus; etiam pro porrigendo viatico ægroto in mortis articulo. Aliàs poſſet in dicto caſu Sacerdos celebrare ſine veſtibus ſacris, abſque Altari, & abſq; pane azymo ad dandum viaticum infirmo, quòd omnes DD. docent eſſe falſum contra Ioannem Maiorem. Tũ etiam, quia præceptum dandi viaticum debet ſemper intelligi, quando dari poteſt iuxta ritum, & ordinem ab Eccleſia præſcriptum in conficiendo, & adminiſtrando hoc Sacramentum. Tum deniquè quia quando nõ adeſt miniſter legitimus, qui poſſit ægroto ſacram Euchariſtiam miniſtrare nõ obligat præceptum diuinum de ſacra communione in mortis articulo, atqui quando nõ adeſt Sacerdos ieiunus, qui poſſit miſſam celebrare ad porrigendum viaticum infirmo cenſetur non eſſe miniſtrum, qui poſſit Euchariſtiam miniſtrare, cum ſacerdos non ieiunus ſit legitimè impoſſibilitatus ad celebrandum, etiam in illo neceſſitatis caſu, cum maioris ponderis ſit, quòd Sacerdos non ieiunus celebret, & ſe communicet, quàm quod ægrotus careat diuino illo viatico, augmento gratiæ, & auxiliorum, vt ſupra diximus, ergo ſemper firma manet ratio Eminentiſſimi de Lugo pro noſtra ſententia. Omitto aliàs rationes, quæ pro hac ſententia à Doctoribus afferri ſolent, quia omnes ad has rationes à nobis aſſignatas reducuntur; & quia ex ſolutione argumentorum oppoſitæ ſententiæ magis conſtabit de veritate huius ſententiæ.

52 Ad primum fundamentum Patris Thomæ Hurtado reſpõdetur diſtinguendo maiorem, recipere viaticum eſt præceptum diuinum obligans ægrotum in articulo mortis, quando adeſt miniſter legitimus, qui iuxtà ritum prçſcriptum ab Eccleſia de modo celebrandi, & adminiſtrandi poſſit ei diuinum viaticum porrigere, concedo maiorem, & eſt præceptum diuinum obligans ægrotum in articulo mortis, etiam quando non eſt miniſter legitimus, qui iuxtà ritum Eccleſiæ poſſit ei Euchariſtiam miniſtrare, nego maiorem, nam aliàs in dicto mortis articuio deficiente ſacerdote, & Diacono poſſet Subdiaconus, aut Clericus, vel etiam ſæcularis moribundo ſacram Euchariſtiam miniſtrare, quòd eſſe falſum oſtendimus reſolutione prima huius tractatus.

Digitized by Google

Et conceſſa minori neganda eſt conſequentia, ad cuius probationem reſpondeo, quòd Charitas obligat, & dictat proximum ſuccurri debere iuuaminibus à iure diuino conceſſis, quando hoc licitè fieri poteſt, non autem quando eſt legitimum impedimentum ex parte ſubiecti, quod non poteſt proximum iuuare, vt in caſu noſtro contingit, nam licèt lex humana prohibeat Sacerdoti inieiuno celebrare, & præceptum de ſumenda Euchariſtia in mortis articulo diuinum ſit; tamen quia communio Sacramentalis ægrotum non obligat in tali caſu ob defectum Miniſtri, qui ei poſſit ſacram Euchariſtiam præbere, cum præceptum diuinum de recipienda Euchariſtia, ſolùm obliget, quando dari poteſt iuxta ritum, & ordinem ab Eccleſia præſcriptum in conficiendo, & adminiſtrando hoc Sacramento; ideò Sacerdos non ieiunus non tenetur ex charitate, neque ex iuſtitia ſi eſt proprius Sacerdos, ſeu Parochus miſſam celebrare ad porrigendum viaticum infirmo, aliàs teneretur Sacerdos, vel ex charitate, vel ex iuſtitia miſſam celebrare, etiam ſine veſtibus ſacris, & abſque pane azymo ad dandum viaticum infirmo, quod nemo dicit.

53 Ad confirmationem reſpondetur. Concedendo antecedens, dum præcedat actus contritionis medio, quo Sacerdos mundetur à culpa mortali, quo poſſit licitè celebrare, & negando conſequentiam, quæ non eſt tam euidens, vt indicat Pater Hurtado, nec hic locum habet virtus Epicheyæ: nam licèt virtus epicheyæ dictet dandum eſſe viaticum infirmo moribundo non ieiuno, quando aliter ſacram Euchariſtiam recipere non poteſt, ne è vita diſcedat ſine illo diuino viatico, & præſidio gratiæ, & auxiliorum, quia prudenter colligitur hanc eſſe voluntatem Eccleſiæ, & Summi Pontificis, non autem epicheya habet locum in Sacerdote inieiuno ad celebrandum, & ſe communicandum, vt porrigat viaticum infirmo: cum maioris ponderis ſit Sacerdotem non ieiunum celebrare, & ſe non ieiunum cõmunicare, quam quòd ægrotus careat diuino illo cibo ſpirituali in articulo mortis, qui non eſt medium eſſentialiter requiſitum ad ſalutem ſpiritualem animę, ſed tantum eſt de neceſſitate præcepti, quod pręceptum in noſtro caſu ægrotum non obligat, & aliàs ſupponitur iam iuſtificatus mediante Sacramento pęnitentiæ, & ita poſſumus dicto ęgroto dicere id, quod ait Diuus Thomas in quarto diſtintione decimatertia quęſtione prima articulo tertio quęſtiuncula prima ad tertiũ, (crede, & mãducaſti.) Quare ſolutio ibi poſita ex Vaſquez optima eſt. Ad id autem, quod incontra arguit Pater Hurtado reſpondetur, concedendo antecedens, & negando conſequentiam, quia cum pręceptum diuinum de accipiendo viatico in tali caſu non obliget ęgrotum quando non adſit

Sacer-

Sacerdos ieiunus, qui poſſit miſſam celebrare ad porrigendum ei viaticum, ſed debet ſe habere in tali caſu, ac ſi non adeſſet miniſter legitimus, qui poſſit ei ſacram Euchariſtiam præbere, & ita falsò ſupponit Pater Hurtadus præeſſe in prædicto caſu obligationem ex iure diuino accipiendi infirmo Sacram Euchariſtiã, & ſic euaneſcit, quòd locum habeat in prædicto caſu virtus epicheyæ. deindè falſo ſupponit, quod miſſam celebrare poteſt poſt moderatum cibum, & potum, etiam in caſu tam magnæ neceſſitatis, vt eſt infirmum pro viatico communicare non ſit ingens irreuerentia, cum vt ſuperius diximus maioris ponderis eſt in dicto caſu Sacerdotem non ieiunum celebrare, quam quod ægrotus decedat è vita abſque viatico, & cibo ſacramentali, careatque augmento gratiæ, & auxiliorum, ſuppoſita iam iuſtificatione per Sacramentum pœnitentiæ, quod per ſe eſſentialiter, eſt ſimpliciter neceſſarium ad vitæ æternæ cõſecutionem, quod non eſt communio ſacramentalis, ſed tantum eſt neceſſaria de neceſſitate præcepti, vt ſupra diximus.

54 Ad ſecundum reſpondetur. Concedendo antecedens: ſi ex eò quod dictus Parochus, qui nocte Natalis poſt primam miſſam dictam ablutionem ſumpſit, non celebret iterum ſequatur ſcandalum; hoc eſt maxima Populi, aut contra ipſum Parochum exacerbatio, nam ſi hoc ſcandalum non ſequatur, imo, potius Parochus poſſit Populo ſuadere ſe miſſam iterũ non celebrare non ex culpa ſua, ſed quia obliuione naturali in prima miſſa ablutionẽ ſumpſit, nec poteſt, nec tenetur, iterum miſſam celebrare; in quo ſenſu loquuntur Angles, & Coninch citati ab ipſo Hurtado, quare conceſſo antecedenti in dicto ſenſu, neganda eſt conſequentia. Nec video, ex quo capite ſequi poteſt idem ſcandalum ægroto, ſi Sacerdos non ieiunus miſſam non celebret ad porrigendam Euchariſtiam dicto infirmo, quod indubitanter ſequi affirmat Pater Hurtadus cum facilius ſit ægroto perſuadere, quod Sacerdos non ieiunus non teneatur miſſam celebrare ad porrigendum ei viaticum, quam Populo ſuadere ſacerdotem in die Natalis Domini, in quo die poteſt tres miſſas celebrare, ſacrum non facere, vt magna pars Populi ſatisfaciat præcepto audiendi ſacrum dicta die excuſando ſe hoc non facere, quia ex naturali obliuione in prima miſſa ablutionem ſumpſit. *D*eindè contra Patrem Hurtado ſic arguo eodem ſuo argumento Parochus, qui in nocte Natalis Domini poſt primam miſſam ſumpſit ablutionẽ; etiam ſi magnum ſequatur ſcãdalum, ex eò quòd ſecundam miſſam non celebret, celebrata dicta ſecunda miſſa ad vitandũ prędictum Populi ſcandalum, tertiam miſſam, quam ſi non ſumpſiſſet ablutionem in prima miſſa, poterat celebrare, celebrare non valet, non alia ratione, niſi quia ſecluſo magno ſcãdalo Populi non ieiunus non poterat celebrare, atqui in noſtro caſu ſi non celebret non ieiunus ad porrigendum viaticum ægroto moribundo, non poteſt dictus moribundus rationabiliter ſcandalizare, ſaltẽ ſcandalo actiuo, licèt paſſiuè ſcandalizetur non admittendo

ſatisfactionē Sacerdotis, quod paſſiuum eſt ſcandalum, ſacerdos non tenetur euitare, ergo nullum poteſt ſequi ſcandalum ſufficiens ex parte ægroti, quo teneatur ſacerdos non ieiunus miſſam celebrare, & ſe non ieiunum communicare; vt porrigat dicto ægroto ſacrum viaticum; fallitur enim (ſalua pace) Pater Hurtado in eo quod aſſerit, quod ex ſua antecedenti euidenter ſequatur conſequentia, tam leuis, & infirma.

55 Ad tertium, ſolutio patet ex dictis, quare conceſſo antecedenti (de quo poſtea in hoc tractatu redibit ſermo) negando conſequentiam, nam vt ſuperius diximus in caſu articuli mortis infirmus intelligitur diſpenſatus ab Eccleſia, & Summo Pontifice, vt poſſit non ieiunus ſacrum viaticum accipere, non ſolùm vna vice in eadem infirmitate, ſed etiam diuerſis vicibus facto aliquo morali, & phyſico interuallo modo poſtea explicando: attamen ſacerdos numquam intelligitur diſpenſatus ad celebrandum, & ſe cōmunicandum ieiunum, vt ſacrā Euchariſtiam porrigat ęgroto in articulo mortis, vt ex dictis pro noſtra ſententia ſatis conſtat.

56 Ad fundamentum Patris Zachariæ Paſqualigij, ſatis patet ex ſupradictis, ſed maioris claritatis gratia ad illud in forma reſpondeo. Fateor enim libenter pręceptum de Viatico eſſe diuinum; nego tamen ſemper, & pro ſemper obligare, alias in defectu Sacerdotis, & Diaconi, teneretur Sæcularis ſaltem ex charitate ſacram Euchariſtiam ægroto moribūdo adminiſtrare ſub mortali, quod eſt falſum, vt ipſe Paſqualigus nobiſcum concedit, vt ſupra diximus dict. tom. 2. diſp. 108. ſect. 7. num. 31. quamuis pręceptum de non adminiſtranda Euchariſtia à laico in multorum Doctorum opinione ſit tantum pręceptum humanum Eccleſiaſticum, & nō diuinum, ergo pari ratione licèt prohibitio celebrādi miſſę ſacrificium à non ieiuno ſit tantum naturalis Eccleſiaſtica, non poterit ſacerdos non ieiunus miſſam celebrare ad porrigendum viaticum infirmo, ſicut non poteſt laicus in defectu Sacerdotis, & Diaconi, ei ſacram Euchariſtiam adminiſtrare, quia in vtroque caſu ſe habet infirmus, ac ſi abeſſet miniſter legitimus, qui ei poſſet in tanta neceſſitate ſacrum porrigere viaticum ſeruatis ſeruandis, vt ſupra explicuimus, quare neganda eſt conſequentia, & ad primam eius probationem nego ſuppoſitum. Supponit enim falsò Pater Paſqualigus, quòd in dicto caſu pręceptum Eccleſię pręualet contra pręceptum diuinum, vbi enim pręceptum diuinum non obligat, pręceptū Eccleſiaſticum contra diuinum pręualere non valet: atqui in caſu, quo nullùs adeſſet ſacerdos ieiunus, qui poſſet miſſam celebrare ad porrigendum viaticum infirmo moribundo, pręceptum diuinum de accipiendo viatico moribundum non obligat, ergo non pręualet pręceptum humanum Eccleſiaſticum contra pręceptum diuinum: nā hoc erat neceſſe, vt vtrumque pręceptum in eodem tempore obligaret, ob quam rationem Auctores, qui probabilius affirmant laicum eſſe priuatum lege humana Eccleſiaſtica ab adminiſtratione Sacramenti Euchariſtię defectu miniſtri legitimi, etiam

etiam in articulo mortis docēt, non poſſe laicum in dicto neceſſitatis caſu ęgroto moribundo ſacram Euchariſtiam adminiſtrare, quia in tali caſu pręceptum humanum Eccleſiaſticum contra pręceptum diuinũ de accipiendo viatico in mortis articulo non pręualet: cum dictum pręceptum diuinum ęgrotum non obliget ex defectu Miniſtri legitimi, nempe ſacerdotis, & Diaconi, quibus vni ex officio nempe ſacerdoti, alteri ex iure canonico, ſcilicet Diacono competit in abſentia ſacerdotis mortis articulo ſacram Euchariſtiam adminiſtrare. Ad ſecundam probationem eiuſdem conſequentię reſpondeo *Eccleſiam* non intendere priuare ſuos filios moribundos Sacramentis, quando quis ex pręcepto diuino tenetur illa aſſumere; attamen non rectè (*ſalua pace tanti viri*) ſupponit pręceptum diuinum de ſumenda *Euchariſtia* in tali caſu obligare, quia, vt ſupra diximus maioris ponderis eſt, quod Sacerdos celebret, & communicet ſe non ieiunus, quam quod infirmus ſine viatico diſcedat, quod non eſt neceſſarium neceſſitate medij, & finis ad vitam ęternam conſequendam, ſed tantùm neceſſitate pręcepti, licet diuini, quod pręceptum, vt ſupra diximus non obligat, niſi quando dari poteſt iuxtà ritum, & ordinem ab *Eccleſia* pręſcriptum in conficiendo, & adminiſtrando hoc Sacramēto. Ad confirmationem reſpondetur negando antecedens, quo ad primam partem, nam vt ex ſupradictis conſtat, pręceptum ieiunij minus obligat infirmum, quam celebrantem. Tum quia maioris ponderis eſt; vt iam diximus, quòd Sacerdos celebret non ieiunus, quam quod infirmus non recipiat viaticũ, quod non tenetur in tali occaſione recipere ex diuino pręcepto, imo ab impletione illius ſit excuſatus ex defectu Miniſtri nō potentis ei licitè ſacram *Euchariſtiam* adminiſtrare. Tum etiā, quia per virtutem epicheyę intelligitur infirmus diſpenſatus ad recipiendum viaticum in tanta neceſſitate, etiam non ieiunus, non autem, vt ſupra probauimus, intelligitur ſacerdos diſpenſatus ad celebrandũ & ſe communicandum non ieiunum, vt infirmo moribundo porrigat viaticum, ad quod recipiendum in tali caſu non tenetur ex defectu, vt diximus Miniſtri potentis licitè ei ſacrũ viaticum porrigere; quare negandum eſt ſuppoſitum conſequentię, & ipſam conſequentiam: ſuppoſitum quidem, quia ſupponit falsò ſacerdotem in tali caſu debere adminiſtrare viaticum celebrando non ieiunum, & ideo non eſt idem pręceptum, ſub eadem ratione obligationis, & reſpectu vnius intelligatur diſpenſatum, nēpe reſpectu infirmi, & reſpectu alterius, nempe ſcilicet ſacerdotis non intelligatur diſpenſatum ad celebrandum non ieiunum pro porrigēdo viatico ęgroto moribundo, vt ſupra probanimus, & ſic ſicut non eſt eadem ratio, ibi neque debet eſſe eadem iuris *diſpoſitio*. In quo ſenſu vera eſt ſolutio ibi data; ad id autem, quod in contra arguit Paſqualigus, reſpondetur diſtinguendo antecedens, pręceptum de viatico tanquam diuinum eſt independens à pręcepto *Eccleſię* de ieiunio, & prius ipſo reſpectu

reci-

recipientis in articulo mortis, quando aliter recipere non valet ratione diſpenſationis præſuppoſitæ ab Eccleſia per virtutem epicheyæ concedo antecedens, reſpectu miniſtrātis ſacrum viaticum infirmo nego antecedens: nam vt ſupra probauimus virtus epicheyæ, habet locum reſpectu infirmi ad ſe communicandū per modum viatici non ieiunum, quæ locum non habet in Sacerdote ad celebrandum non ieiuno, vt infirmo ſacrum viaticum porrigat. Ad confirmationem reſpondetur, præceptum de communicando non ieiunum, non obligare eodem modo infirmum moribundum, & Sacerdotem non ieiunum celebrantem ad porrigendum viaticum infirmo, vt ſupra probauimus. Et quamuis infirmus in ordine ad viaticum ſit in graui neceſſitate, maioris ponderis eſt vt multoties in hac reſolutione retulimus, quod Sacerdos celebret non ieiunus: quā quod ægrotus in illa magna neceſſitate viaticum non recipiat propter rationes ſuperius allegatas in probatione noſtrę ſententiæ; vndè diſtinguendum eſt conſequens primum: ergo quiſque tenetur ei ſuccurrere ex charitate etiam cum ſui incommodo, & paſtores tenentur ex officio, dummodo obſeruent ordinem ab Eccleſia præſcriptum in conficiendo, & adminiſtrando hoc Sacramento: concedo conſequentiam: dummodò hoc faciant contra ritū, & ordinē ab Eccleſia præſcriptum in conficiendo, & adminiſtrando hoc Sacramento: nego conſequentiam, quia in tali caſu nec Sacerdos tenetur viaticum infirmo adminiſtrare, nec infirmus tenetur ex præcepto diuino illud recipere: imò ab ipſa receptione manet excuſatus ex defectu Miniſtri legitimi potentis ei ſacram Euchariſtiā in tali caſu adminiſtrare. Quarè neganda eſt vltima conſequentia, quia vt benè notat idem Paſqualigus hic, intentio Eccleſiæ tanquam regulata, & optima accipienda eſt, ſecundùm regulas rectæ rationis: attamen non iuſtè infert in minori ſubſumpta rectæ rationis regulam non permittere, quod tollatur obligatio charitatis, & proprij officij, quando Sacerdos, nec ex charitate tenetur miſſam celebrare non ieiunus, & ſe non ieiunum communicare, vt neceſſitati ægroti ſuccurrat præbendo ei ſacrum viaticū, quod non tenetur accipere in tali caſu ob impotentiam Miniſtri potentis ei ſacrum viaticū porrigere, vt in ſuperioribus latè probauimus.

RESOLVTIO QVARTA.

Vtrùm ſi infirmus valeat commodè ieiunus ſacram Euchariſtiā ſuſcipere, ad id teneatur?

57 PRima ſententia affirmat, quòd etiam ſi infirmus in mortis periculo, aut articulo conſtitutus valeat ſuſcipere ieiunus Euchariſtiam, ad id non tenetur, ſed ſufficit, quòd Medicus declaret infirmum in periculo cognito mortis eſſe; eū que debere per modum viatici communicare, qua declaratione facta à Medico; quamuis poſſit infirmus abſque aliqua incommoditate ieiunus communicare, non teneri ex Eccleſiaſtico præcepto, ſed ſolūmodo ad explendum diuinum. Ita tenet

tenet Pater Thomas Hurtado part. 2. reſol. moralium tract. 11.cap.10.reſol.10.§.1. à num. 342.vſque ad 344.

58 Probat 1. ſuam ſententiam, quia ſi in hoc diſcrimine præceptum Eccleſiaſticum obligaret, cauſaretur in infirmis ingẽs ſcrupulorum inquietudo: an poſſet, vel non poſſet ieiunus expectare, & ita epicheya dictare videtur, quod eo ipſo, quod quis ex vi infirmitatis in periculo eſt, lex humana, Eccleſiaſtica non obligat recipere inieiuno Euchariſtiam. Nec videtur credibile Matrem Eccleſiam ita piam velle filios in hoc diſcrimine adſtringere, vt ieiuni Euchariſtiam ſumant, ſed, vt ſolummodo omnimoda tranquillitate præceptum diuinum de communicando expleant.

59 Secundo probat, quia ſic videtur declaraſſe hanc Eccleſiaſticam legem, & conſuetudinem Concilium Conſtanſienſe ſeſſ. 13. vbi ſic loquitur: Sacrorum Canonum authoritas, & approbata conſuetudo Eccleſię ſeruauit, & ſeruat, quod huiuſmodi Sacramentum non ſumatur à non ieiunis, pręter quam in infirmitate &c. ergo in infirmitate non ſtat pręceptum de ieiunio naturali; quãdo obligatio adeſt adimplendi diuinum pręceptum.

60 Secunda, & probabilior ſententia affirma, infirmum teneri ſi valeat abſque incommodo ſeruare ieiunium naturale ad ſacram Euchariſtiam recipiendam, etiam per modũ viatici. Quando autem poſſit vel non poſſit, iudicio Medici determinandum eſſe, ita Pater Iacobus Granadus in 3.par. controuerſ. 6.de Eucheriſt.tract.20. diſp. 8. num. 9. AEgidius de Coninch. 3.par.quęſt.80. àrt. 8. num.51. Suarez tom.3.in 3.part. diſput. 66.ſect.5.§ in pręſẽti ergo, Bonacina de Sacramentis diſput. 4.quęſt.6. punto 2. numer. 21. Fagundez in pręcepta Eccleſię pręcepto. 3. lib.3.cap.5.nu. 19. Eminentiſſimus Cardinalis de Lugo de Sacramentis diſp. 15. de Euchariſt.ſect.3. numer. 59. & 60.Pater Ioannes de di Caſtillo de Sacramentis tom. 1. tract.4.de Euchariſtia diſput.9. dubitatione 16.quęſtio 6.num. 329.

61 Probatur 1. noſtra ſententia ex cap. Pręsbyter.93. de conſecrat. diſtinct.2. vbi ſic dicitur, Pręsbiter Euchariſtiam ſemper habeat paratam, vt quandò quis infirmatus fuerit, ſtatim eum communicet, ne ſine communione moriatur. & ex capit. ſi quis de corpore 6. cauſa 26. quęſt.6.& ex cap.de his verò 9. eadem cauſa, & quęſt. atqui ex dictis verbis non colligitur, quòd abſolutè detur ſacrum viaticum infirmo non ieiuno; etiam ſi valeat commodè in ieiunio Euchariſtiam recipere; cum ſolùm pręcipiat pręſbytero, vt habeat paratã ſacrã Euchariſtiam, vt poſſit in infirmitate eam ſtatim infirmo miniſtrare, ne ſine communione moriatur: ergo infirmus non eſt ſimpliciter abſolutus à lege Eccleſiaſtica communicãdi ieiunus: niſi quando ratione eminentis neceſſitatis nõ poteſt aliter, quam nõ ieunus ſacrum viaticum recipere: quia in tali caſu intelligitur ab Eccleſia diſpenſatus, vt poſſit ſacrum viaticum, etiam non ieiunus accipere: nam non eſt credibile, quod Mater Eccleſia intendat cum tanto rigore obligare

ad

ad ſeruandam legem ieiunij pro recipienda Euchariſtia in caſu, tam ingentis neceſſitatis, & ſic locum habet in dicto caſu virtus epicheyæ, quod non habet, quando infirmus commode valet ſeruare ieiunium naturale ad ſacram Euchariſtiam recipiendam etiam per modum viatici.

62 Secundo, probatur noſtra ſententia ex Diu. Thoma 3.par. quæſt.80.art.8. in corpore, vbi poſtquam rationes aſſignat ob quas quis teneatur ſeruare ieiunium naturale ad recipiendã ſacram Euchariſtiam, concludit his verbis: ab hac tamen generali regula excipiuntur infirmi; qui ſtatim communicandi ſunt: etiam poſt cibum ſi de eorum periculo dubitatur: ne ſine cõmunione decedant, quia neceſſitas legem non habet: vndè dicitur de conſecratione diſtint. 2. Præsbyter infirmum ſtatim communicet: ne ſine communione moriatur, idem docet Angelicus Prçceptor in 4. diſt. 8.quæſt.1.art.3.quçſtiuncula 1. in corpore, vbi ſic inquit: reſpondeo. Dicendum ad primam quæſtionem, quod hoc Sacramentum à ieiunis tantùm percipi debet: niſi propter neceſſitatem imminentis mortis: ne contingat ſine viatico ex hac vita tranſire. ex quibus verbis Angelici Doctoris tale cõficio argumentum: ideo infirmi excipiuntur à generali regula accipiendi ſacram Euchariſtiam in ieiunio, quia ſtatim debent communicari ſi de eorum periculo dubitatur, ne ſine communione decedant, atqui quando infirmus commodè valet ſeruare ieiunium ad recipiendum ſacrum viaticum de eius periculo non dubitatur ne ſine ſacra Communione decedat: ergo ex mente Diui Thomæ tenetur infirmus ſeruare ieiunium: quãdò hoc commodè poteſt facere ad recipiendam ſacram Euchariſtiam. Probo conſequentiam, quia ideo ſecundum Diuum Thomam lex Eccleſiaſtica de ſeruando ieiunio ad recipiendam ſacram Euchariſtiam non obligat infirmum in articulo, aut periculo mortis, quia neceſſitas legem non habet, vt dicitur de cõſecratione diſtint. 2. Præsbyter infirmum ſtatim communicet, ne ſine communione moriatur, atqui in noſtro caſu nulla inſtat neceſſitas talis, vt ſimus in periculo, quod infirmus abſque communione moriatur, cum poſſit commodè ſeruare ieiunium ad recipiẽdum ſacrum viaticum: iudicio Medici corporalis, ad quem ſpectat de hoc iudicium facere: ergo in tali caſu obligat lex Eccleſiaſtica de ſeruando ieiunio ad ſacram Euchariſtiam recipiendam.

63 Ad primum fundamentum oppoſitæ ſententiæ reſpondetur negando, quòd ex obligatione præcepti Eccleſiaſtici de ſeruando ieiunio ab infirmo quando commode poteſt, & valet, ſequatur in ipſo ingens ſcrupulorum inquietudo, an poſſet, vel non poſſet ieiunium expectare, quia infirmus debet ſe ſubijciere iudicio Medici; ergo ſi Medicus affirmet poſſe expectare ieiunium ad recipiẽdam ſacram communionem, & quod nullum eſt periculum, vt infirmus abſque commúnione decedat, poteſt, & debet cum magna animi quietudine ieiunium expectare ad recipiendã ſacram Communionem. Nec hic locũ habet virtus epicheyę:

nam

nam epicheya ſolùm poteſt habere locum in caſu ingentis neceſſitatis, quando inſtat periculum probabile, quòd ſi expectetur ieiunium, poterit infirmus abſque ſacra Communione decedere, & non adimplere Diuinum præceptum de recipiẽda ſacra Euchariſtia in mortis articulo, aut periculo; atqui hoc totum ceſſat in noſtro caſu: cum vt ſupponimus, Medicus affirmet poſſe infirmum expectare ieiunum ad recipiendam ſacram Communionem, & adimplendum diuinum præceptum recipiendi viaticum: ergo non habet locum epicheya, vt lex illa generaliſſima Eccleſiæ in re tam graui non obliget, quando commodè poteſt ſeruari, & abſque periculo ſpirituali animæ.

4 Ad ſecundum fundamentum reſpondetur, quòd declaratio Concilij Conſtantienſis dicta ſeſſ. 13. nõ debet intelligi, quòd infirmus abſolutè poſſit ſacram Euchariſtiam non ieiunus accipere: niſi quando inſtat neceſſitas, & adeſt periculum decedendi è vita abſque ſacra Communione, in quo caſu infirmus intelligitur diſpenſatus ab Eccleſia ad recipiendam ſacram Euchariſtiam; etiam ſi ieiunus non ſit: imò, & tenetur eam recipere ad adimplendum diuinum præceptum Communionis in mortis articulo, aut periculo, nec ex verbis allegatis ex Concilio Conſtantienſe aliud colligere valet. Et licèt quando extat præceptum, & obligatio adeſt adimplendi diuinum præceptum, non extet præceptum de ieiunio naturali pro accipienda ſacra Communione: in noſtro caſu hoc non militat: nam non extat præceptum diuinum de Sacro viatico recipiendo ab infirmo non ieiuno in hac v.g. hora, aut die: niſi ex dilatatione adimpletionis dicti præcepti Diuini ſit probabile periculum illud non adimplendi: atqui eò ipsò quod Medicus prudenter iudicet, & declaret infirmum non eſſe in tali periculo, & quod poteſt commodè ieiunium expectare licitè, poteſt imò, & debet ſacram Communionem dilatare, & expectare ieiunium ad ſacram Communionem recipiendam: ergo &c. Probatur minor, quia quandò concurrunt duo præcepta obligantia ſub mortali vnum diuinum; & aliud Eccleſiaſticum ſi poſſunt vtraque adimpleri abſque eò, quòd adimpletio vnius, ſcilicet Eccleſiaſtici impediat adimpletionem alterius: nempè diuini, vtraque debent obſeruari: atqui in noſtro caſu infirmus poteſt adimplere præceptum Eccleſiaſticum de communicando in ieiunio dilatando aliquantulum adimpletionem prçcepti diuini de accipienda ſacra Communione, & nullum adeſt periculum non adimplendi dictum diuinum præceptum: ergo tenetur hoc facere, & expectare ieiunium ad ſacram Euchariſtiam recipiendã.

RESOLVTIO QVINTA.

Vtrùm durante eadem infirmitate, & mortis periculo poſſit licitè infirmus non ieiunus pluries ſacram Eucharistiam recipere per modū viatici, & quòd interuallum temporis adhoc ſit ſimpliciter neceſſarium?

65 PRima ſententia negat poſſe infirmum in eadem infirmitate licitè pluries ſacram Euchariſtiam non ieiunum accipere etiam per modum viatici, ſed quod ſolummodo liceat ſemel infirmo non ieiuno in articulo mortis conſtituto viaticum miniſtrari. Ita tenent Vaſquez tomo 3. in tertia parte diſputat. 211. à numero 38. Ioannes de la Crux parte ſecūda directorij quæſtione quinta de Euchariſtia dubio 4. concluſione 3. Ganachæus tom. 3. ſumm. Theolog. cap. vltimo de ſacrificio Miſſæ. Cheliſonius 3. parte quæſtione 80. articulo 8. Ioannes Præpoſitus 3. parte quæſtione 80. articulo 8. dubio 2. numero 43. Ochagauia de Sacramentis tract. 2. de Euchariſtia quæſtione 12. numer. 10. quamuis ibi ſolum loquatur de ſumenda Euchariſtia in eadem infirmitate pluries non ſeruato ieiunio deuotionis cauſa, non autem loquitur de recipienda Euchariſtia pluries in eadem infirmitate per modum viatici, vt male indicat Hurtadus loco poſtea citando. Hurtadus Cōplutenſis diſputatione 9. de Sacramentis differentia 16. quos citat, & ſequitur Pater Thomas Hurtado parte ſecunda reſolutionum moralium tractatu 11. capite 10. §. ſecundo reſolutionis decimæ à numer. 345. quam ſententiam indubitabilem iudicat.

66 Probatur 1. hæc ſententia à Patre Thoma Hurtado nu. 348. ex Diuo Thoma in 4. diſtint. 8. quæſt. 1. art. 3. quæſtiuncula 1. in corpore, vbi ſic loquitur: hoc Sacramentum à ieiunis tātum percipi debet: niſi propter neceſſitatem imminentis mortis, ne contingat ſine viatico ex hac vita tranſire. & 3. parte quæſtion. 80. art. 8. in corpore, vbi idem probat Angelicus Doctor ex cap. Præsbyter de Conſecratiòne diſtintione 2. vbi dicitur Præsbyter infirmum ſtatim communicet, ne ſine communione moriatur. Ex quibus verbis tale poteſt conſici argumentum; ideo infirmus in mortis articulo poteſt non ieiunus ſacram Euchariſtiam accipere, ne contingat, vt ſine viatico ex hac vita tranſeat; atqui ille, qui ſemel viaticum ſuſcepit, non poteſt iam ex hac vita ſine illo migrare: ergo non poteſt iterum ſacram Euchariſtiam accipere non ieiunus. conſequentia eſt formalis, & minor eſt euidens: maior vero eſt expræſſa Diui Thomæ locis ſuperius citatis.

67 Secundò eamdem ſententiam probat idem Pater Hurtadus numero 349. ratione ſua videri efficaciſſimam: quia præceptum Eccleſiaſticum ita ſtrictum eſt, vt ſemper obliget, quod non concurrit cum præcepto diuino, cum quo incompoſſibile eſt; cumque hoc efficacius illo ſit, hoc, & non illud preceptū ſeruandum eſt, quia virtus Epicheyæ, ita

ita dictat; ſed cum occurrentia præcepti diuini non eſt, quod obliget, præceptum ieiunij ſemper ſuam efficaciam retinet: atqui cum infirmus in articulo mortis ſemel communicando pro eodē articulo, & periculo, præcepto diuino ſatisfecerit, & poſſit, ſi velit in illa infirmitate non amplius communicari: ergo communicari non poterit non ieiunus, cum præceptū Eccleſiæ eum liget.

68 Nec valet, ſi dicas ſufficere ad intelligendum præceptum de ieiunio non obligare, quod Sacramentum hoc plurima gratiæ cauſet auxilia, quæ in illo rigoroſo diſcrimine neceſſaria ſunt; & ita epicheya interpretatur non obligare præceptum Eccleſiaſticum in hac occaſione. Nam contra hanc reſponſionem arguit Pater Hurtado: primo quia, aut infirmus habet obligationem ad iterum communicandum, vt præceptum diuinum de communicando adimpleat, & hoc dici non poteſt, cum ſemel communicando præcepto ſatisfecerit: vel obligationem habet ad iterum communicandum, vt de nouo Chriſmata, & auxilia percipiat, quibus aduerſus illius horæ incurſus, & diabolica tentamenta præarmetur; & ſi hoc ita eſt, ſequitur manifeſte infirmum in periculo mortis non conſtitutum, ſed grauatum infirmitate, ſi magnam auxiliorum Dei ad ſuperandas tentationes neceſſitatem habuerit, poſſet, & ſi non ieiunus, communicari & quod in caſu iſto locum obtineat epicheya, quod eſt improbabile.

69 Secundò eamdem reſpōſionem impugnat, quia hæc auxilia, quibus eget, poteſt alijs medis procurare, ſine eò quod præcepto ieiunij contraueniat, tū actibus virtutum Theologaliū, tum crebra cōfeſſione, pluribus actibus contritionis; tum deniquè communicando ſpirituali. ter, ergo nulla apparet ratio, cur poſſit infirmus iterum non ieiunus in eadem infirmitate communicari.

70 Tertio impugnat, quia ſi ex ſola deuotione infirmi licet legem ieiunij ita ſtrictam interpretari; ita inquam ſtrictam, vt in Eccleſia nulla arctior ſit, vt poſſit cōmunicare tertio quoque die vel 6. ſeu 8. ſecundum diuerſitatem opinionū, ſequeretur euidenter poſſe infirmū (præcipuè ſi ſanus id faciebat, & in infirmitate graues tētationes, & triſtitias ſpirituales experitur) quotidiè communicari non ieiunum, atqui hoc eſt improbabile; ergo, & illud ex quo ſequitur: probatur ſequela, quia epicheya ſecundum ſolutionem datam hiç locum habet, vt in communicando tertio quoque die &c.

71 Hanc ſententiam limitat dictus Pater Hurtado num. 354. quando infirmus mortaliter peccauit poſt acceptum viaticum; quia tunc (inquit) poteſt etiam non ieiunus iterum communicari; quia per peccatum mortale diſciſſa fuit vnio cum Chriſto, quæ proprius effectus eſt huius Sacramenti; quæ vnio media charitate, & Euchariſtia, vult Chriſtus cum Eccleſia, vt inſit fidelibus ex hac vita egredientibus, & ideo conſilia, & Sacri Canones eam vocant viaticum neceſſarium. et ita videtur hic locum habere Epicheya de non ſeruando naturali ieiunio ad communicandum.

72 Secunda, & probabilior ſen-

R 4 ten-

tentia ſuſtinet, poſſe infirmum non ieiunum ſtante eodẽ mortis periculo, iterum, atquè iterum ſacram Euchariſtiam per modum viatici ſumere: ita docent Eminentiſſimus Cardinalis de Lugo de Sacram. diſp. 15. de Euchariſt. ſect. 3. nũ. 64. vbi pro hac opiniõne citat Tabienã Armillam, Sà, Toletum, Henriquez Victoriam, & alios, Pater Antonius Diana part. 2. tract. 14. reſolut. 75. & 77. & 3. part. tract. 4. reſol. 44. & part. 4. tract. 4. reſolut. 195. & 5. part. tract. 3. reſolut. 41. Pater Gaſpar Hurtadus de Sacram. diſp. 9. de Euchariſtia difficultate 16. vndè male illum citat pro oppoſita ſententia Diana, cum Suarez clarè affirmet poſſe infirmum non ieiunum ſtante eodem periculo mortis iterum, atque iterum communicari. in cuius fauorem affert authoritatem Concilij Conſtantienſis ſeſſ. 13. dum dicitur ſacrorum Canonũ authoritas, & approbata conſuetudo Eccleſiæ ſeruauit, & ſeruat, vt hoc Sacramentum nõ poſſit recipi à non ieiunis: niſi in caſu infirmitatis (ſubintellige periculosè) aut alio neceſſitatis caſu à iure, ve lab Eccleſia conceſſo, vel admiſſo. Villalob. tract. 7. difficul. 38. Fagundez præcepto 3. lib. 3. cap. 5. num. 2. Ludouicus de San Iuan tom. 1. quæſt. 7. art. 10. difficult. 4. de Euchariſt. & tom. 2. articul. de communione infirmorum n. 4. & 44. & artic. vltimo de Miſſa num. vltimo. Phihbertus Marchinus tract. 3. de miſſa part. 3. cap. 3. num. 10. Granadus in 3. part. contr. 6. de Euchariſtia tract. 10. diſp. 8. num. 9. Leander à Sanctiſſimo Sacramento par. 2. tract. 7. de Euchariſt. diſput. 6. quæſt. 39. Pater Ioannes de di Caſtillo de Sacramentis tom. 1. tract. 4. de Euchariſt. diſput. 9. dubitat. 16. quęſito 6. num. 332. Caſtropalaus tom. 4. tractat. 21. diſput. vnica punct. 13. num. 14. Pater Antonius de Scobar in lib. Theol. mor. tract. 7. examen 6. de Euchariſtia cap. 5. num. 62 §. circa ieiunium hoc naturale Eligius Baſſęus in florib. Theolog. mor. verbo communio Sacramentalis num. 45. Quintana dueñas in theol. moral. tom. 1. tract. 4. ſingulari 14. numer. 5. Pater Magiſter Marcus Serra in 3. part. quęſt. 80. artic. 8. §. ſi quęras: & iterum Diana parte 9. tract. 9. reſol. 47. & alij apud ipſum.

73 Probatur hęc ſententia, quia ſtante mortis articulo infirmus intelligitur diſpenſatus in lege ieiunij ad recipiendam ſacram Euchariſtiam per modum viatici, quando aliter commodè nequit ſacrum viaticum recipere, vt determinat Concilium Conſtantienſe ſeſſ. 13. in verbis ſuperius relatis, ſcilicet ſacrorũ Canonum authoritas, & approbata conſuetudo Eccleſiæ ſeruauit, & ſeruat, vt hoc Sacramentum non poſſit recipi à nõ ieiunis, niſi in caſu infirmitatis (ſubintellige periculoſe) aut alio à iure, vel ab Eccleſia cõceſſo, vel admiſſo. Ergo durante eodem periculo poterit infirmus, iterum, atque iterum ſacrum viaticum in eadem infirmitate accipere. Probo cõſequentiam ex diſpoſitione Pauli quinti in Rituali Romano, vbi habetur, quod ſi æger ſumpto viatico dies aliquot vixerit, & communicari voluerit, eius pio deſiderio Parochus non deerit: ergo ſecundum Rituale infirmus, qui ſumpſit viaticum, poteſt iterum communicari

cari

Digitized by Google

cari non ieiunus, quod quidẽ Rituale fuit compoſitum à Cõgregatione plurium Cardinalium ſpecialiter ad id deputatorum cum conſilio eruditorũ virorum, vt declarauit dictus Paulus Quintus in ſuo Breui dato Romę die 17. Iunij 1614. in quo Breui vult, vt omnes Epiſcopi, Archiepiſcopi, &c. ab omnibus Parochis faciant dictum Rituale inuiolabiliter obſeruari.

74 Quantum ad temporis interuallum neceſſariò requiſitum inter vnam, & alteram communionem, vt poſſit infirmus non ieiunus Sacrum viaticum recipere; mira eſt authorum varietas Toletus in ſumma lib. 10. cap. 15. ſolùm dicit aliquorum dierum interuallum, ſed non deſignat terminum Nauarrus multum temporis requirit, nẽpè triginta dies, ſic refert, & explicat illud Villalobos in ſumma par. 1. tract. 7. dubio 38. Suarez loco ſuperius citato Nugnus, Henriquez, Fagũdez, & alij exigunt octo vel decem dies. Eminentiſſimus de Lugo diſp. illa 15. num. 66. Sylvius in hac materia art. 9. & alij ſex dies diſtantię ſufficere dicunt. Zambranus, Filliucius, & Poſſeuinus tres, vel quatuor dies aſſignant. alij autem frequentius permittunt, aſſerentes poſſe infirmum non ieiunum quotidiè ſacram Euchariſtiam accipere durante mortis periculo, ita Caſtropalaus loco ſuperius citato, Layman, Baſſæus, & Quintanadueñas, quibus addi poſſe videtur Magiſter Serra loco ſuperius relato, vbi ſic ait, ſi quæras, an in eadem infirmitate poſſint infirmi non ieiuni poſt ſumptum viaticum communicari? reſpõderi ſolet communiter poſſe, dummodò inter vnam, & alteram communionem mediet tempus ſex, vel octo dierum. Non deſunt tamen, qui dicant ſi mortis periculum ſemper inſtat, poſſe etiam altero diė poſt viaticum ſumptum, & deinceps quotidie communicari non ieiunum, quia in mortis periculo non ſolum permittitur nõ ieiuno communio, vt poſſit implere pręceptum accipiendi viaticum, ſed etiam quia moriturus valdè indiget huius Sacramenti prędidio: ita Serra. Pater Ioannes de di Caſtillo dicto tract. 4. de Euchariſt. diſp. 9. dubit. 26. quęſt. 6. n. 334.

75 Hunc modum dicendi probat dictus de di Caſtillo, quia hoc indicatur à Concilio Conſtantienſi in illis verbis ſuperius relatis, cum Canonum authoritas, & approbata conſuetudo Eccleſiæ &c. quod legẽ ſtabilinit etiã eodẽ teſte Concilio, & excipit infirmos, dum ait, niſi in caſu neceſitatis: ergo pro infirmis non eſt lata lex. Probatur conſeqnentia, quia illa particula, (niſi) eſt exceptiua à lege, quę pręceſſit: ergo ſi lex non loquitur cum exceptis, in eo ſtatu manent excepti in quo manerent ſi lex lata non eſſet, atqui lege nõ lata poſſent quotidie communicari, ergo etiã poterunt ea lata, ſed exceptione vigente.

76 Inter tam varios dicendi modos (ſalua pace tantorum DD.) probabilius aſſerendum iudico poſſe infirmum non ieiunum ſacrum viaticum recipere iterum, ſi præter diem ſumpti viatici alteri duos dies internalli ſint. ita Ludouicus de San Iuan in ſumma tom. 1. quęſt. 7. art. 10. difficult. 4. de Sacramento Euchariſtię, quem ſequitur eru-

ditus

ditus Diana locis ſuperius cita-tis, & præcipuè magis ex profeſ-ſo par. 9. tract 9. reſolut. 47. qui modus dicendi fundatur in Rituali Romano Pauli quinti ſuperius relato, vbi habetur, vt iam diximus: quòd ſi eger ſũpto viatico dies aliquot vixerit, & communicari voluerit eius pio deſiderio Parochus nõ deerit. ex quo manifeſtè ſequitur, quod infirmus, qui ſumpſit viaticum, poteſt iterum cõmunicari, ſed poſt aliquot dies: atqui adhoc verificandùm neceſſariò requiritur, quòd prçter diem ſumptionis primi viatici, aliorum duorum dierum interuallum ſit ad iterum recipiendam ſacram Euchariſtiam; ergo iſte modus à nobis aſſignatus probabilior eſt alijs modis dicendi. Vt autem minorem probemus, in qua tota videtur eſſe difficultas, ſupponendum eſt ex iure id, quod habetur in regula 40. de regulis iuris in 6. vbi ſic dicitur, pluralis locutio, duorũ numero eſt contenta. vbi Gloſſa caſum figurat duobus modis, primo per cap. hoc quoque de conſecratione diſt in. 1. his verbis; Iure cautũ reperitur, quod cum ſacerdos miſſam celebrat, de honeſtate debent eſſe plures audientes, vt illa verba Dominus vobiſcum poſſint verificari: ſed quęritur quot debent eſſe pręſentes, reſpondetur, quod ſufficit, quod ſint duo, quia pluralis locutio, duorũ numero eſt cõtenta. ita habetur expreſſe in dict. cap. per hęc verba. Hoc quoque ſtatutum eſt, vt nullus pręsbyterorum miſſarũ ſollemnia celebrare pręſumat. niſi duobus pręſentibus ſibique reſpondentibus ipſe tertius habeatur, quia cum pluraliter ab eo dicitur (Dominus vobiſcũ) & illud in ſecretis (orate pro me) optimè conuenit, vt ipſius reſpondeatur ſalutationi. Secundo modo figurat caſum per cap. is cui §. 1. de prębendis vbi ſic habetur, is, cui conceditur, vt authoritate Apoſtolica poſſit vni perſonę idoneę in ſua vel alia Eccleſia prouidere aliquod, aliud beneficium ſufficiẽs, obtinẽti prouidere nõ poteſt, niſi primo illud beneficiũ, quod obtinet, omninò dimittat ideſt, vel niſi in conceſſione huiuſmodi ſit expreſſum, quòd aliàs beneficiatæ valeat prouidere perſonę: tunc enim prouidere poterit vnicum dumtaxat beneficium obtinenti: dum tamen illi cura non immineat animarum. Ex quo capite Gloſſa in dicta regula 40. infert, quod virtute illius diſpenſationis perſona, cum qua diſpenſatur, ſolum obtinere poteſt duo beneficia, quia cum diſpenſatio ſit odioſa, eſt reſtringenda, & in odioſis ſufficit, quod verba poſſint verificari, & illa verba verificabuntur in duobus beneficijs, quia pluralis locutio, duorum numero eſt contenta.

77 Hoc ſuppoſito ſic argumentor cum erudito Diana loco ſuperius citato ex part. 9. Rituale Romanum aſſerit infirmum ſumpto viatico denuò Euchariſtiam ſumere poſſe ſi vixerit aliquos dies: ergo neceſſe eſt aſſerere poſſe ſumere poſt duos dies, & non antè. Probo conſequentiam, nam ex ſuppoſitione pręſuppoſita pluralis locutio, vt verificetur neceſſe eſt numero duorum verificari, atqui ſi infirmus poſſet communicari, ſeu Euchariſtiam ſumere die ſequẽti poſt ſumptum viaticum, pluralis locutio, quod vult Rituale Romanum non verificaretur,

retur: ergo ad minus requiritur, quod poſt diem ſumptionis viatici ab infirmo in articulo mortis conſtituto, aliorum duorum dierum interuallum ſit, vt poſſit ſe non ieiunus iterum communicare.

78 Ad fundamentum Patris de di Caſtillo reſpondeo, quod Concilium Conſtantienſe non determinat; an pluries poſſit infirmus in eadem infirmitate non ieiunus communicare; ſed ſolum aſſerit, quod nulli liceat non ieiuno communicare: niſi in caſu infirmitatis (puta periculosè) ex quo textu in rigore ſolùm colligi licet, quod infirmus poſſit ſacrum viaticum ſumere non ieiunus ad adimplendum diuinum præceptum de ſacro viatico accipiendo in mortis articulo, quando aliter accipere non poteſt ratione imminentis infirmitatis, non autem Concilium determinat, quod toties quoties velit ſacrũ viaticum accipere non ieiunus poſſit facere, ſed relinquit iudicio, & opinioni Doctorum de hoc diſputantium. Quare diſtinguendum eſt primum conſequens, ergo pro infirmis non eſt lata lex, vt poſſint ſacrum viaticũ recipere ad adimplendum diuinum præceptum Communionis ſacramentalis tranſeat conſequens: ergo pro infirmis non eſt lata lex, hoc eſt infirmi ſunt abſoluti à lege ieiunij; vt poſſint ſingulis diebus ſuæ infirmitatis abſque ieiunio ſacram Euchariſtiam accipere nego conſequentiam, nec ex Concilio hoc poteſt colligi aliàs poſſent infirmi durante eadem infirmitate cauſa deuotionis abſque ieiunio ſingulis diebus ſacram Euchariſtiam ſumere; etiamſi commode poſſent in ieiunio illam accipere: cum illi, qui ſunt abſoluti à lege ad obſeruationem illius non teneantur tempore, quo à lege ſunt abſoluti; ergo ſi infirmus cauſa infirmitatis periculoſæ eſt abſolutè liber ab obſeruatione legis ieiunij ad communicandum, poterit vtiquè non ieiunus communicare dicta infirmitate durãte; etiam cauſa deuotionis: quamuis poſſit commodè ieiunium ſeruare ad ſacram Euchariſtiam recipiendam, quod non videtur poſſe licitè affirmari, ex quo patet manifeſtè ad probationem dictæ conſequentiæ: quare conceſſa minori ſubſumpta, negandum eſt ſuppoſitum conſequẽtis, & ipſa conſequentia: ſupponitur enim in illa falſum infirmos graui infirmitate laborantes abſolutè liberos eſſe ab obſeruatione legis ieiunij ad communicandum ſingulis diebus ſuæ infirmitatis per modum viatici: quia vt ſupra diximus; ſi hoc eſſet verum poſſent accipere ſacram Euchariſtiam cauſa deuotionis, etiam ſi commodè poſſent ieiunium ſeruare ad illam recipiendam.

79 Ad primum fundamentum primæ ſententiæ pro prima parte quæſiti noſtræ reſolutionis deſumptũ ex verbis Diui Thomæ citatis à Patre Hurtado reſpondetur, negando maiorem: nam in mortis periculo non ſolum permittitur infirmo non ieiuno communio, vt poſſit implere præceptum accipiendi viaticum, ſed etiam, quia moriturus valdè indiget huius Sacrementi præſidio, vt ſupra diximus in probatione noſtræ ſententiæ, & colligitur ex Rituali Romano Pauli Quinti.

80 Ad ſecundum fundamẽtum reſ-

reſpondetur, negando maiorē abſolutè loquendo: nam vt aliqui DD. affirmant alicui licet non ieiuno communicare ad maximum vitandū ſcandalum, quandò aliter vitari nō poteſt, & etiam licet Sacerdoti non ieiuno celebrare ad vitandum mortis periculum, quando celebratio exigitur ad audiendam Miſſam, vel ad alios fines, quia iura poſitiua excuſant eos à culpa in his ſtrictis caſibus, & agūt contra ſua præcepta, vt docent Ochagauia de Sacrament. tract. 2. de Eucharistia queſt. 12. num. 15. Diana par. 5. tract. 3. reſolu. 39. Pater Ioannes de di Caſtillo de ſacramentis tom. 1. tract. 4. de Euchariſt. diſp. 9. dubit. 17. quæſt. 7. & ita conceſſa minori neganda eſt conſequentia: nam cum ſupra diximus communicare non ieiunum non ſolùm permittatur ad implēdum præceptum accipiendi viaticum; ſed etiam quia infirmus in tāto periculo conſtitutus indiget huius Sacramenti præſidio; ideo nō intelligitur ligatus lege Eccleſiaſtica de accipiēda Euchariſtia in ieiunio.

81 Quare ſolutio ibi poſita optima eſt. Ad impugnationes autem Patris Hurtadi reſpondetur. Ad primam reſpondeo eligendo ſecundam partē dilemmatis, & negando ſequelam, quia infirmus non conſtitutus in periculo mortis non eſt diſpenſatus à iure in lege ieiunij, & ita tenetur illam ſeruare, & alijs medijs procurare remediū ad imploranda diuina auxilia ad vitandas tentationes vehementes, quæ illi accidunt: aliàs ſequeretur, quod homo ſanus ad imploranda diuina auxilia, vt excitet ſupradictas tentationes, poſſet ſe non ieiunum cōmunicare, quod eſt pluſquam falſum, quod in infirmo in articulo mortis non contingit: cum vt diximus ſit diſpenſatus in lege ieiunij ab Eccleſia abſq; aliqua reſtrictione, & limitatione ſpeciali, vt conſtat ex Concilio Conſtantienſi ſeſſ. illa 13. ſupra citata per illa verba ſacrorum canonum authoritas, & approbata conſuetudo Eccleſię ſeruauit, & ſeruat, vt hoc Sacramentum non poſſit recipi à non ieiunis, niſi in caſu infirmitatis (hoc eſt periculosè) &c. & ſic ſolùm in mortis articulo, & durante dicto periculo locum habet Epicheya, non autem in infirmitate non periculoſa, vt communiter docent Doctores.

82 Ad ſecundam impugnationē reſpondeo omittendo antecedens, & negando conſequentiam; quia cum communio ſacramentalis ſit medium omnibus alijs efficacius ad implorāda diuina auxilia, & augmentū gratiæ, & corroborandam animam in fortitudine fidei, & ſpei & hoc mediū poſſit licitè eligi ab infirmo in tali mortis articulo conſtituto, cum non tenetur ad obſeruationem legis ieiunij in tali caſu, cum cōmodè eam ſeruare non valet, vt ſupra probauimus; hinc eſt, vt poſſit facto ſaltem interuallo temporis à nobis ſupra aſſignato iterū non ieiunus ſacrum viaticum ſumere, & ſic ſemper locum obtinet epicheya.

83 Ad tertiam impugnationem reſpondetur primo, concedendo ſequelam, nec hoc eſt improbabile (vt falsò iudicat Pat. Hurtado) cum plures ſint, & grauiſſimi DD. qui hoc affirmēt non ſolum de illo, qui in ſalute aſſuetus erat frequenter ſacram

Com-

Digitized by Google

Communionem recipere: ſed etiam de illo, qui non tam frequenter ad ſacram Communionem accedebat, & hoc ratione imminentis periculi mortis. Quos Doctores ſupra citauimus, reſpondendo ad ſecundum quæſitum præſentis reſolutionis, quorum fundamẽtum, quod probabile eſt, aſſignauimus, & ita iſte modus opinandi probabilis eſt nõ ſolùm ab extrinſeco, ſed etiam ab intrinſeco. Secundo reſpondetur negando ſequelam, quia cum Rituale Romanum Pauli Quinti permittat infirmis in mortis articulo conſtitutis durante eodem periculo poſt ſumptum viaticum, iterum poſt aliquot dies illud iterum accipere ad ſui conſolationem, & ſolatium ratione imminentis neceſſitatis, & pluralis illa locutio non poſſit verificari: niſi ad minus pertranſeat interuallum duorum dierum poſt ſumptionem viatici, vt ſupra probauimus: ideo non licèt infirmo in mortis articulo conſtituto durante eadem infirmitate, & periculo ſingulis diebus ſacrum viaticũ recipere. Ad probationem ſequelę manifeſtè patet ex dictis; & ideo non eſt neceſſe amplius in hac ſolutione immorari.

RESOLVTIO SESTA.

Vtrùm ille, qui dubitat, an ſit ieiunus, poſſit abſque ſcrupulo communicare, aut miſſam celebrare?

4 PRo deciſione huius reſolutionis ſupponendum eſt, quòd ex duplici capite poteſt oriri dubium: an aliquis ſit ieiunus vel non: ſcilicet, vel ex tempore, vel ex comeſtione: an ſcilicet quis comederit ante mediam noctem, vel poſt, quãuis certus ſit comediſſe; an verò comederit, vel non comederit. Quo ſuppoſito.

85 Prima ſententia abſolutè negat dubitantem ſe eſſe ieiunum in vtroque dubio non poſſe ſacram Euchariſtiam ſumere, ita Thomas Sanchez lib. 2. de matrim. diſputatione 41. num. 40. Villalobos in ſumm. tomo 1. tractatu 1. difficultate 11. nu. 6. Fagundez in præcepta Eccleſię præcept. 3. lib. 3. cap. 5. num. 18. Caſtropalaus parte 1. tractat. 1. de conſcientia diſput. 3. pun. 8. num. 9. & 10. D. Carolus Malletus in auro Theologiæ moral. tom. 1. de Sacram. Malleatione 4. Bracteà 78. Boſſius tom. 1. de conſcientia par. 2. tit. 1. §. 46. à num. 1704.

86 Probatur primo hæc ſententia à Caſtropalao: quia præceptum ſumendi Euchariſtiam in ieiunio ſemper obligat, ergo cum quis accedit ſumere Euchariſtiam dubitans an ſit ieiunus, dubitat ſimiliter an ſumendo Euchariſtiam inieiunè aduerſetur præcepto ſumendi Euchariſtiam ieiunè ergo cum nulla ſit pro parte ipſius, qui cum tali dubio accedit ad Euchariſtiam, poſſeſſio, debet ſtare pro præcepto communicandi in ieiunio, & conſequenter non licet ad ſacram Euchariſtiam accedere, aut ſacrum celebrare, cum tali dubio. Secundo probat, quia qui dubius eſt: an ſit ieiunus, dubius eſt an ſit dignus: ergo ne indignè manducet, probare debet ſe eſſe ieiunum. Tertio, quia qualitas non præſumitur: niſi probetur, vt docet Menochius conſilio 1. numero 121. & conſilio 35. numero 31. ergo non præſu-

 mitur

Digitized by Google

mitur ieiunus niſi probet; atqui probare non poteſt, qui dubius eſt: ergo non poteſt cum tali dubio ad ſacram Euchariſtiam accedere, aut miſſam celebrare. Quarto, quia vnuſquiſque probare debet fũdamentum ſuæ intentionis; alias ſuccumbet l. Ei qui dicit ff. de probat. l. actor, quod aſſeuerat C. eodem l. qui actus. C. de edend. & tradit Decius conſil. 564. num. 1. cum alijs relatis à Maſcardo de probatione. verbo qualis concluſion. 1253. numer. 3.& 4. atqui fundamentum exigentis communionem ab Eccleſia eſt, eſſe ieiunum à culpa in anima, & à cibo, & potu in corpore: ergo dum non probat hoc fundamentum, immeritò exigit communionem.

87 Secunda ſententia huic ex diametro oppoſita abſolute affirmat, poſſe licitè communicare in vtroque dubio: dum dubium ſit merè negatiuum in vtroque capite dubitandi: ita Layman libro primo Theolog. moral. cap. 5. §. 3. numer. 36. Diana 3. parte tractatu 4. de Sacrament. reſolutione 29. Ioannes Sanchius in ſelectis diſputat. 42. nu. 1. & 9. referens Medinam, & Lucium Pater Ioannes de di Caſtillo tom. 1. de Sacrament. tractatu 4. de Euchariſt. diſputat. 9. dubitat. 17. quæſito 4. à num. 297. quam probabilem iudicat Boſſius vbi ſupra num. 1709.

88 Tertia ſententia media via procedit, quia magnum diſcrimen inuenit inter illa duo dubia, & ſicut non eſt reſtringendum hoc ieiunium, & præceptum quando dubitamus, an aliquod traijecerimus, vel non, ſic non eſt danda nimia licentia comedendi; & bibendi, quoties nocte aliquis euigilat, & poſtea mane communicandi hoc prætextu, quod numquam ſcierit, quota eſſet hora: atque ideò dubius ſit, an poſt mediam noctem cibum, vel potum ſumpſerit; quare affirmat debere eũ, qui mane communicare vult, ſaltem probabiliter ſcire ſe non poſt, ſed omninò ante mediam noctem comediſſe, aut bibiſſe: ita Eminentiſſimus Cardinalis de Lugo de Sacrament. diſput. 15. de Sacramento Euchariſtiæ ſectione 2. numer. 42. 43. & 44. Qui vt rationem diſcriminis reddat inter illos duos caſus, & vtramque partem probet, aduertit in huiuſmodi dubijs vt conſtet, quid poſſit, vel non poſſit licitè fieri, optimam regulam eſſe regulariter loquẽdo, quæ deſumitur ex foro externo, ſcilicèt conſiderare in foro iudiciali, cui incumbere onus probandi, ille enim deberet deficiẽte probatione, & manente dubio condemnari, & aduerſarius abſolui. Quo ſuppoſito ita arguit Eminen. de Lugo: in noſtro caſu ſi aliquis cõmunionem petit, & opponatur ei non eſſe ieiunum, & ideo negetur communio, ille poteſt negare, & tũc onus probandi incumbit non ipſi, ſed aduerſario: igitur dum manet dubium an deglutierit: an comederit nihil probatur contra ipſum: atque adeò debet abſolui, & poteſt communicare, aut ſacrum celebrare, quia præceptum Eccleſiæ eſt ne communicet poſt cibum, aut potum: etiam minimum, vt conſtat ex verbis Concilij Brachanenſis ſecundi, Toletani ſeptimi, & Concilij Conſtantienſis verbis reſolutione præcedenti relatis, cui

Digitized by Google

cui præcepto non aduerſatur, qui facto examine non ſcit ſe aliquid ſumpſiſſe: hic enim nõ communicat poſt cibum, aut potum: at verò quando ſcit ſe comediſſe, dubitat autem an eſſet poſt mediam noctem, videtur onus probandi ad ipſum ſpectare. Quod probat Eminẽtiſſimus de Lugo ſequentibus exemplis v.g.ſi quis recordatur voti à ſe emiſſi, dubitat autem: an illud emiſerit ante, vel poſt ſeptemnium ipſi incumbit onus probandi, atque adeo manente dubio obligat votum; quia de voto conſtat, & non de excuſatione, vt docet Thomas Sanchez lib.4.in decalogum cap.1. num.14. Rurſus ſi debeo tibi dare ſingulis diebus vnũ nummum, & dedi iam hodiè, tu petis alterum, quando dubitatur: an ſit iam altera dies, debes probare eſſe iam finitũ diem priorem, quia de ſolutione cõſtat, & non de die noua, quæ dat tibi ius ad aliam ſolutionem. Similiter ſi habeas ius ad communicandum, aut celebrandũ ſemel tantum ſingulis diebus prout de facto habes, & hodie communicaſti, aut celebraſti, dubitas poſtea an ſit media nox, & an poſſis iterũ communicare, aut celebrare pro die altera, tibi incumbit onus probandi: nam de communione conſtat, vel celebratione, & nõ de inceptione nouæ diei, quæ dat tibi ius ad nouam communionem, aut miſſæ celebrationem: ergo ſimiliter, qui certus eſt de comeſtione, & dubitat de inceptione nouæ diei poſt comeſtionem, non poteſt communicare; quia ſicut ſolutio ſemel facta aufert ius ad exigẽdum iterum eadem die, & ſicut communio tollit ius ad aliam communionem eadem die: ita comeſtio aufert ius ad communicandum eadem die: ergo ſicut in alijs caſibus: ſic in iſto, ille, qui fatetur comeſtionem, debet probare nouam diẽ poſt comeſtionem, vt habeat ius ad communionem, aut miſſæ celebrationem: interim enim reijcietur eo titulo, quo comedit, & non habet ius, donec incipiat noua dies poſt comeſtionem, quæ ratio non procedit in priori caſu quando dubitatur de ipſa comeſtione, huic enim nihil poteſt opponi per quod amiſerit ius ad communicandum, aut ſacrum celebrãdum eadem die, cum non poſſit illi opponi comeſtio de qua non conſtat. Hæc Eminentiſſimus de Lugo, cuius ſententia valdè probabilis eſt, & in praxi ſecuriſſima.

89 Nihilominus æquè probabilem iudico ſecundam ſentẽtiã, quam præter allegatos Doctores ſequuntur nouiſſimè Pater Zacharias, Paſqualigus in ſuis deciſionibus moralibus de ieiunio deciſ. 433. num. 1.&2.& Leander à ſanctiſſimo Sacramento parte 2.tractat.7.de Euchariſt.diſput. 5.quæſt.4.& D. Didacus Narbona tom. 2. hora 12.num.17.& 18.& iterũ Diana par.10. tractat.12.reſolut.17.& tract. 13. eiuſdem partis reſol. 54. §. nota etiam hic Pater Frãciſcus Bardi de conſcientia diſcept. 6. cap. 11. par. 3.§.2. per totum. Don Ioannes Caramuel Epiſcopus Miſienſis in theol. moral.lib.3.cap.1.diſp. 1.num. 1353. Auerſa de Sacramen.Euchariſt.quæſt.8.ſect. 8. Angelus Maria Verricellus in ſuis quæſtionibus moralibus, & legalibus tractat. primo ſingularium opinionum queſt.7.num.15.

90 Fundamentum, quod communiter aſſertur pro hac opinione à ſupra allegatis Doctoribus eſt, quia in dubio melior eſt conditio poſſidẽtis l. ſi debitor ff. de pig. regula in pari de reg. iur. in 6. atqui in noſtro caſu potius poſſeſſio ſtat pro libertate volentis communicare, quam pro præcepto communicandi ſeruato ieiunio: ergo poteſt quis in dicto dubio exiſtens tam in primo quam in ſecundo ſenſu licitè communicare, aut miſſam celebrare.

91 Sed hac ratione non videtur efficaciter probari poſſe, qui dubius eſt, an ſit ieiunus: nec ne poſſe licitè communicare; aut miſſam celebrare: tum quia poteſt quis facilè negare minorẽ, & aſſerere poſſeſſionem ſtare in dicto caſu pro præcepto Eccleſiaſtico de communicando, ſeruato ieiunio, quia nullus habet libertatem communicandi, niſi probata dignitate, & ſic nullus præſumitur ieiunus, niſi probet; quòd eſt vnum ex fundamentis Patris Caſtripalai: tũ etiam, quia poterit etiam quis ſequendo doctrinam Eminentiſſimi de Lugo reſpondere ad ſupradictum fundamentum, quod licèt teneat in caſu, quo aliquis dubitet: an comederit, vel non comederit, ex eo quod in dicto caſu nihil poteſt ei opponi, per quod amiſerit ius ad communicandum, vel celebrãdum in eadem die, cum non poſſit illi opponi comeſtio, de qua non conſtat. Et ſic poſſeſſio ſtat pro ieiuno: attamen in caſu, quo quis ſit certus de comeſtione, & dubitet an dicta comeſtio eſſet poſt mediam noctem, non videtur conuincere argumentum: cum videatur onus probandi ad ipſum ſpectare, & ſic videtur poſſeſſionẽ ſtare pro præcepto Eccleſiaſtico de facienda communione, aut celebrando Miſſæ ſacrificio abſque ſumptione cibi, aut potus, dum non probetur dictam ſumptionem cibi, aut potus ſaltem probabiliter fuiſſe factam antè mediam noctem.

92 Quare melior hæc ſententia probatur à Patre Ioanne de di Caſtillo vbi ſupra numero 300. quia in caſu propoſito ex parte communicaturi ſupponitur ius acquiſitum; communicãdi ſingulis diebus, in quibus non ſit impedimentum legitimè impediens ſacram communionem: atqui hoc ius hodiè poſſidet ille, qui eſt in dubio, an ſit, vel ne ieiunus pro omnibus ſequẽtibus diebus, quę poſſeſsio eſt, & durat tota vita: ergo vt hoc iure, quod poſſidet, non poſſit vti, neceſſe eſt, vt ſuperueniat aliquod impedimentum certũ, quod in dicto caſu non ſuperuenit. Maior videtur certa, cũ ius ad aliquid certo tempore agendum, vel recipiendũ, poſſit acquiri, & haberi multo tẽpore ante illud; ita vt quamuis aliquis non habeat hodiè v. g. ius agendi, vel recipiendi hodiè, ſed agendi, vel recipiendi cras, hodiè: nihilominus poteſt illud ius pro craſtina die habere, vnde beneficiarius v. g. habet hodiè ius impoſterum ſtatutis tẽporibus fructus annuos recipiendi: vnde prouenit, vt cenſeatur poſſidere ius: ergo hac ratione poteſt intelligi, quod hodiè quis acquiſitum habeat ius petendi, & accipiẽdi cràs Sacramentum communionis, aut celebrandi. Sic Parochianus hodiè ius petendi, & accipiendi Sacramentum, cràs à ſuo Parocho habet, ſi non ſit legi-

Digitized by Google

legitimum impedimentum; ſic ſacerdos legitimè hodiè promotus habet ius celebrandi ſingulis diebus, ſi non ſit legitimè impeditus. Minor, in qua poteſt eſſe difficultas probatur, quia in noſtro caſu, ſiuè dubium ſit de comeſtione; ſiue de hora comeſtionis eſt impedimẽtum dubium; atqui ſolùm impedimentum dubium non eſt ſatis ad ſpoliandum aliquem à ſua poſſeſſione: ergo ſi ex parte communicaturi ſupponitur ius acquiſitum communicandi ſingulis diebus, in quibus non ſit impedimentum, hoc ius hodiè poſſidet pro omnibus ſequentibus diebus, & poſſeſſio eſt, & durat tota vita. Hæc vltima minor probatur manifeſtè: nam ſecundum communiorem ſententiam, non ſolùm in materia ſtrictę, & propriæ iuſtitię: ſed *in alijs materijs* melior eſt conditio poſſidentis, quãdo ſupernenit dubium l. ſi debitor ff. de pignoribus regula in pari de regulis iuris in 6. & docet Sãchez lib. 2. de matrim. diſp. 41. nu. 32. vbi ſic ait: ſed verius eſt, in quacumque materia potiorem eſſe in dubio poſſidentis conditionem, quia poſſeſſio eſt titulus vniuerſalis omnibus virtutibus eo modo, quo aliqua pars potentialis iuſtitię, aut obedientia Dei tranſcendit omnes virtutes. Et huius ſententię ſunt omnes Doctores, quos retuli lib. 1. diſp. 9. num. 11. 12. & 13. aſſerentes dubium an votũ emiſerit, illum non teneri, quia in eo dubio potior ſit conditio libertatis, quę poſſidetur, cum tamen votum non pertineat ad iuſtitiam, ſed ad religionem; vbi etiam diſputauimus, an certus de voto, dubius autem de intentione ſe obligandi, teneatur voto. eiuſdem ſententiæ videtur Nauarra lib. 3. de reſtit. cap. 4. dub. 4. in noua editione nu. 48. vbi ait in dubio meliorem eſſe poſſidentis conditionẽ maximè in materia iuſtitię; quarè idem videtur ſentire in alijs. Hucuſque Sanchez. Quæ doctrina ſatis communis eſt. Hinc eſt, vt ſi ſemel ſupponamus poſſeſſionem iuris, vt diximus in probatione maiori huius argumenti, etiamſi ſuperueniat dubium, quod facta diligentia auferri non poſſit, poſſidentem poſſe perindè pergere, & vti iure ſuo: perindè ac ſi non ſuperueniſſet dubium. Ergo qui dubius eſt an ſit, vel non ſit ieiunus, vel quia dubitat de comeſtione, aut de comeſtionis hora, non poteſt ideo ſtare impedimentum dubium vt non poſſit communicare, aut celebrare in illa die.

93 Ad primum fundamentum oppoſitæ ſententię ex Caſtropalao reſpondet primo Pater Ioannes de di Caſtillo vbi ſupra numer. 302. hoc argumentum habere locum in materia iuſtitię eodem modo, atqui ibi nõ habet vim: ergo nec hic habebit. Paritatem probat de di Caſtillo, quia ſi rectè loquamur, pręceptum non eſt ſumendi Euchariſtiam ieiunè, ſed non ſumendi non ieiunè, ideſt poſt comeſtionem, aut potum, ergo ſicut in materia iuſtitię ſtrictę licèt pręceptum non ſit v. g. conſumendi rem tuam, ſeu non alienam, ſed non conſumendi rem alienam, ſeu non tuam, nihilominus poſtquam ius poſſidiſti; etiam ſi incipias dubitare, an res, quam poſſidebas, ſit tua, eò ipsò quod ante tale dubium poſſidebas ius vtendi illa, ſuperueniens dubium non cogit abſtinere

ſtinere ab illa, ergo ita ſimiliter licèt preceptum Eccleſię ſit non ſumendi Euchariſtiam non ieiunè: eò ipſo, quod poſſideas ius ſumendi Euchariſtiã, ſuperueniens dubium non cogit abſtinere ab illa.

94 Secundo reſpondet nu. 303. illud dubium: tam in noſtro caſu, quam in materia iuſtitiæ, eſſe dubium ſuperueniens pręcedenti poſſeſſioni: atque hoc ſufficere, vt tale dubium, ſeù impedimentum incertum non obſtet, quo minus præcedens poſſeſſio ſortiatur ſuum effectum: prius enim quam ſuperueniret tale incertum, & dubiũ impedimentum homo habebat poteſtatem communicandi, & ſacerdos celebrandi, quia nec habebat certum, nec dubium impedimẽtum, vt ſupponimus, & poſtea ſuperuenit incertum impedimentum, & incertum dubium, ergo prior erat poſſeſſio poteſtatis, & iuris, quam illud impedimentum, quę ſolutio mihi magis placet.

95 Ad ſecundum reſpondetur antecedens eſſe petitionẽ principij, & aſſumere idipſum, quod diſputamus, ſeù de quo eſt dubium; nec enim eſt aliud in hoc negotio non poſſe dubitantem de ieiunio licite communicare, quam eſſe indignum, vt cõmunicet, de hac potẽtia enim dignitatis moralis diſputamus, non de phyſica potentia ad comedendum, nam vt benè notat Pater de di Caſtillo nu. 307. in hoc ipſo ſecum pugnant aduerſarij, dum ex vno capite dicunt dubitantem de ieiunio eſſe repellendum, & id affirmando affirmant hic, & nunc eſſe indignum, qui communicet, & ex alio capite dicũt, qui dubius eſt, an ſit ieiunus, dubius eſt: an ſit indignus. Ecce quomodò ſimul dicunt eſſe dubiè indignum, & ſimul abſquè dubio indginum, quia abſolutè iudicant repellendum; & non eſt repellendus niſi indignus, in quo minus rectè loquuntur, dũ dubium ieiunij appellant dubiã indignitatem, & habentem tale dubium, appellant indignum, qui admittatur. Ergo eſt iuxta hunc modum loquendi dubiũ illud, ſimul indignitas dubia (quam ſic appellant) & indignitas certa, quia habens illam indignus eſt, qui admittatur.

96 Ad maiorem declarationem huius ſolutionis aduerto cum eodem de di Caſtillo non omnem probationem cuiuſcumq; dignitatis debere adhiberi ex parte petentis id, ad quod dignitas, & debita diſpoſitio requiritur. Talis enim dignitas poteſt eſſe poſitiua, vel negatiua, & licet de poſitiua dignitate, aut diſpoſitione forte dicatur debere à petente probari, (quod ſuam habet quęſtionem) & debere de illa poſitiuè conſtare: de negatiua tamen ſępè alitèr conſtare debet: ſufficit enim quod contrarium non poſſit probari contra petẽtem. à ratione, ſi quis reliquerit legatum pium pro maritanda puella ſibi conſanguinea in ſecundo gradu: dummodo non proſtituerit pudorem: conſanguinitatis quidem probatio poſitiuis argumentis fieri debet: probatio verò non proſtitutionis (quę non proſtitutio eſt quędam abſtinentia, ſeu ieiuniũ a copula, ſatis eſt ſi fiat negatiuè, ideſt, quod nemo poſſit de contrario teſtimonium ferre; etiam ſi fortè aliqui dubitauerint propter rationes, quę nec probabiliter quidem poſſint

ſuadere

Digitized by Google

ſuadere contrarium: ſic ergo in noſtro caſu probatio de non comeſtione, aut non potatione ſatis eſt ſi fiat negatiuè ideſt, quod nemo, ſiue ipſe communicans, ſiue alius poſſit contrarium affirmare, etiamſi fortè dubitet propter rationes, quæ nec probabiliter quidem poſſint ſuadere contrarium.

97 Ad tertium fundamentum, vt reſpondeamus, ſupponendū eſt duplicem eſſe qualitatem requiſitam pro aliqua functione: poſitiuam ſcilicet, & negatiuam. Poſitiua qualitas confert ius ad functionem illam; negatiua vero non quidem ex ſe confert ius: ſed quæ ſit formaliter defectus eius, quod ſi adeſſet, impediret. Prior qualitas: nempè poſitiua debet probari à volente habere functionem, quia debet ad id ſupponere ius ad functionem: poſterior verò qualitas: ſcilicet negatiua non debet probari ab ipſo, ſed oppoſitum contra ipſum debet probari, & dum nō eſt aliquid, quod probet eſſe impedimentū poteſt ſe gerere pro non impedito. Quo ſuppoſito ad argumentum reſpondeo, diſtinguēdo antecedens, qualitas non præſumitur: niſi probetur ſi ſermo ſit de qualitate poſitiua, quæ confert ius ad functionem illam. Concedo antecedens: ſi ſermo ſit de qualitate negatiua, quæ ex ſe non confert ius ad functionem illam, ſed quæ ſit formaliter defectus eius, quod ſi adeſſet, impediret, nego antecedens. Cum autem in noſtro caſu, qualitas, quæ ſupponitur non ſit poſitiua, ſed purè negatiua, ideo non debet probari à volente habere functionem, ſed oppoſitum contra ipſum debet probari, & dum nō eſt aliquid, quod probet eſſe impedimentum, poteſt ſe gerere pro non impedito: cum autem illi, qui eſt dubius de ieiunio: vel quia dubitat de ſumptione vbi, aut potus, vel quia dubitat de hora dictæ ſumptionis, an fuerit, ſcilicet facta ab ipſo ante, vel poſt mediam noctem, non ſit aliquid, per quod poſſit probari contra ipſum, quod non ſit ieiunus, quod eſt impedimentum ad ſe communicandū, aut celebrandum in illa die, dū hoc illi non probetur, poteſt ſe gerere pro non impedito, & in illa die non obſtante dubio cōmunicare, aut celebrare.

98 Secundo reſpondeo, admittendo antecedens, & diſtinguēdo conſequens: ergo non præſumitur ieiunus, niſi probet qualitatem prædictam negatiuā, quæ ſit formaliter defectus impedimenti eodem genere probationis, quo probari debet qualitas poſitiua, nego conſequentiam, diuerſo genere probationis concedo conſequentiam. Sufficit enim in noſtro caſu probatio negatiua; ideſt quod poſt ſufficiens examen illi non conſtet ſe comediſſe, aut bibiſſe illa die, quantumuis dubitet puro dubio, an fortè comederit, vel an comeſtio facta fuerit ante, vel poſt mediam noctem.

99 Ad quartum fundamentum reſpondetur ex dictis, diſtinguendo maiorem, vnuſquiſque debet probare fundamentum ſuæ intentionis probatione poſitiua, aut negatiua cōcedo maiorem: ſemper probatione poſitiua nego maiorem, & cōceſſa minori diſtinguendum eſt conſequens, ergo dum non probat hoc fundamentum, immeritò exigit communionem;

dum

dum non probat poſitiuè, nego conſequentiam, dum non probat negatiue, ſcilicet, quod poſt ſufficientem inquiſitionẽ, & examen non conſtet, nec probabiliter quidem de comeſtione, & potatione: vel de hora comeſtionis, & potationis, ſed res maneat intra terminos puri dubij concedo conſequẽtiam, quæ probatio negatiua reperitur in noſtro caſu, & ſic poteſt ſe gerere pro ieiuno, vt diximus ſolut. 2. præcedentis argumenti.

100 Ad omnia exempla adducta ab Eminentiſſimo Cardinale de Lugo in fauorem ſecundę partis ſuę ſententiæ optimè reſpondet eruditus Pater Ioãnes de di Caſtillo vbi ſupra; ad primum enim exemplum reſpondet num. 293. quod vel nõ eſt verum, vel non eſt ſimile: nam ſi loquamur de voto: quãdo omnibus penſatis, manet purum dubium: an iſte emiſerit cum ſufficienti vſu rationis, & ad præſumendum ſufficientem rationis vſum, recurratur ad tempus ſeptemnij expleti, & hoc tempus maneat etiam intra terminos dubij pure negatiui ſine alijs probabilibus argumentis pro alterutra parte, tunc non eſt exemplum, quod is obligetur voto, quin potius idem dicendum eſt in hoc caſu, atque in noſtro, de dubio temporis comeſtionis, aut potationis. Quia ſicut in noſtro caſu non impedit communionem, aut miſſæ celebrationem comeſtio, aut potatio: niſi facta poſt mediam noctem: ita non inducit in eo caſu obligationem votum, niſi factum poſt ſeptemnium. Rationem à priori aſſignat Pater de di Caſtillo pro vtroque caſu, & pro ſimilibus, quia adhoc, vt aliqua cauſa cauſet totaliter ſuum effectum, tota cauſa ſufficiens præſupponi debet, ad cauſandum verò effectum impediendi cõmunionem, comeſtio non eſt cauſa ſufficiens: ſed comeſtio, aut potatio facta poſt mediam noctem, ergo non ſola comeſtio, & potatio, ſed comeſtio, & potatio poſt mediam noctẽ debet præſupponi. Item ad effectum obligationis voti cauſandum cauſa ſufficiens in eo caſu non eſt votum vt cumque emiſſum: ſed cum deliberatione ſufficienti, vt patet, & quãdo de hoc non conſtat ad præſumendum illam, non eſt cauſa ſufficiens votum quouis tẽpore emiſſum, ſed poſt ſeptemnium, ergo debet præſupponi votum poſt ſeptemnium, atq; adeò quouſque conſtet de comeſtione, & potatione poſt mediam noctem non conſtat de cauſa ſufficienti ad communionem, aut miſſæ celebrationem impediendam, & quouſq; conſtet votum fuiſſe poſt ſeptemnium, in eo caſu non conſtat de cauſa ſufficienti ad voti obligationem inducendam. Quòd ſi quis recurrat cum Thoma Sanchez ad præſumptionem, quia, vt ille ait rariſſimè emittuntur vota, aut iuramenta promiſſoria ante ſeptẽnium, & ideo in eo dubio ex communiter contingentibus preſumitur votum emiſſum poſt ſeptemnium, facile admiſerim pro nunc doctrinam; ſed non eſt caſus noſter; atquè adeò non eſt ſimile exemplum, quia nos loquimur de puro dubio negatiuo: quando nulla eſt ratio pro alterutra parte: talis autem caſus non eſt puri dubij: ſed præſumptionis probabilis

pro

pro altera parte, vt conſtat.

101 Ad ſecundum exemplum Eminentiſſimi de Lugo reſpõdet dictus de Caſtillo num. 294 quod etiam in hoc caſu ſicut, & in præcedenti, cauſa ſufficiens debet præſupponi ad effectum, atque adeò, quòd de noua die conſtet: nam ideò non debeo dare, quia aduentus nouæ diei ſe tenet ex parte cauſæ: nec eſt completus titulus, & cauſa iuris petendi, aut obligationis dãdi, donèc noua dies adſit: atquè adeò petens probare debet cauſam ſufficientem adeſſe, ad quã noua dies requiritur. Ita ſimiliter in noſtro caſu ille, qui intendit aliquem eſſe impeditum à Communione, aut Miſſæ celebratione, quia comedit in illa die, probare debet, quod in illa die comederit: quia comeſtionem fuiſſe illa die eſt cauſa completa, & completus titulus repellendi illum à communione, aut miſſæ celebratione, & niſi fuerit illa die, non ſufficit: quare falsò aſſumit Lugo in eo exemplo, dum ait: debes probare eſſe iam finitum diẽ priorem, quia de ſolutione conſtat, & non de die noua. Debeo quidem (inquit, & bene doctus de di Caſtillo) probare eſſe nouam diem, ſed non quia conſtet eſſe ſolutum nummum illius diei, pro quo ſoluiſti, neque enim de hoc eſt controuerſia inter me, & te; ſed quia peto iam alterius diei ſolutionem, & non conſtat de ſufficiente cauſa talis ſolutionis, donec veniat, & cõſtet veniſſe alteram diem.

102 Ad tertium exemplum Cardinalis de Lugo, quod ſimile eſt præcedenti, eodem modo reſpondet dictus de di Caſtillo, nempe, quod ideo tibi incumbit probare nouæ diei inceptionem, quia ea inceptio eſt completio cauſæ, & iuris, quòd prætendis communicandi, aut celebrandi, & donec conſtet de ſufficienti cauſa, non poteſt eſſe effectus; ſed hoc ipſum reperitur in noſtro caſu, in quo tu, qui intendis me repellere à Sacra Communione, aut miſſæ celebratione, debes probare comeſtionem illa die fuiſſe factã; quia hæc eſt cauſa ſufficiẽs, & de illa non conſtat; donec tu probes, qui illam opponis.

103 Pro coronide huius reſolutionis, & clariori eius intelligentia, vt omnem dubitationem è medio tollamus, aduertere opere prætium iudico, controuerſiam præſentem eſſe non pro caſu, quo quis comedit quidem dubitans: an media nox tranſacta eſſet, vel iam incepiſſet dies ſequens, & antequam adhùc incepiſſet ſciat diem ſequentem, vult communicare, àut celebrare: in hoc enim caſu quidquid fuerit de comeſtione, adhùc non conſtat de iure communicandi, aut celebrandi, donec de noua die conſtet: aduentus enim nouæ diei vltimò complere debet cauſam communicandi, aut celebrandi: ac proindè celebraturus ſacrum, aut communicaturus debet probare ius; nec etiam controuerſia noſtra, eſt pro caſu, quo quis certus eſt ſe comediſſe die Sabbati ante Dominicam, & vult communicare, aut celebrare pro die Dominica, & tanquã in die Dominica, antequam ſatis conſtet aduenisse Diem Dominicam; in hoc autem caſu eodem modo conſtat eſſe cauſam ſufficientem,

quæ debet compleri per aduentum nouæ diei, & ei, qui vult communicare, aut celebrare, incumbit onus probandi aduentum Dominicæ. Controuerſia igitur noſtra eſt, quando quis iam eſt in die Dominica, & certus eſt ſe comediſſe nocte præcedente, & non poteſt ſcire: imò dubius eſt puro dubio, an eſſet media nox, vel non dum eſſet, quando comedit, aut bibit. Hic eſt ipſiſſimus caſus controuerſiæ noſtræ, & Eminentiſſimus de Lugo contendit aliter philoſoſandum eſſe in hoc caſu dubij circa tempus comeſtionis, & potationis, atque in caſu dubij circa comeſtionem ipſam, docetque dubium de comeſtione communionem, aut celebrationem ſacri non impedire; dubium verò de tempore comeſtionis, & potationis communionem, aut ſacri celebrationem impedire; nos verò è contra contendimus neque dubium temporis impedire ſcilicèt, quando conſtat quidem: iam eſſe diem Dominicam, ſed non conſtat, an comeſtio, quæ certa fuit, fuerit paulò antè mediam noctem, aut paulo poſt; atquè adeò an fuerit die Dominica, vel Sabbathi, qua aduertentia nimis neceſſaria ſuppoſita. Magis mihi diſplicet applicatio prędictorum exemplorum facta ab Eminentiſſimo de Lugo, quàm exempla ipſa; nam inuerſo ordine, & mutato caſu applicat. Cur ergo quæſo affertur in exemplum ſolutio pecuniæ die Sabbathi facta, & alia communio die Sabbathi facta? in quibus caſibus conſtat de illa ſolutione, & communione, aut Miſſæ celebratione, & adhuc conſtat de noua die, pro qua peto nouam ſolutionem, aut nouam Communionem, vel nouæ miſſæ celebrationem? in noſtro enim caſu ille, qui vult communicare, aut celebrare ſacrum certus eſt de die Dominica, pro qua petit communionem, aut in qua vult miſſam celebrare, ſed non eſt certus an illa die, vel præcedenti die comederit, atque adeò de impedimento non eſt certus in dicto caſu: licèt ſit de cauſa, ideſt noua die dante ei ius ad communicandum, vel celebrandum, ſi non ſit impedimẽtum, de quo impedimento ei non conſtat. Quorſum igitur affertur in exemplum id, in quo cauſa dans ius, & cauſans effectum adhuc eſt dubia? interim dum de eius exiſtentia non conſtat; impedimentum vero certum eſt? nempè non conſtat de noua die; pro antecedente vero die conſtat fuiſſe impedimentum iuris petendi ſolutionem, & communionem; quia in illa iam fuit ſolutio, aut communio, & non conſtat quod illa dies trãſierit; atque adeo, qui iterum petit, probare debet, quod tranſierit. Hoc ſanè inuertere caſum eſt, & exempla malè applicare argumentando à caſu, in quo eſt certitudo impedimenti ſi nõ adſit noua cauſa, & de aduentu nouæ cauſæ non conſtat, ad caſum, in quo de noua cauſa dante ius ad cõmunicandum, vel celebrandum conſtat, ſi impedimentum non adſit, & de impedimento non conſtat. Itaque non oportet parificare caſum impedimenti

certi,

certi, & cauſæ dubiæ: cum caſu impedimenti dubij, & cauſæ certæ.

RESOLVTIO SEPTIMA.

Vtrùm vbi eſt tantùm vnum Horologium ſi duodecima hora noctis ſonare incipiat (quę hora duodecima in horologio Hyſpano facit mediam noctem) debeat, qui craſtinò Euchariſtiam ſumpturus eſt, aut ſacrum celebraturus ſtatim in prima pulſatione à cibo, & potu ceſſare.

104 IN hac difficultate Pat. Martinus Breſſerus de conſcientia lib.4.cap.11.num. 107. ſaltem, vt probabile, affirmat horam duodecimam moraliter durare, vſque ad vltimum ſonum horologij, adeòque interim bibentem, & comedentem non violare ieiunium naturale, vel Eccleſiaſticũ ſequentis diei, & conſequenter poſſe ſequente die communicare, aut miſſam celebrare. Quam opinionem, vt probabiliorem defendit Pater Leander à Sanctiſſimo Sacramento parte ſecunda tract. 7. de Euchariſtia diſputatione quinta quæſtione 7. per hęc verba: conſequenter ergo, & mihi probabilius reſpondeo, nõ debere neceſſariò ceſſare in prima pulſatione à cibo, & potu, vt craſtinò ſuſcipere Euchariſtiam poſſit; ſed optimè poſſit manducare, & bibere, vſque ad vltimum pulſum horæ duodecimæ, & ſequenti die communicare.

105 Quam ſententiam probat. 1. Quia horologium (vt prædicti Doctores fatentur, eſt teſtis nobis, quod hora diei, aut noctis ſit indicans; atqui hoc nequit nobis indicare, niſi per determinatos, & aſſignatos pulſus: ergo quouſque omnes illos dederit, non erit nobis teſtis horæ, quam nobis indicat. Quam rationem confirmat, quia horologiũ datũ eſt nobis in ſignũ temporis, aut horæ diei, & noctis, ſed nequit eſſe nobis ſignũ mediæ noctis per vnicum pulſum, ſed per duodecimum (vt ipſimet contrarij docent) ergo quouſquè omnes illos dederit, non erit ſignum mediæ noctis, ergo vſque ad illud tempus optimè poterit quis edere, & die ſequenti communicare, cum id poſſit vſque ad mediæ noctis ſignum, quod non datur vſque ad vltimum duodecimum pulſum horæ.

106 Secundo probat, quia licet verum ſit, quod cum primus pulſus horæ ſonat (imò, & primus pulſus pro quatuor quadrantibus vt benè in hóc Lugo) iam ſit completa hora mathematicè, phyſicè, vel ſecundùm ſe ſumpta, non tamen ſumpta, vt oportet moraliter, & vt eſt nobis ſignum, quia hoc modo non completur, quoad vſque vltimus ſonat pulſus, ergo &c. quod confirmat, quia hora moraliter ſumpta non incipit (vt exiſtimant contrarij) primo pulſu horæ, qui eſt indifferens ad hanc, vel illam horam; ſed ex vltimo, qui eam determinat, & durat vſque ad vltimum alterius horæ: ergò. Antecedẽs probat, quia vt experientia cõſtat, quando quis poſt mediam no-

ctem Sabbati carnibus vult veſci, nullo modo id facit quoad vſque vltimum horę duodecimæ audiat, & enumeret pulſum, ergo hora moraliter ſumpta ab vltimo vnius horæ pulſu vſq; ad vltimum alterius computatur, ergo &c.

107 Tertio probat ſumendo argumentum ex conceſſis ab AEgidio de Trullench (qui dicit conſentire Dianam par. 6. tract. 6. reſolut. 34.) quia probabile ſibi, & meritò videtur, quod non violet ieiunium, qui poſt primumpulſum, minorem quadrantis edit, aut bibit vſque ad primum pulſum horæ maioris, eo quod moraliter pulſus minores quadrantis, & primus horæ maioris pulſus pro vno tempore computari poſſunt &c. probabile etiam ſibi videri debet propter eaſdem rationes non violari ieiunium ab illo, qui poſt primum pulſum horæ maioris edit, aut bibit aliquid vſque ad pulſum vltimum eiuſdem horæ. Quia (vt putat verbis eiuſdem Trullench) licèt mathematicè, & in rigore Theologico cum incipit pulſari primus pulſus horæ maioris, iam ſit completa hora duodecima noctis, & incipiat alia hora alterius diei, tamen quoniam moraliter omnes pulſus horę maioris computari poſſunt, imò, & debent pro vnico tempore, & quaſi compleri tota hora per vltimum pulſum: ideò probabile exiſtimari debet non violari ieiunium vſque ad vltimum pulſum horæ maioris. Addit quod id etiam piè credi poteſt de pijſſima Eccleſiæ Matre; noletque ob tam breuiſſimum tempus priuare fideles ſacra Communione, ergo Ioannes AEgidius (& cum illo Diana) aut concedat noſtrã ſententiam eſſe probabilem, aut tueatur omninò ſentẽtiam Patris Ioannis de Lugo.

108 Quarto probat, quia mirũ eſt profectò, quòd (ſecundùm probabiliorem opinionem) vbi ſunt diuerſa horologia licitè poſſit quis poſtquam aliquod eorum horam duodecimam ſonuerit, edere, & bibere, multoties per ſpatium vnius quadrantis, aut dimidiæ horæ, vt experientia docet, donec aliud horologium ſonet, & craſtinò communicare, & quod non poſſit edere, & bibere, vbi eſt tantùm vnum horologium, donec iſtud perfectè, & completè ſonet horam duodecimam, detque nobis ſignum mediæ noctis per duodecim pulſus, per quorum vltimum nobis finitur vna, & incipit altera hora, quis hoc rationabiliter audiens, non mirabitur optimè? ergo poterit quis edere, & bibere vſque ad vltimum pulſum horę duodecimę, & die ſequẽti communicare.

109 Et ſi illi obijcias, obſtare contra hoc Eccleſiam ad Euchariſtię ſumptionem ieiunium petere naturale, quod non poteſt dari: niſi toto tempore phyſico antecedenti ſumptionem Euchariſtiæ, & ſuſcepturus ſit ieiunus; atqui non eſt ieiunus toto tempore phyſico antecedenti, ſi poſt ineeptã dictæ diei horam primam comedit, vel bibit, ergo non poterit cõmunicare, aut miſſam celebrare.

110 Nam ad hanc obiectionem reſpondet dictus Pater Leander à ſanctiſſimo Sacramento, quòd Eccleſia, quæ tale ieiuniũ pręcepit, id facit iuxta ſigna moralia: nempè horologia, quę per

per primum pulſum non indicant horam determinatam, ſed potius, imò tantum per vltimum. Sic affirmat loqui Doct. Complutenſes ab ipſo conſulti præcipuè Pater Magiſter Benauides Ordinis Carmelitarum publicus in Academia Sacræ Theologię moderator, qui affirmauit non ſolùm probabilē, ſed veriſſimam ſibi hanc ſententiam videri. Pat. Magiſter Chryſoſtomus Cabero in eadem Academia publicus Theologiæ profeſſor. Nec non duo præclariſſimi virtute, & litteris Frater Doctor D. Ioannes de Narbona, & D. Didacus de Narbona, & alij Docti Iuniores. Et ego prętet hos inuenio hanc ſententiam ſequi à Doctiſſimis Viris eam enim ſequitur D. Ioannes Caramuel in regulam Sancti Benedicti diſput. 101. num. 1328. concl. 3. pagina mihi 539. Pater Thomas Hurtado par. 2. reſol. moral. tract. 11. cap. 3. num. 86. Pater Zacharias Paſqualigus de ieiunio deciſ. 443. à num. 5. Pat. Ioannes de di Gaſtillo de Sacramentis tom. 1. tractat. 4. de Euchariſt. diſput. 9. dubitat. 17. quęſt. 1. num. 265. in fine. Merolla tom. 1. diſput. 3. cap. 3. corollar. vndecimo num. 139. Salas prima ſecundę tom. 2. tract. 8. diſput. vnica ſect. 25. nu. 264. & probabilem iudicat Diana par. 4. tract. 3. reſolut. 19. & par. 6. tract. 6. reſolut. 34. & par. 7. tract. 11. reſolut. 15. & part. 10. tract. 13. reſolut. 54. 9. & tandem obſeruandus eſt Pater D. Angelus Maria Verricellus in ſuis queſtionibus legalibus, & moralibus tractatu 1. ſingularium opinionum quęſt. 7. qui non ſolùm contentus eſt affirmare quis comedere, aut bibere poſt primum pulſum horę duodecimę noctis, abſque eo quod frāgat ieiunium naturale, & quod conſequenter poſſit talis communicare, aut celebrare ſacrū in illa die vlterius affirmat nu. 8. dictę quęſtionis concluſ. 1. probabile eſſe, quod comedens per aliquam temporis moram poſt omnes pulſus horę duodecimę, poterit ſequenti die communicare, & aduertit ſe loqui de hora duodecima prout deſignant more aſtronomico horologia omnia extra Italiam, ex eo quod in Italia vſus deſignandi horas à ſolis occaſu Atheniensium more nullum ferè habet determinatum initium ſignificandi primam horam noctis, quare neque mediam noctem determinatè, & indiuiſibiliter deſignare poſſunt.

111 Pro cuius concluſionis probatione aduertit num. 10. quod dies duplex eſt, artificialis, & naturalis. Artificialis dies eſt mora ſolis ſuper horizontem; ſicut nox artificialis eſt mora ſolis infra horizontem. Naturalis dies eſt reuolutio ſolis ex motu rapto primi mobilis ab vno puncto fixo ad idem punctum. Porrò diuerſe gentes diuerſa habuerunt diei initia. Romani à media nocte l. mor. Roman. ff. de verb. ſignific. Macrobius lib. 1. cap. 3. quem morem imitatur Eccleſia eumque rerum naturę conformiorem eſſe eruditè oſtendit Mendoza lib. 4. viridarij problema 42. Babiloni, quos nunc imitātur Inſulę Baleares ab ortu ſolis. Athenienſes, quos Itali imitantur ab occaſu. Arabes, & Aſtronomi diem computāt à meridie. Quo ſuppoſito.

112 Probat ſuam concluſionem: nempe comedētem per aliquā temporis moram poſt omnes

pulſus

pulſus horę duodecimę, non frangere ieiuuium naturale, ſed poſſe ſequenti die communicare, nam quodcumque horologium quantumcumque accuratè horam deſignet, ſi haberet ſenſum, & intelligentiam, ſic deberet horas percuntanti reſpondere: iam eſt duodecima paulo plus, vel minus, & ſi aliter reſponderet, vtiquè falſum deponeret: nec ei credendum eſſet, ergo ſicuti teſtis deponẽs per hęc verba paulo plus, vel minus non probat aliquod prę-cifum, & indiuiſibile tempus. Butrius in cap. finali de deſpõſat. impuberum, probat autem talis teſtis, quando modicum interuallum non variat diſpoſitionem; & tunc tale interuallum iudicis arbitrio remittitur Gloſſa in dict. cap. finali de diſponſat. impuberum Ruinus cõſil. 130. num. 5. lib. 1. Menoch. de arbitr. caſu 46. nu. 3. Viuius opinione 963. num. 8. Farinac. de teſtibus quęſt. 68. num. 21. Et ita à pari horologium deſignans horam duodecimam: quaſi implicitè dicens paulo plus, vel minus, non deponit de certo, & indiuiſibili puncto medię noctis: ergo prudentis arbitrio committitur iudicium de inditio medię noctis, ergo comedens poſt omnes pulſus per aliquam moram, non dicitur comedere poſt mediam noctem, quare poterit cõmunicare. Antecedens huius argumenti, nempe ſi horologium animatum eſſet cum illa moderatione, reſpõderet paulo plus, vel minus, probat 1. nam alioquin eſſet teſtis falſus, & varius: nam aliquando tardius, aliquã do citius tempus deſignat, teſti autem vario non credetur l. qui falsò vel varie ff. de teſtibus.

113 Secundo probat idem antecedens, quia horologia nunquam indiuiſibiliter cõcordãt, ergo eſſent teſtes contrarij: ſed teſtes contrarij reducendi sũt ad concordiam Gloſſa, Butrius & Abbas in cap. in noſtra de teſtibus, ergo cum non poſſint aliter concordari, quã per has particulas pauloplus, vel minus cum hac moderatione ſingula horologiorum teſtimonia ſunt accipienda; ergo non comedit poſt mediam noctẽ, qui paulo poſt pulſatam duodecimam comedit.

114 Tertio idem antecedens ſuadet, quia non ſolùm moraliter, imò phyſicè impoſſibile eſt horologium deſignare in ſua ſphera curſum omninò ęqualẽ diurno motu ſolis. Quod probat (ſuo videri euidenter Pater Verricellus) ex aſtronomis, qui docent dies naturales inter ſe non eſſe ęquales: ita Ioannes de Sacroboſco in ſua ſphera à cap. 3. vbi Clauius Piccolomeneus in ſua ſphęra lib. 3. cap. de diuerſitate dierum naturaliũ. Cuius inęqualitatis duplicem rationẽ aſſignat. prima eſt, quia ſol proprio motu contra motum primi mobilis ab occidente mouetur in orientem; altera ratio eſt eccentricum ſolis; vndè quamuis ſemicirculus borealis Zodiaci omninò ęqualis ſit ſemicirculo auſtrali, tamen in ſemircirculo boreali mouetur ſol 187. diebus, ideſt à 21. Martij vſque ad 24. Septembris. In ſemicirculo autem auſtrali mouetur 178. diebus, quam rationem declarat Clauius vbi ſupr. itaque dies naturales ſunt inęquales; quam inęqualitatem ait Clauius in pluribus diebus ſenſibilem eſſe, ſed omnes dies deſignati ab horologio (cum ab

eadem

eadem rota deſignentur) ſunt æquales: ergo impoſſibile eſt curſum horologij puntualiter reſpondere diurno curſui ſolis: ergo horologij teſtimonium falſum eſt, niſi accipiatur cum hoc moderamine pauloplus vel paulo minus, ergo paulo poſt horam duodecimam quis non comedit contra teſtimonium horologij: ſed conformiter ad horologij teſtimonium.

115 Quarto idem antecedens probat, quia non poteſt horologium ex rotis ferreis aptari ad horas deſignandas, niſi ex horologio ſolari obſeruata linea meridionali; ſed nequit artifex ita exactè obſeruare lineã meridionalem, vt ſiue citius, ſiue tardius per moram v. g. Salutationis Angelicæ horologij ſpheram lineæ meridionali cõformet; vt sẽper dicatur horologium rotatum conforme eſſe ſolari: ergo nimis ſcrupuloſè ni dicam phariſiacè Doctores, docent, vt mane communicaturus ſuffocari debeat euomens bucelam, quam poſt primum pulſum ſemi deglutiarat: ergo ea horarum deſignatio accipiẽda eſt paulo plus, vel paulo minus.

116 Deindè in ſecunda concluſione eiuſdem quæſtionis affirmat Pater Verricellus, quod ſi vnum ſit horologium, quod cenſeatur regulatum, & deſignet duodecimam noctis horam, comedens deinde per ſemiquadrantem poterit ſequenti die communicare. Quam cõcluſionem probat numer. 13. & 14. quia quando in Vrbe plurima audiuntur horologia: tũc prima ab vltimis per quadrantem differunt, vt teſtatur Don Ioannes Caramuel, & experiẽtia patet: tunc autem poſſum vltimo conformari; nam ea ſe habent inſtar plurium opinionum probabilium, vt docent Sanchez lib. 2. de matrimonio diſputat. 41. numer. 40. Ioannes Sanchez in ſelectis diſputat. 42. num. 18. Fagundez præcepto 4. lib. 1. cap. 10. Villalobos tom. 1. ſummę tract. 1. diffic. 21. num. 7. Diana part. 3. tract. 4. reſol. 36. & par. 4. tract. 3. reſolut. 19. Paſqualigus de ieiunio deciſ. 444. à num. 3. (quarè non rectè cũ citat Verricellus deciſ. 339.) ergo quando in villa vnicum auditur horologiũ, quod ignoratur, an tardius, vel citius cæteris, quę adſunt in Vrbe, horas indicet, tunc poſſum mediam viam eligere, & ſic per ſemiquadrantem comedere. conſequentiam probat: nam quandò teſtis deponit cum illa particula paulò plus, vel minus: tunc iudicis arbitrio committitur (vt poſt alios docet Menochius de arbitr. caſu 46. num. 3.) qui prudenter aget mediam viam eligens: ergo cum quodlibet horologium deſignet horas cũ hoc moderamine paulo plus, vel minus quadrante, ſi vnicum adſit media via eligenda eſt ſemiquadrantis.

117 Quod confirmat: nam dubitans, an tranſacta ſit media nox, & comedens, poteſt ſequenti die communicare. Ratio eſt quia in dubio ſtat poſſeſſio pro libertate communicandi, vt docent Layman. lib. 1. tract. 1. cap. 3. num. 36. Ioannes Sanchez dicta diſput. 42. nu. 9. Diana part. 3. tract. 4. reſolut. 29. Paſqualigius de ieiunio deciſ. 433. (quare illud falsò citat hic Verricellus deciſ. 341.) contra Sanchez lib. 2. de matr. diſp. 41. num. 40. & Eminẽtiſſimus Cardinalis de Lugo de Euchariſt.

diſp.

diſput.15.num.42. & 44.

118 In hac reſolutione, quę meo videri grauiſſima eſt. Dico primo vbi eſt tantum vnum horologium ſi duodecimã horã noctis ſonare incipiat, (quæ in horologio aſtronomico ſignũ eſt mediæ noctis, & idem dico de alijs horologijs ſeruatis ſeruandis iuxta horam deſignantem mediam noctem iuxta diuerſitatem temporum) debet, qui craſtinò Euchariſtiam ſumpturus eſt, aut miſſam celebraturus, ſtatim in prima pulſatione à cibo, & potu ceſſare, ita Thomas Sanchez lib. 2. de matrim. diſput. 41. nu. 40. Ioannes Sancius in ſelectis diſput. 42. num. 19. Ægidius Trullench. lib. 3. decalogi cap. 2. dub. 4. nu. 8. Caſtropalaus par. 1. tract. 1. de conſcientia diſp. 3. de conſcientia dubia punt. 8. nu. 10. §. reſp. ad 3. argum. in fine Villalobos in ſumma tom. 1. tract. 1. diffic. 21. num. 8. Garzias de beneficijs tom. 1. part. 5. cap. 1. num. 524. Fagundez in præcepta Eccleſię præcepto 4. lib. 1. cap. 10. num. 3. propè finem Diana par. 3. tract. 4. reſol. 36. & par. 4. tract. 3. reſol 29. & par. 6. tract. 6. reſol. 34. & part. 7. tract. 10. reſol. 15. & par. 10. tract. 13. reſol. 54. & tract. 16 reſol. 48. §. ſed ego non diſcedo (ò bone pater cùr in alijs tuis partibus hanc reſolutionẽ non repetiſti) Eminentiſſimus Cardinalis de Lugo de Sacram. diſp. 15. de Euchariſt. ſect. 2. nu. 45. & Pater quarti in Rubricã miſſalis parte 3. tit. 9. ſect. 1. dub. 4. & alij apud ipſos.

119 Probatur hęc concluſio, quia primus pulſus horæ duodecimæ cum ſonat, & deſignat mediam noctem, iam eſt hora completa, & phyſicè, & moraliter, & horologium tantum eſt teſtis indicans, & licet ſint diuerſi curſus, id euenit per accidens, quia nequit vno pulſu hora duodecima, ſeu mediam noctem deſignans indicari, ſicut indicatur hora prima diei ſequentis vno pulſu: ergo primum ſignum horæ duodecimæ, eò ipſo, quod deſignat, & indicat horam iam eſſe completam, deſignat principium primę horę diei ſequentis. Atqui qui in principio primę horę diei ſequentis aliquid edit, aut bibit, frangit ieiunium naturale, & impeditur ad ſacram communionem, aut ad miſſę celebrationem in dicta die, ergo qui manducat, aut bibit poſt primũ horæ duodecimę ſignum mediam noctem deſignans non poteſt die ſequenti communicare, aut miſſam celebrare.

120 Dico 2. probabilis eſt ſententia, quę affirmat non frangere ieiunium naturale illum, qui poſt primum ſonum, ſeu ſignum horę duodecimę mediam noctem deſignans, (aut primum ſignum cuiuſcumque horologij pro diuerſitate horologiorum mediam noctem deſignans (nam non omnia horologia in omnibus orbis partibus mediam noctem deſignant horam duodecimam, vt ſupra diximus) aliquid edit aut bibit; et conſequenter poſſe ſe communicare, aut ſacrum celebrare die ſequenti. Hęc concluſio probatur, tum argumentis factis in fauorem primę ſententię, tum etiam quia tamdiù videtur moraliter loquẽdo hora, durare, quamdiu illius pulſus audiuntur; res enim hęc de complimẽto horę duodecimę vel medię noctis videtur moraliter, et non mathematicè intelligenda, ac definienda. Tum denique

Digitized by Google

deniquè, quia non eſt credendum Eccleſiam piiſſimam Matrem velle cum tanto rigore obligare: ob tam breue tempus priuare fideles ſacra communione, & Sacerdotes miſſæ celebratione, & ſi cum tanto rigore nõ obligat Eccleſia quoad præceptum abſtinendi à carnibus (vt multi DD. affirmant) nec cenſendum eſt cum tanto rigore obligare, quoad ieiunium naturale ad communionem faciendam, aut ſacrum celebrandum inductum cum nõ appareat maior ratio vnius: quàm alterius præcepti, & ſemper Eccleſia ſit pia mater. Et ita expreſſe licet longè prolixiori diſcurſu Paſqualigus de ieiunio deciſ. 443. (quare falsò illam citat Boſſius vbi ſupr. deciſ. 338. in dicta enim deciſ. nihil de hoc puncto tractat: ſed ſolum interrogat, an cantores immunes ſint à *ieiunio*) & ita omninò ſentire videtur Bordonus lib. 3 quæſt. 3. num. 10. verſo at verò cum dicat rem hanc de veritate mediæ noctis definiendam eſſe moraliter.

21 Dico 3. poſt õmnes pulſus horologij deſignantis mediam noctem: neque per minutum quidem poteſt communicaturus, aut ſacrum celebraturus aliquid comedere, aut biberè; ita tenent DD. citati pro prima concluſione, & præcipuè Pater Diana par. 10. tract. 16. reſol. 48 & Pater Ioannes Angelus Boſſius tom. 1. de conſcientia par. 2. tit. 1. §. 46. num. 1732. & Pater Angelus Maria Verricellus de Apoſtolicis miſſionibus tit. 18. quæſt. 310. num. 4. vbi rem maturius conſideratam ab opinione ab ipſo tradita in quæſtionibus moralibus loco ſuperius citato ſe retractat. Pater Thomas Tamburinus in Decalogũ lib. 4. cap. 5. §. 5. num. 7. & 9.

122 Probatur hæc cõcluſio primo, quia contrarium aſſerere eſt contra communem praxim Eccleſiæ, & vſum fidelium, qui ſemper putarunt ieiunium naturale violari, & ſumptionem ſacræ Euchatiſtiæ impediri, ſi poſt deſignatam mediam noctem per horologium datis omnibus pulſibus vltimæ horæ diei antecedentis cibus, vel potus de nouo ſumatur, vel vndè ſunt plura horologia non errantia datis omnibus pulſibus vltimæ horæ diei antecedentis; & ſicut non datur paruitas materiæ quoad cibum, vel potum in ieiunio naturali (vt communiter docent Doctores) ita iuxta conſuetudinem Eccleſiæ, & vſum fidelium non datur paruitas materiæ, quoad tempus, ergo non licet poſt vnicum minutum temporis aliquid edere, aut bibere poſt vltimum pulſum horologij deſignantis mediam noctem, quin frangatur ieiunium naturale, & ſit impedimentum ad Sacram Communionem, & ad Miſſæ celebrationem in ſequenti die. Probo conſequentiam, quia ſi poſt vltimum pulſum omnium horologiorum (vel vnius horologij vbi tantum eſt vnum horologium) quæ aſſumuntur ad indicandam mediam noctem, liceret comedere, & bibere poſt exiguum tempus ſequens, non haberemus certam regulam mediæ noctis, & ſeruandi ieiunium naturale pro communione, aut miſſæ celebratione, cũ diuerſimodè à diuerſis poſſit tempus exiguum intelligi, ergo &c.

123 Secundo probatur concluſio

cluſio, quia quando ad obſeruantiam legis requiritur aliqua determinatio, ſi illa determinatio aliundè nequit haberi, attenditur communis vſus hominum illius Regionis; atqui communis modus cognoſcendæ mediæ noctis eſt per horologia: ergo, ſi vnicum horologium, aut vltimum ex pluribus, quod regulatim communiter extimatur eam deſignat, talem deſignationem tamquam communem regulam lex attendit, nec vltra eam, nec per minutum aliquid comedere licet, quia lex habet tunc, vt certum moraliter initium diei ſequentis. Maiorem oſtendo, & probo ex l. 2. C. de reſcindenda venditione, quæ præcipit reſcindi contractus venditionis factæ vltra dimidiam iuſti prætij: reſcinditur autem quamuis vnico nummo ſit vltra dimidium, vt docet Baldus in dict. l. 2. nu. 16. ergo ſimiliter dicendum eſt in noſtro caſu, cum nequit haberi certa cognitio puncti mediæ noctis, attendit lex communem modum hominum in ea deſignatione; cum autem, vt ſupra diximus modus cognoſcēdæ mediæ noctis, ſit per horologia, conſequens eſt, vltimum pulſum horologi vltimi, ſi ſint plura horologia, vel vltimū pulſum vnius horologij vbi tantum eſt vnum horologium aſſignare mediam noctem, & conſequenter non licebit poſt vltimum horologij pulſum edere, aut bibere abſque fractione ieiunij naturalis, quæ ſufficiens erit ad impediendam ſacram Communionem, aut miſſæ celebrationem diei ſequētis. Nec refert, quòd ſi aliqua fuiſſent horologia: fortè tardius mediam noctem indicaſſent: hoc inquam non refert, nam ſufficit non conſtare, quòd alia horologia tardius tunc indicent mediam noctem, vt lex de non edendo, aut bibendo poſt mediam noctem obliget: ſicut obligat lex de reſcindenda vēditione, & reſcindit contractus venditionis factæ vltra dimidiū iuſti prętij, qui contractus reſcinditur; quamuis vnico nummo ſit vltra dimidium.

124 Ad primum fundamentum primę ſententiæ, quatenus primæ noſtræ concluſioni opponitur reſpondetur, concedēdo maiorem, & diſtinguendo minorem nequit nobis indicare niſi per determinatos, & aſſignatos pulſus; ita vt omnes pulſus requirantur per ſe ad deſignandam mediam noctem: nego minorem: ita vt requirantur per accidens: quia non poſſunt deſignare mediam noctem per vnum tantum pulſum, ſicut deſignatur prima hora ſequentis diei, concedo minorem, & nego conſequentiam: nam primus pulſus horologij deſignantis mediam noctem; ſi horologium ſit rectè ordinatum, nobis deſignat phyſicè, & moraliter mediam noctem eſſe completam, & incipere primam horam diei ſequentis: cæteri autem horologij pulſus requiruntur per accidens: quia per vnum tantùm ſonum non poteſt media nox deſignari; ſicut deſignatur prima hora diei ſequentis ad vitādam confuſionem in regulādis horis: nam non poſſunt omnes horæ per eumdē ſonū rectè regulari: & ita diuerſi ſonus pro horarū diuerſitate fuerūt neceſſarij ex hominum inſtitutione: nō quia omnes ſonus per ſe requirātur ad deſignādā horā eſſe com.

cōpletā: nā ad hoc primū ſignū ſufficit, ſed ſolum per accidens ob vitandam confuſionem in regulandis horis diei ac noctis. Ad confirmationem reſpondetur concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem, ſed nequit eſſe nobis ſignum mediæ noctis per vnicum pulſum, ſed per duodecim per ſe, quatenus primus pulſus horę duodecimę noctis deſignat mediam noctē iam eſſe completam, & incipere primam horam diei ſequentis: nego minorem, nequit eſſe nobis ſignum medię noctis per vnicum pulſum, ſed per duodecim per accidens, quatenus ad ſeruādum rectum ordinem in regulandis horis diei, ac noctis, diuerſi pulſus requiruntur concedo minorem, & nego cōſequentiam propter rationem aſſignatam in ſolutione præcedentis argumenti.

125 Ad ſecundum argumentum reſpondetur, negando ſuppoſitum, quod Pat. Leander ſupponit, cum Eminentiſs. Lugo, nēpè pulſus quadrātes deſignātes mediam noctem, eſſe ſignū completæ horæ mediæ noctis, nec phyſicè, nec moraliter, quia etiam mathematicè loquendo pulſus etiam quadrantis vltimi non indicant horæ complimētum, ſed potius ſunt illius præludium, cuius rei ſignum eſt, quod pulſibus horæ præmittuntur, & non niſi poſt omnes pulſus illius quadrantis vltimi incipiunt pulſus horæ, & ita non violat ieiunium, qui edit, aut bibit, dum pulſant ſonus illi minoris quadrantis vſq; ad primum horæ pulſum: cum ſolùm primus horæ pulſus deſignet nobis horam eſſe completam, vt ſupra diximus, quarè negandum eſt antecedens; quatenus aſſerit, quod primus pulſus horæ duodecimæ noctis in horologio aſtronomico non deſignet per ſe mediam noctem eſſe iam completam, & incipere initium primæ horæ diei ſequētis, licèt per accidens hæc moralis certitudo extrinſicè compleatur per duodecim pulſus horologij aſtronomici. Et idem intelligendum eſt de pulſibus aliorum horologiorum iuxtà conſuetudinem cuiuſcumque Regionis in aſſignandis pulſibus horologij ad ſignificandam mediam noctem. Ad confirmationem reſpondetur, negando antecedens, & ad eius probationem dico; quòd licèt experientia conſtet, quod quandò quis poſt mediam noctem Sabbati carnibus vult veſci, nullo modo id facit quouſque vltimum horæ duodecimę audiat, & enumeret pulſum, ex hoc nō ſequitur, quod hora moralitèr ſumpta ab vltimo horę pulſu, vſquè ad vltimum alterius cōputetur: nam, quod quis, qui vult poſt mediam noctem Sabbati carnibus veſci hoc faciat poſt vltimū pulſum horę duodecimę noctis, hoc prouenire poteſt ex eo quod ignoret, an horologium ſonet vndecimam, aut duodecimam horam noctis. Et ſic ad ſciendum certò, & abſque dubio eſſe mediam noctem expletam ſpectat audire omnes duodecim pulſus horę. Si autem aliquis certò ſciret eſſe duodecimam horam noctis illam, quam ſonat horologiū; quia pręaudiuit prius ſonare vndecimam horam, poterat abſque ſcrupulo audito prius ſono horę duodecimę noctis Sabbati carnibus veſci, quia primus ille pulſus adequatè indicat mediam noctem eſſe com-

completam, & incępiſſe iam primam horam alterius diei, ſcilicet Dominicę, licet per accidens requiratur, quod horologium duodecim pulſus ſonet ad ſignificandam mediam noctem, vt ſupra diximus.

126 Ad tertium argumentum reſpondetur, quod licet non violet ieiunium ille, qui poſt primum pulſum minorem quadrantis edit, aut bibit aliquid vſque ad primum horę maioris hoc non prouenit (vt malè indicat Leander) quià licet primus pulſus minoris quadrãtis: imò, & omnes minoris quadrãtis pulſus indicent mathematicè complementum horę: non autem indicent complemẽtum morale, nam hoc, vt ſupra diximus eſt falſum etiam mathematicè loquendo, cum pulſus quadrantis vltimi non indicẽt horę complementum vſque ad primum pulſum horę: ſed ſint potius illius pręludium, vt iam diximus, quare licèt nõ violet ieiunium, qui poſt primum pulſum minorem quadrantis edit, aut bibit, violat tamen, qui poſt primum pulſum horę maioris deſignantis mediam noctem manducat, aut bibit; cum primus pulſus maioris horę deſignet eſſe iam completam mediam noctem, & incipere primam horam diei ſequentis; nõ ſolùm mathematicè, ſed etiam moraliter per ſe loquendo: quamuis non per accidens, & ab extrinſeco donec omnes pulſus ſonent, vt in ſolutionibus argumentorum diximus.

127 Ad quartum reſpondetur diſparem eſſe rationem, quandò ſunt plura horologia, aut quando eſt tantùm vnum horologium: nam cum diuerſa horologia, quę ſunt in eadem Ciuitate quodliber eorũ faciat opinionem probabilem, vt cõmuniter docent DD. licitè poteſt quis poſtquam aliquod eorum horam duodecimam ſonuerit edere, & bibere; donec aliud horologium ſonet, & die craſtino communicare, aut miſſam celebrare, nam vnicuique licet opinionem probabilem ſequi abſq; ſcrupulo, & tuta conſcientia, ergo quando diuerſa ſunt horologia, quorum aliud antè, aliud poſt mediam noctem deſignat, poteſt quis probabiliter iudicare non eſſe mediam noctem, cum ſonat primum horologium, & expectare ſecundum, & conſequenter poterit manducare, aut bibere vſque dum ſecundum horologium medię noctis ſignum faciat (dum non conſtet experientia tale horologium ſecundum non eſſe iuſtum,) & die ſequenti communicare, aut miſſam celebrare, quę ratio nõ tenet in Oppido, aut Terra, vbi eſt tantum vnum horologium, quia cum legis obſeruantia aliquam determinationem requirat, ſi illa determinatio aliundè nequit haberi, attendi debet communis vſus hominũ illius Regionis, & cum in caſu, quo tantum ſit vnum horologium, nequit haberi certa cognitio puncti medię noctis, attendit lex communem modum hominum in ea deſignatione, communis autem modus cognoſcendi mediam noctem eſt per horologia: ergo ſi vnicum horologium tantum ſit, quod regulatum communiter ęxtimatur, & mediam noctem deſignat, lex attendit talem deſignationem tanquam communem regulam, atqui primus pulſus prędicti horologij deſignat me-

mediam noctem eſſe completam: tam mathematicè, quam moraliter modo ſuperiùs explicato, ergo vbi eſt tantum vnum horologium, non licebit illi, qui ſequenti die eſt communicaturus, aut miſſam celebraturus aliquid edere, aut bibere poſt primum horologij pulſum, quamuis illi liceat expectare primum pulſum vltimi horologij, vbi plura ſunt horologia, cum quodlibet eorum in ordine ad aſſignandam mediã noctem faciat opinionem probabilem, vt cum communi cõſenſu Doctorum ſupra diximus.

128 Ad argumenta Patris Don Ioannis Mariæ Verricelli, quatenus opponuntur noſtræ tertiæ concluſioni; reſpondeo. Ad primum, in fauorem ſuę primę concluſionis dico gratis excogitatum eſſe antecedens: nam data ſuppoſitione (quæ meo videri ridicula eſt) ſcilicet, quod ſi horologium haberet intelligentiam, & ſenſum horas percunctanti reſponderet, iam eſt duodecima paulo plus, vel minus, antecedens eſt falſum: nam tali ſuppoſitione data abſquè falſitate reſpondere ei liceret, quod iuxta communem hominum ęxtimationẽ pũctum mediæ noctis tunc eſt quandò ſonat pulſus deſignatos ad ſignificandam mediam noctẽ, & pũctualiter eſt media nox, & principium primæ horæ diei ſequẽtis, & ita corruunt omnes probationes antecedentis: nam nõ eſſet teſtis falſus, & varius, ſed certus, & fidelis, cum affirmet tunc eſſe mediam noctem determinatè, & rationem reddat, quia determinatio illa cũ aliundè nequeat haberi, attendi debet communis vſus hominum in deſignanda media nocte; & cum communis vſus ſit hominum, cognoſcendi mediam noctem, quandò horologium tales determinatos pulſus ſonat, v. g. in horologio aſtronomico duodecim pulſus, ſeu horas noctis, & ſic de alijs horologijs ſecundum morem proprię Regionis; ſequitur manifeſtè comedentem per aliquam temporis moram quantumuis minimam poſt omnes pulſus horę duodecimę v. g. ieiunium naturale frangere, nec poſſe ſequẽti die communicare, aut ſacrum celebrare.

129 Secunda etiam probatio antecedentis non conuincit, quia licèt verum ſit, quod vbi plura ſunt horologia ferè ſemper inter ſe non concordent indiuiſibiliter in medię noctis aſſignatione, nam vnum antea, aliud vero paulo poſt pulſus mediam noctem deſignantes ſonent, & ita veluti teſtes contrarij reduci debent ad concordiam: hoc eſt iudicando quodcumque horologium facere opinionem probabilem puncti medię noctis, non autem euidentiam puncti mediæ noctis, ob quam cauſam poteſt quis ſequi liberè primum, aut vltimum horologium pro ieiunio naturali ſeruando; & ratio non valet vbi eſt tantum vnum horologium, quia quando ad obſeruantiam legis requiritur aliqua determinatio, ſi illa determinatio aliundè nequit haberi, attenditur communis vſus hominum illius Regionis, cum ergo in caſu, quò tantum ſit vnum horologium in aliquo Oppido, aut Villa (ſi illud ſit iuſtè ordinatum) nequeat haberi certa cognitio puncti mediæ noctis, attendit lex communem

nem modum hominum in ea deſignatione, & cum modus communis cognoſcendi mediã noctem ſit per horologia; ideò ſi vnum tantum ſit horologiũ rectè regulatum, communiter exiſtimatur, deſignari mediam noctem per certos determinatos pulſus v.g. duodecim in horologio aſtronomico, & talem deſignationem tanquam communem regulam lex attendit: ita nec per minutum, aliquid comedere liceat abſq; fractione ieiunij naturalis, quia lex habet tunc, vt certum moraliter initium diei ſequentis, vt diximus in ſecunda probatione tertiæ concluſionis. Ad alias autem probationes eiuſdẽ antecedentis manifeſtè patet ex dictis, & ideò non oportet ad illas in particulari reſpondere.

130 Ad fundamentum ſecundæ concluſionis Patris Verricelli patet: tum ex dictis in ſecunda probatione noſtræ tertiæ concluſionis, tum etiam ex reſponſione ad ſecundam probationẽ antecedentis præcedentis argumenti in fauorem ſuæ primę concluſionis, quare conceſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia. Ad cuius probationẽ patet ex dictis: nec aliquid cõuincit quod ſi alia fuiſſent horologia fortè tardius mediam noctem indicaſſent: nam vt ſupra diximus in ſecunda probatione tertię cõcluſionis: ſufficit non conſtare, quod alia horologia tardius tunc indicent mediam noctem.

131 Ad confirmationem reſpõdetur, negando antecedens, nã vt ſupra diximus reſolutione prçcedenti aliud eſt, quod quis comedat dubitans an ſit media nox, aliud verò, quòd quis poſtquam comedit nocte præcedenti poſtea in ſequenti die incipiat dubitare: an eſſet media nox: quando nocte prçcedenti comedit. In primo enim caſu cum non conſtet de iure ad comedendum donec cõſtet de noua die: quia aduentus nouę diei debet vltimo complere cauſam communicandi, ideò, qui communicaturus vult vti iure ad communicãdum, debet probare ius hoc eſt non comediſſe poſt mediam noctem: cum autẽ comediſſet, vt ſupponitur in dubio: an eſſet, vel non eſſet media nox: dum non probet non eſſe tranſactam mediam noctem, non poteſt communicare, aut miſſam celebrare. In ſecundo autem caſu: quando quis iã eſt in die ſequenti, imò (ſi velis) orto iam ſole, & certus eſt ſe comediſſe nocte prçcedẽti non poteſt tamen ſcire, ſed dubius eſt puro dubio, an eſſet media nox, vel non dum eſſet, poteſt certè ſe communicare, aut miſſam celebrare, quia poſſeſſio ſtat pro iure communicandi, aut celebrandi, quod ius habet ad communicandum aut celebrandum in illa die, & non tenetur illud probare poſitiuè: ſed ſufficit, vt probetur negatiuè, vt ſupra diximus dicta reſolutione præcedenti, & in hoc ſenſu loquuntur Doctores quos citat Verricellus, & non in ſenſu ab ipſo aſſignato.

RE-

RESOLVTIO OCTAVA.

Vtrùm ſi quis traijciat aliquas guttas aquæ præter intentionem, dum os abluitur, maneat impeditus ad communicandū, aut celebrandum ſacrum in illa die?

132 PRima ſententia ſubſtinet impeditū manere à Cōmunione, & ſacra miſſæ celebratione, qui traijcit aliquas guttas aquę præter intentionē, dum os abluitur: ita Ioannes Sanchius in ſelectis diſput. 42. num. 21. citans pro hac opinione Suarium diſput. 88. ſect. 4. & AEgidium quæſt. 80. num. 48. immeritò tamen, cum Suarez, & AEgidius ſolùm à communione impedire dicant traijectionem aquæ, vel vini in quantitate magna: etiam caſu, quo contra voluntatem traijcientis fieret. Fundamentum huius ſententiæ eſt: quia in ieiunio naturali non datur paruitas materię, ſed quęlibet parua materia illud frangit; atqui non ieiunus naturali ieiunio eſt impeditus ad communicandum, aut ſacrum celebrandum: ergo ille, qui aliquas guttas aquę etiam pręter intentionem traijcit dum os abluitur, manet impeditus ad communicandum, aut ſacrum celebrandum. Probatur conſequentia, quia etiam ſi inuoluntariè, & pręter intētionem quis traijciat aliquas aquę guttas, cenſetur non ieiunus ieiunio naturali: aliàs ſi inuito, & alienato à ſenſibus cibus, & potus in copia immittatur in os: donec per fiſtulam ſi valet ad ſtomachum deſcendat, cenſeretur ieiunus ieiunio naturali, quod eſt falſum, ergo tranſmiſſio cibi, aut potus etiā pręter intentionem parum refert ad hoc, vt aliquis cenſeatur ieiunus ieiunio naturali.

133 Secunda, & probabilior ſententia affirmat non manere impeditum ad communicandum, aut celebrandum ſacrum illum, qui pręter intentionem traijcit aliquas aquę guttas, dū os abluitur, ita Vega 1. parte ſummę caſu 23. Pater Iacobus Granadus in 3. part. tract. 10. diſp. 8. nu. 4. Rodriquez prima parte ſummę cap. 66. concluſ. 3. Azorius tom. 1. lib. 10. cap. 30. quęſt. 2. verſ. quęres etiam Filliucius tract. 4. num. 236. & 237. Pater Thomas Hurtado tom. 2. reſolutionum moralium tract. 11. cap. 8. num. 256. Diana part. 3. tract. 4. reſolut. 47. & part. 6. tract. 8. reſol. 8. Pater Ioannes de di Caſtillo tom. 1. de Sacrament. tract. 4. de Euchariſtia diſput. 9. dubitat. 17. quęſito 3. num. 279. Pater Leander à Sāctiſſimo Sacramento parte 2. tract. 7. de Euchariſt. diſput. 5. quęſt. 12. Bonacina diſputat. 4. quęſt. 6. punct. 2. num. 6. Fagundez pręcepto 3. lib. 3. cap. 5. nu. 14. Eminentiſſimus Cardinalis de Lugo diſp. 15. de Euchariſt. ſect. 2. num. 23. & 34. Coninch. quęſt. 80. num. 47. Pater Franciſcus de Lugo de Sacrament. lib. 4. de Euchariſt. cap. 7. quęſt. 4. num. 29. & 30. & alij apud ipſos. Don Carolus Malletus in auro theologię moralis tom. 1. de Sacrament. malleatione 4. bractea 75. Paſqualigius in praxi de ieiunio deciſ. 428.

134 Probatur 1. hęc ſententia ex Diuo Thoma 3. part. quęſt. 80. art. 8. ad 4. & 4. ſententiarū diſt. 8. quęſt. 1. art. 3. quęſtiuncula 2. ad 3. in quibus locis expreſsè Angelicus Doctor hanc ſen-

ſententiam docet: precipuè loco citato tert. partis per hęc verba. Ad quartum dicendum quòd (ſicut in 2. part. dictum eſt) duplex eſt ieiunium, primum eſt ieiunium naturę: quod importat priuationem cuiuſcumq; pręaſſumpti per modū cibi: vel potus, & tale ieiunium requiritur ad hoc Sacramentū propter prędicta in corpore articuli. Et ideò neque poſt aſſumptionem aquę, vel alterius cibi, aut potus: vel etiam medicinę in quantumcumque parua quantitate, licet hoc Sacramētum accipere, nec refert vtrùm aliquid huiuſmodi nutriat, vel non nutriat, aut per ſe; aut cum alijs dummodo ſumatur per modum cibi, vel potus; reliquię tamen cibi remanentes in ore ſi cauſaliter trāſglutiantur, nō impediunt ſumptionem huius Sacramenti, quia non traijciuntur per modum cibi, ſed per modum ſaliuę: & eadem ratio eſt de reliquijs aquę, vel vini, quibus os abluitur, dummodo non traijciantur in magna quantitate ſed permiſtę ſaliuę, quod vitari non poteſt. Vbi notanda ſunt illa verba Angelici Doctoris ſi cauſaliter, quia ſi aduertēter, & volūtariè quis deglutiat ieiunium ſoluet naturale: ergo ex mente Diui Thomę ille, qui inuoluntariè, & pręter intentionem aliquas aquę guttas traijcit dum os abluitur non manet impeditus ad celebrandum illa die, aut ad ſe communicandum.

135 Secundò probatur noſtra ſententia ex authoritate Rubricę miſſalis capit. 9. vbi poſtquam dicitur, ſi quis non eſt ieiunus poſt mediam noctem etiam poſt ſumptionem ſolius aquę, vel alterius potus, aut cibi in quantumcumque parua quantitate, non poteſt communicare, nec celebrare: in quibus verbis excludit paruitatem materię in ieiunio naturali: poſtea ſubdit, quod ſi lauando os deglutiatur ſtilla aquę pręter intentionem, non impedit cōmunionem, quia ſumpta fuit per modum ſaliuę; ergo ex Rubrica Miſſalis apertè conſtat veritas noſtrę ſententię.

136 Ad fundamentum oppoſitę ſententię, vt reſpondeamus (relictis varijs modis dicendi aliorum Doctorum breuitatis gratia) ſupponendum eſt cum Patre Ioāne de di Caſtillo loco ſuperius citato numero 278. Eccleſiam tunc quidem tantū prohibere communionem, aut miſſę celebrationem, quando pręceſſit id, quod cenſetur comeſtio, aut potatio in morali ęxtimatione; quę tunc talis cenſetur, quando & quantitas, & qualitas materię, quę traijcitur, & modus traijciendi; illa ſufficiat in morali ęxtimatione vt quis cenſeatur comediſſe, aut potaſſe. Itaque aliquando fieri poteſt, vt qualitas materię ſufficeret adhoc, vt eſſet comeſtio ſed quia deſinunt quantitas, & modus, deſinit eſſe comeſtio, aut potatio in Eccleſię ęxtimatione. Aliquando vero fieri poteſt, vt quantitas per ſe ſufficeret, & modus, deſit tamen qualitas: & ideò non ſit comeſtio ex defectu qualitatis; aliquādo vero quantitas, quę ſub vno modo non eſt ſatis, ſub alio modo ſufficit, vt cenſeatur comeſtio, & potatio: aliquandò deniquè quamuis modus non ſit omoinò communis comedendi, aut potandi, talis poteſt eſſe quantitas, & qualitas cibi, aut

aut potus, vt cenſeatur in morali ęxtimatione comeſtio; aut potatio. Quo ſuppoſito.

137 Ad fundamentum contrariç ſententiæ reſpondeo, concedendo maiorem, & minorē, & negando conſequentiam, ad cuius probationem patet ex dictis in ſuppoſitione facta nu. præcedenti, nam ille, qui abluens os, traijcit aliquas aquę guttas pręter intentionem, nō frangit ieiunium naturale, quia traiectio illa fit per modū ſaliuæ: & ita iuxtà regulam datam non impedit communionem, aut miſſæ celebrationem, quia fit ſine intentione bibendi, ſed reſpirando, aut deglutiendo ſaliuam, quę non eſt potatio: nā licet qualitas materiæ poſſet eſſe ſufficiens ad id, quantitas nihilominus tam exigua eſt, vt poſſit, & ſoleat de facto traijci per modum ſaliuæ: aut reſpirationis; & in noſtro caſu ſic fit; vndè quis tunc non cenſetur potare, ſeu bibere. Quando autem fit cùm intentione potandi, ſeu bibendi, licet materia illa talis ſit, quæ alioquin poſſet per modum ſaliuæ, aut reſpirationis traijci: nihilominus hic, & nunc traijcitur per modum potationis exercendo ex intentione, aut appetitu actionem vitalem bibendi, ſeu potandi, que ſolet fieri, quandò quis comedit, aut bibit. Ex qua doctrina non ſequitur id, quod inferebat argumentum oppoſitæ ſententiæ in probatione conſequentiæ, ſcilicet, quod quis cēſeretur ieiunus ieiunio naturali, qui inuito, & alienato à ſenſibus manducat, aut bibit in magna quantitate, nam vt in dicto notabili diximus, aliquādo quamuis modus comedendi, aut potandi non ſit omninò cōmunis, talis poteſt eſſe quantitas, & qualitas cibi, aut potus, vt cenſeatur in morali ęxtimatione comeſtio, aut potatio, quod contingit in illo, qui inuito, aut alienato manducat, aut bibit in magna quantitate.

RESOLVTIO NONA.

Vtrùm qui deglutijt aliquid non comeſtibile: ſcilicet oſſiculum fruſtullum metalli, papyrum, vel aliquid ſimile, poſſit communicare, aut ſacrum celebrare.

138 NEgatiuam partem ſuſtinent Henriquez lib. 8. cap. 48. num. 2. littera O. Mugnus 3. par. queſtion. 8. articul. 8. Præpoſitus ibidem dubio 1. Bonacina diſputatione 4. queſtione 6. punto 2. numer. 10. Villalobos tom. 1. ſummæ tractatu 7. diffic. 39. numer. 1. Reginaldus lib. 29. num. 118. Laymanus lib. 5. tractatu 4. cap. 6. numero 18. Naldus verbo Euchariſtia numer. 10. Scorzia de Sacrificio miſſæ lib. 2. cap. 7. Sylueſter verbo Euchariſtia 3. quæſt. 6. num. 8. dicens, non eſt verum quòd dicunt cibum prohiberi vt nutrit, ſed prohibetur ob reuerentiam, vt ſtomachus ſit nouus, vt egregiè probat Herueus ſecundum quem, omne, quod ſumitur ab extra, & vitari poteſt, impedit. Gabriel Vaſquez in 3. parte diſputatione 211. capite 8. numero 18. Suarez tomo 3. in 3. parte diſputatione 66. ſectione 4. Granadus in 3. parte controuerſia 6. de Euchariſt. tract. 10.

Digitized by Google

diſputatione 8. num. 7. in fine. Fagundez præcepto 3. lib. 3. cap. 5. numer. 5. Ochagauia de Sacramento tractatu 2. de Euchariſtiæ effectibus, & vſu quæſtione 12. numer. 14. vbi ſic inquit, quæres 2. an papyrus aliqua traiječta in ſtomachum, impediat receptionem Euchariſtiæ. Quidā doctiſſimus Neotericus aſſeruit talem ſumptionem non impedire: quia tunc nihil ſumitur per modum cibi, & potus, aut per modum medicinæ. Verius tamen videtur nihil ab extrinſeco, etiam ſi parua materia ſit, & nō nutriat, deſumi poſſe: quin frangatur hoc ieiunium naturale, quia conueniens eſt nihil in ſtomachum prius traijci: quam traijciatur corpus Chriſti, ita ille. Quæ ſententia deduci videtur ex capite nihil contra ordinis ſtatutum decimoſeſto cauſa 7. quæſtione prima iuncta Gloſſa, quæ aduertit caput hoc, ibi in duas partes quoad caſum in prima parte dicitur (inquit Gloſſa) quod ſollemnia Miſſarum, ex quo ſunt incepta, inexpleta manere non debent; in ſecunda parte dicitur, quod nullus cantet miſſam niſi ieiunus. Et poſtea verbo minimum inquit ipſa Gloſſa. (minimum) pranſo non licet celebrare. Et nouiſſimè hanc ſententiam defendit tanquam indubitatam Diui Thomæ, Pater Thomas Hurtado parte ſecunda reſolutionū moralium tract. 11. capit. 8. à n. 247.

139 Probatur hęc ſententia primo ex Diuo Thoma tertia parte quæſtione 80. articul. octauo ſolutione ad quartum argumētum, vbi Angelicus Doctor inquit: nequè poſt aſſumptionem aquæ vel alterius cibi, aut potus, vel etiam medicinæ in quantumcumque parua quantitatę, licet hoc Sacramentum accipere; nequè refert vtrùm aliquid huiuſmodi nutriat, aut per ſe, aut cum alijs: dummodo ſumatur per modum cibi, vel potus: ergo ex mente Diui Thomæ ad violationem ieiunij naturalis nihil refert vtrū id, quod ſumitur nutriat, vel non nutriat: dummodo ſumatur per modum cibi, vel potus, vbi Angelicus Doctor ſignificat per modum cibi, vel potus ſumi, quidquid non ſumitur per modum ſaliuæ, vel reſpirationis, quamuis non ſit comeſtibile.

140 Nec valet ſi reſpondeas cum Ioanne Sanchez in ſelectis diſputatione 42. numero 23. quod Diuus Thomas loquitur in illis verbis: ſiue nutriat, ſiue non nutriat, aut per ſe, aut cum alijs de illo, quod comeditur in tam parua quantitate, quòd per ſe nequeat nutrire. Hanc reſponſionem non ſolum non valere, ſed ridiculam eſſe affirmat dictus Pater Thomas Hurtado vbi ſupra numero 248. ſi quidem (inquit) liquidò docet Sanctus Doctor ad ſoluendum naturale ieiunium ad communionem requiſitum, accidentale eſſe nutritiuum, aut non nutritiuum eſſe, quod ſumitur: vt conſtat ex illis verbis Angelici Doctoris, ſcilicet: neq; refert, vtrùm aliquid huiuſmodi nutriat, vel non nutriat, aut per ſe, aut cum alijs; dummodo ſumatur per modum cibi, vel potus. Quæ verba Sāctus Doctor poſuit propter aquam, quæ ſecundum aliquos ieiunīū na-

naturale non ſoluebat, quia nutritiua non erat, vt conſtat ex 4. ſententiarum diſt. 8. quæſt. 1. art. 4. quæſtiuncula 2. ad ſecundum argumētum. Vbi poſt quam Angelicus pręceptor ſibi obijeciſſet ad probādum, quòd non quælibet cibi ſumptio perceptionem huius Sacramenti impediat: ſub hac forma; pręterea ad perceptionem huius Sacramenti exigitur, quòd homo ſit ieiunus, ſed quædam sūt quæ non frangunt ieiunium, ſicut aquæ, & medicinæ quædam: ergo videtur, quod poſt earum ſumptionem homo poſſit hoc Sacramentum percipere. Ad quod argumentum ita reſpondet Diuus Thomas. Ad ſecundum dicendo, quod duplex eſt ieiunium, ſcilicet naturæ, & Eccleſiæ. Ieiunium naturæ eſt, quo quis ieiunus dicitur ante cibum ſumptum illa die, etiamſi pluries poſteà comeſturus ſit: & quia hoc ieiunium dicitur ex priuatione cibi præaſſumpti, ideò quælibet ſibi sūptio hoc ieiunium tollit. Ieiunium Eccleſiæ eſt, quo dicitur ieiunans ſecundum modum ab Eccleſia inſtitutum ad carnis afflictionem, & hoc ieiunium manet etiam poſt vnicam comeſtionem, nec ſoluitur niſi per ſecundam ſumptionem illorum, quæ in cibum, & refectionem de ſe conſueuerūt aſſumi; & ideò ea, quę propter alios cibos accipi conſueuerunt, vel dirigendos ſicut electuaria, vel deducendos per membra, ſicut potus vini, aut aquæ huiuſmodi ieiunium non ſoluunt; quāuis etiam aliquo modo nutriāt. Ad debitam ergo ſumptionem Dominici Corporis non exigitur ieiunium Eccleſiæ; quia etiam præter dies ieiunij hoc Sacramentum celebratur, ſed requiritur ieiuniū naturæ propter reuerentiam Sacramenti, & ideò ſecundum communem ſententiam electuaria, & vinum præaſſumpta impediunt à perceptione *Euchariſtiæ*. *Sed* de aqua diuerſa eſt opinio. Quidam enim dicunt, quod quia nullo modo nutrit non ſoluit; neque ieiunium naturę, nequè ieiunium Eccleſię: ſed quamuis aqua in ſe non nutriat: tamen commiſta nutrit, in ſtomacho autem oportet, quod alijs humoribus admiſceatur, & ideò in nutrimentum cedere poteſt, & propter hoc alij probabilius, & ſecurius dicunt, quòd etiam poſt aquę potum corpus Chriſti non ſumendum eſt.

141 Secundò probatur ratione hæc ſententia, quia ieiunium iſtud naturale requiſitum ad ſacræ Euchariſtiæ ſumptionem inſtitutum eſt non ob temperantiæ virtutem, ſed ob Sacramenti reuerentiam, vt ſacra Hoſtia ante alia omnia in ſtomachum deueniat, vt docet Diuus Thomas dicta quæſt. 80. 3. partis art. 8. in corpore, ergo quodcumque quod voluntariè traijciatur in ſtomachum per modum potus, aut cibi, etiam ſi per ſe, aut cum alijs comeſtibile non ſit, franget ieiunium naturale ad ſacram communionē requiſitum; & cōſequenter impeditiuum erit ſacræ communionis, aut miſſæ celebrationis: conſequentia eſt formaſis, & antecedens eſt Diui Thomę dicto art. 8. in corpore ibi: alio modo propter prohibitionem Eccleſię; & ſic impeditur aliquis à ſumptione huius Sacramenti poſt cibum, & potum aſſumptum triplici ratione.

Digitized by Google

Primo quidem ſicut Auguſtinus dicit in honorem huius Sacramenti, vt ſcilicet in os hominis intret non dùm aliquo cibo, vel potu infectum &c. ergo ieiunium iſtud naturale requiſitum ad ſumptionem ſacræ Euchariſtiæ, aut miſſæ celebrationem, inſtitutum eſt non ob temperãtiæ virtutem, ſed ob reuerentiam Sacramenti.

142 Tertio probatur hęc ſentẽtia, quia venenum non ordinatur ad nutritionem, ſed ad deſtructionem hominis, atqui sũptio veneni impedit communionem, & Miſſę celebrationẽ, ergo ſimiliter, quod non eſt comeſtibile, ſeu nutritiuum ſi ſumatur, impediret. Probatur 4. quia feminę comedentes terrã, aut carbonem, aut alia ſimilia, vel ob delectationem guſtus per modum cibi, vel ad minuẽdum colorem per modum medicinę non poſſunt communicare, quia violarunt ieiunium naturale, ergo nec comedẽtes officulum, cartham, aut papyrum, & ſimilia poſſunt communicare, aut miſſam celebrare propter eamdem rationem.

143 Secunda, & probabilior sẽtentia affirmat poſſe pręđictos, qui aliquod officulum, papyrũ, fruſtulum ligni, vel quid ſimile traijecerunt in ſtomachum, Sacram Euchariſtiam ſuſcipere & ſi ſint Sacerdotes miſſam celebrare: ita tenent Vega, Ledeſma, Ludouicus de San Iuan prima part. ſummæ tractat. de Euchariſtia quæſt. 7. artic. 10. Ioannes de la Cruz in directorio conſcientię de Euchariſtia dub.4.concl.2. quos citat, & ſequitur Ioannes Sanchez in ſelectis diſp.42. num.23. Diana par.2.tract.14. de celebrat. miſſarũ reſol. 52. Summa Coronę par.4.cap.4.num. 65. & part. 3. tract.4. de Sacramentis reſolut. 38.& par.5.tract.13. reſol. 1.§. verummodo diſcutiendum eſt propè medium Eminentiſſimus Cardinalis de Lugo de Sacram. diſp.15. de Sacramento Euchariſtię ſect.2.num.29. & 30. Gaſpar Hurtadus de Sacramentis diſp.19. de Euchariſt. diffic. 15. Pater Leander à Sanctiſſimo Sacramento par.2. tract. 7. de Euchariſtia diſput.5. quęſt. 13. Pater Ioannes de di Caſtillo de Sacramentis tom.1.tract.4. de Sacramento Euchariſtię diſp. 9.dubit.17.quęſito 3.num.282. Don Carolus Malletus in auro Theologię moralis tom. 1. de Sacramẽtis malleatione 4. bractea 75. Pater Franciſcus de Lugo de Sacramentis lib.4. de Euchariſtia cap.7.quęſt.4. à nu. 24. vſque ad 26. Quę ſententia colligitur ex Concilio Bracharenſi ſecundo, canone 10. prohibente, ne Sacerdos non ieiunus, ſed quocumque iam cibo pręſumpto miſſam celebret. Et ex Concilio Toletano 7. Canone 2. relato in cap. nihil cauſæ 7. quęſt.1. nullus, inquit, poſt cibum potumque quemlibet minimum ſumptum miſſas facere pręſumat. Nec obſtat decretum quoddam ſub nomine Sotherij Papę, quod habetur in 1.tom. conſiliorum, in quo dicitur nullus poſt cibum potumque, ſiue quodlibet minimum ſumptum miſſas facere pręſumat; vbi non ſolum cibus, & potus, ſed quodlibet aliud videtur includi. Hoc inquam non obſtat: nã, vt bene notat Eminentiſſimus Lugo, vbi ſupra num.30. illud Decretum ibi affertur ex ſola authoritate Gratiani, qui illud inſeruit in ſuo decreto 7.quęſt.1.cap. illud. & cap.

Digitized by Google

cap. ſequenti; in quo tamen loco non dicitur eſſe *Sotheris*; ſed Concilij Toletani 7. cap. 2. & meritò, quia ad verba in illo cõcilio cõtinetur præter illud, ſolùm, verbum ſiuè quodlibet, quod in Concilio non habetur: ſed ſolùm cibum, potumuè quemlibet minimũ; potuit autem aliquis facilè per errorem tranſcribere pro quemlibet, quodlibet, quod tamen in Cõcilio non habetur.

144 Fundamentum vnicum, & præcipuum noſtræ ſentẽtiæ eſt, quia illa, quæ non habent rationem aliquam cibi, aut potus, in quauis copia fortè intrauenerint, nõ frangunt ieiunium naturale, ergo non impediunt ſacram Communionem, aut miſſæ celebrationem; atqui officulum fruſtulum ligni, vel aliquid ſimile non habent rationem aliquam cibi, aut potus, ergo non frangunt ieiunium naturale, nec ſacram Communionem, aut Miſſæ celebrationem impediunt. Minor ſubſumpta eſt per ſe nota, & antecedens probatur, quia ieiunium naturale nõ violatur ſola quantitate: ſed requiritur qualitas, ſeu ſubſtantia (verbum qualitas in hac materia intelligo ſubſtantiam comeſtibilem) vt cenſeatur quis comediſſe, atqui illa, quæ non habent rationem cibi, aut potus ſaltem indirectè, non poſſunt dici aliqua ratione comeſtibilia: ergo non frangunt ieiunium naturale, nec impediunt ſacram Communionem, aut Miſſæ celebrationem. Ex quo principio deducitur cenſeri ieiunum, qui fragmenta metallorum, lapillos, & ſimilia traijeciſſet, quia non cenſentur cibi, ſiuè detrahatur ex illis ad calorẽ ſtomachi aliquid, ſiuè non, dummodo non ſint res, quæ poſſit conuerti in ſubſtantiam aliti.

145 Ad primum fundamentum oppoſitæ ſententiæ deſumptum ex authoritate *Diui Thomæ* reſpondetur, Angelicum Præceptorem loqui de his, quæ per accidens non nutriunt ob paruitatem materiæ: non verò de his, quæ natura ſua non ſunt nutritiua, quare ſolutio ibi poſita ex Ioanne Sancio optima eſt, cum ſolùm aſſerat Diuum Thomã nihil referre ad ſoluẽdum ieiunium naturæ: quando illud, quod aſſumitur, eſſet in tam modica quantitate vt non nutriat; quod etiam concedit Ioannes Sanchez, & nos cum illo aſſerimus. Et vt optime notat dictus Ioannes Sanchez, Diuus Thomas non dicit nihil referre ad frangendum naturale ieiunium illud, quod aſſumitur, eſſe nutritiuum, vel non, ſed ſolum dicit non referre, quod illud, quod ſumitur in quacumque parua quantitate nutriat, vel non nutriat, vt ex ipſis verbis Diui Thomæ conſtat. (Inquit enim Angelicus Doctor, neque refert vtrùm aliquid huiuſmodi nutriat, vel non nutriat, aut per ſe, aut cũ alijs, dummodo ſumatur per modum cibi, vel potus. Cum autem illud, quod ſumitur non eſt, quid nutritiuum, cum nullam rationem cibi, aut potus indicat, non poteſt frangere ieiunium naturale, vt in probatione noſtræ ſententiæ diximus; Ideoque de illo, quod nullo modo eſt comeſtibile, nec poteſt conuerti in ſubſtantiam aliti, non loquitur Diuus Thomas in illis verbis à contraria ſentẽtia relatis. Quare Diu. Thomas potius fauet, quam nocet noſtram

ſtram ſententiam, atque adeò non poſſum non mirari, quod Pater Thomas Hurtado vir verſatiſſimus in doctrina Diui Thomę hanc reſponſionem Ioannis Sanchez, & intelligentiam Diui Thomę ridiculam appellet; cum potiùs meritò intelligentiam contrariam, & explicationem verborum Diui Thomę ridiculã eſſe debeamus aſſerere: ſi attentè verba Diui Thomę inſpiciamus. Nec contrarium conuincit id, quod cõtra hanc, tam legitimam dictorum verborum Diui Thomę intelligentiam arguit dictus de Hurtado: nam falsò ſupponit in ſua impugnatione Angelicũ Doctorem docere ad ſoluendũ naturale ieiunium ad communionem requiſitum accidentale eſſe, nutritiuum, aut non nutritiuum eſſe, quod ſumitur, cũ hoc nec directè, nec indirectè poſſit colligi ex verbis D. Thomę, imò potius magno cum fundamento poſſumus colligere contrarium. Repetamus verba Diui Thomę, vt ex illis dictũ probemus, verba Diui Thomę hęc ſunt, nequè poſt aſſumptionem aquę, vel alterius cibi, aut potus, vel etiam medicinę in quacumque parua quantitate licet hoc Sacramentum accipere, nequè refert, vtrum aliquid huiuſmodi nutriat, vel non nutriat, aut per ſe, aut cum alijs, dummodo ſumatur per modũ cibi vel potus, hęc ſunt verba Diui Thomę. Ex quibus manifeſtè conſtat Angelicum Pręceptorẽ aſſerere, quòd adhoc, vt frangatur ieiunium naturale neceſſe eſt, quod, id, quod aſſumitur habeat rationem cibi, aut potus in quacumque parua quantitate ſumatur; poſt cuius cibi, aut potus aſſumptionem non licet Euchariſtię Sacramẽtum accipere, quod tam clarè conſtat ex verbis Diui Thomę, vt explicatione non indigeat, vt ex ipſis verbis conſtat, nam inquit, nequè poſt aſſumptionem aquę, vel alterius cibi, aut potus, vel etiam medicinę in quacumque parua quantitate, licet hoc Sacramentum accipere, ergo ſupponit Diuus Thomas, quod id, quod aſſumitur, vt impediat ſacram communionem, debet habere aliquam rationem, cibi aut potus, ergo non loquitur Diuus Thomas de illis rebus, quę non participant aliquam rationem cibi, aut potus, ergo non loquitur in noſtro caſu, cum id, quod aſſumere ſupponimus, nullam rationem cibi, aut potus indicat, nequè per ſe, nequè cum alijs, vt de ſe notum eſt, & cõſtat ex probatione noſtrę ſententię. Deueniamus ad verba ſequentia Angelici Doctoris, in quibus totam ſuam intentionem fundat Pat. Thomas Hurtado, quę hęc ſunt, nec refert, vtrum aliquid huiuſmodi nutriat, vel non nutriat, aut per ſe, aut cum alijs, dummodo ſumatur per modum cibi, vel potus. Et in primis rogo Patrem Hurtadum, vt nobis dicat vbi inuenit liquidò docere Sanctũ Doctorem ad ſoluendum naturale ieiunium ad communionẽ requiſitum, accidẽtale eſſe nutritiuum, aut non nutritiuum eſſe, quod ſumitur, cum Angelicus pręceptor expreſsè dicat in illis verbis, quę ſunt Achilles ſuę impugnationis, nec refert, vtrùm aliquid huinſmodi nutriat, vel non nutriat, aut per ſe, aut cum alijs, aliud enim eſt accidentale eſſe quod, id, quod ſumitur, ſit nutritiuum, vel nõ nutri-

nutritiuum ad impediendam communionem; aliud verò accidentale eſſe quòd id, quod aſſumitur: quantumuis in parua quantitate nutriat, vel non nutriat, aut per ſe, aut cum alijs ad impediendam ſacram Communionem, & hoc ſecundum eſt, quod affirmat Diuus Thomas; non autem primum, imò (ſalua pace tanti viri) neque Angelico Doctori in mentem venit affirmare, cum ſemper ſupponat quòd id, quod aſſumitur, etiam ſi ſit in parua quātitate, vt ſacram Communionem impediat, & naturale ieiunium frangat, debeat habere aliquam rationem cibi, vel potus, vt conſtat ex verbis relatis Angelici Doctoris; nam cum in primis dicat, quod poſt aſſūptionem aquæ, vel alterius cibi, aut potus in quacumque parua quantitate, non licere hoc Sacramentum accipere, ſubdit, nec refert, vtrùm aliquod huiuſmodi nutriat, vel nō nutriat &c. Vbi notandum eſt illud verbum aliquid huiuſmodi, quod refertur ad cibum, aut potum ſupra relatum: hoc eſt, nec refert, quod aliquid huiuſmodi hoc eſt cibi aut potus in quacumque parua quantitate nutriat, vel non nutriat, vel per ſe vel cum alijs dummodò ſumatur per modum cibi, aut potus, ergo Angelicus Præceptor manifeſtè, & clarè docet, quòd ad hoc, vt aliquid quod aſſumitur, frangat ieiunium naturale, & ſacram Communionem impediat, etiam ſi ſumatur in parua quantitate, debeat habere aliquam rationem cibi, aut potus, aut per ſe, aut cū alijs, & quod ſumatur per modum cibi, aut potus, & non per modum ſaliuæ: ergo verba Diui Thomæ non nocent noſtram ſententiā, cum id, quod aſſumere ſupponimus in noſtro caſu ante ſacram Communionem, aut miſſę celebrationem, nullam inducat rationem cibi, aut potus, aut per ſe, aut cū alijs, cum nō poſſit conuerti in ſubſtantiam aliti. In hoc ſenſu à nobis explicato intelligit, & commentat Diuum Thomam Doctus Pater Magiſter Marcus Serra ex Sacra prædicatorum familia in 3. parte Diui Thomæ quæſtione 80. artic. 8. §. hinc infert, Diuus Thomas: Nec nobis nocent verba Diui Thomę ex 4. ſentētiarum diſtint. 8. quæſt. 1. art. 3. quæſtiuncula 2. reſponſione ad ſecundum argumentum: ſed potius ſunt in noſtrum fauorē: nam in ſupradicta reſponſione duplex Diuus Thomas diſtinguit ieiunium, ſcilicet naturæ, & Eccleſiæ. Et loquendo de ieiunio naturæ inquit, quod eſt quo quis ieiunus dicitur ante cibum ſumptum illa die, etiam ſi pluries poſtea cōmeſturus ſit: & quia hoc ieiunium dicitur ex priuatione cibi præaſſumpti: ideò quęlibet cibi ſumptio hoc ieiunium tollit, hęc Diuus Thomas ibi: ergo ex mente Diui Thomę manifeſtè conſtat, quòd ſolum id, quod aliquo modo participat rationem cibi, aut potus, tollit ieiunium naturale: ergo è contrario nullū id, quod non participat aliquam rationem cibi, aut potus tollit ieiunium naturale, nec ſacram Cōmunionem, aut miſſę celebrationem impedit poſt eius aſſūptionem, atqui oſſiculi, Carthę, aut fruſtuli ligni vel alicuius ſimilis traiectio nō eſt pręaſſumptio alicuius, quod induat, ſeu participet aliquam rationem cibi, aut potus, vt ſupra diximus:

ergo

ergo ex mente D. Thomę eorũ traiectio non frangit ieiunium naturale, & conſequenter non impedit Sacram Communionem, aut miſſę celebrationem. Deinde in eadem reſponſione loquẽdo Angelicus Pręceptor de pręaſſumptione aquę ante ſumptionẽ Sacrę Euchariſtię, aut miſſę celebrationem inquit Angelicus Pręceptor, quod de aqua quidam dicũt, quod quia nullo modo nutrit, non ſoluit ieiunium naturę: nequè Eccleſię, & immediatè loquens in propria ſententia inquit, ſed quamuis aqua in ſe nõ nutriat; tamen commiſta nutrit, in ſtomacho autem oportet, quod alijs humoribus admiſceatur, & ideo in nutrimentum cedere poteſt, & propter hoc alij probabilius, & ſecurius dicunt, quod etiam poſt aquę potum corpus Chriſti non ſumendum eſt. Ex quibus verbis tale conficio argumentum in fauorem noſtrę ſententię: ideò potus aquę frangit ieiunium naturale, & poſt aquę potum non eſt ſumendum corpus Chriſti; quia quamuis aqua in ſe non nutriat: tamen commiſta in ſtomacho cum alijs humoribus nutrit, & in nutrimentum cedit ergo omne id, quod nequè in ſe; neque cum alijs nutrit, neque in ſtomacho in nutrimentum cedit, ex eo quod cum alijs miſceatur, non frangit ieiunium naturale, nec aufert ſumptionẽ corporis Chriſti, aut impedit miſſę celebrationem; atqui aſſumptio oſſiculi, Papyri, aut fruſtuli ligni non eſt traiectio alicuius rei, quod nutrire poſſit, aut in ſe, aut cum alijs, neq; in nutrimentum cedit, ſi traijciatur in ſtomachum, & admiſceatur alijs humoribus: ergo eorum aſſumptio non frangit ieiunium naturale, nec impedit ſacram communionẽ, aut miſſę celebrationem. Minor ſubſũpta eſt per ſe nota, & patet ex ſupradictis. Antecedens verò, & conſequentia conſtant ex verbis Diui Thomę dicta ſolutione ad ſecundum ſupra relatis, ergo Diuus Thomas potius fauet noſtram ſententiam in locis relatis à contraria ſentẽtia; quam eam infirmat, vt male iudicat Pater Thomas Hurtado.

146 Ad ſecuudum fundamentũ reſpondetur, concedendo antecedens, & negando conſequentiam quoad ſecundam partem: nam vt conſtat ex dictis in ſolutione pręcedentis argumẽti ad tollendum ieiunium naturale, & impediendam ſacram Communionem, aut miſſę celebrationem, duo ex doctrina Diui Thomę requiruntur, ſcilicet, quod id, quod aſſumitur ſcienter, & voluntariè, etiam ſi ſit in parua quantitate, participet aliquam rationem cibi, aut potus, & quod aſſumatur per modum cibi, vel potus, & non per modũ ſaliuę, quod expreſsè docet Diuus Thomas pręcipuè loco citato 3. partis quęſt. 8. articulo 8. cum autem in noſtro caſu id, quod aſſumere diximus nullam participet rationem cibi, aut potus, nec ſumatur per modum cibi, vel potus: non tollit ieiunium naturale; nec impedit Sacram Communionem, aut miſſę celebrationem.

147 Ad 3. reſpondet Zacharias Paſqualigus in praxi ieiunij Eccleſiaſtici, & naturalis deciſione 417. negando minorem, inquit enim num. 2. dictę deciſionis conuenire omnes, quod vt

vt aliquid ſit cibus, aut potus debeat eſſe actus, ita alterari in ſtomacho, vt conuerti poſſit in ſubſtantiam viuentis; quia enim ſumitur in ordine ad cōſeruationem, & ad augmentum viuentis; ideo debet eſſe aptū, vt conuertatur in eiuſdem ſubſtantiam, vnde quod caret à conditione, nō poteſt defectu materiæ ſoluere ieiunium naturale. Et numer.3.proſequitur: exiſtimo tamen hoc non ſufficere, ſed inſuper requiri quod ſit tale, vt ex natura ſua ordinetur in cibum humanum; ita vt moraliter cenſeatur cibus humanus. Si enim non ſit cibus aptus ad nutriēdum hominem abſolutè non poteſt dici cibus illius; quia cibus conſtituitur per aptitudinem ad nutriendū. Dum autem non eſt cibus; neque etiam opponitur cum ieiunio, quod eſt eſſentialiter abſtinentia à cibo; vnde qui illud ſumet, non ſoluet ieiuniū, quia adhuc erit verum, quod abſtinuerit à cibo. hæc Paſqualigus.

48 Nihilominus ad argumentum alitèr reſpondeo, concedendo maiorem, & minorem, & negando conſequentiam: nā mihi videtur tam venenum, quam medicinas ſemper continere partes aliquas, quæ ſint ex natura ſua cibus humanus, & ideo ſoluere ieiunium naturale, ac proindè impedire Sacram communionem, & miſſæ celebrationem, ita tenet Pater Franciſcus de Lugo de Sacramentis lib.4. de Euchariſtia cap.7.quæſt.4.num.25.in fine.

49 Ad quartum reſpondetur, primo negando antecedens, quia cum ſolus cibus, aut potus violet ieiunium naturale, ſolus cibus, aut potus impedire poteſt communionem; aut miſſæ celebrationem; & cum terra, & carbones non ſint cibus humanus, nec violant ieiunium naturale, nec impediūt ſacram Communionem, aut miſſæ celebrationem, ita tenent Sancius in ſelectis diſput. 42.num. 23. Paſqualigus dicto tractatu de ieiunio deciſione 420.num.2. Diana par.5. tract. 13.reſolutione 1.Leander à Sāctiſſimo Sacramento parte 2. tractatu 7. de Euchariſtia diſp. 5. quæſt. 14. in hanc ſententiam magis ſe inclinat (quamuis oppoſitum probabile iudicet) Pater Ioannes de di Caſtillo dicto tractatu 4. de Euchariſtia diſput. 9. dubitat. 17. quæſito 3. numer. 282. prope finem.

150 Secundo reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam, quia licèt terra, & carbones non ſint proprie cibus humanus, & alimentaris, tamen, quia in vſu communi cenſetur comeſtio, & ſumantur per modum cibi, aut delectabilis, aut quaſi medicinalis, vt colorem minuant, ideò violant ieiunium naturale, & conſequenter impediunt communionem; aut Miſſæ celebrationem, quod non contingit in caſu præſenti noſtræ reſolutionis, vt ſupra probatū eſt, ita tenent Ioannes à Cruce parte 2. directorij conſcientiæ quæſtione 5. de Euchariſt. concluſione 2. Baunij parte 1. Theologiæ moralis tract. 10. quæſtione 22. verſu conſentiēs Granadus in 3.part.tractat. 10. diſputatione 8.controuerſiæ 6. Pater Magiſter Serra in 3.part. quæſtione 80.articulo 8. Et ſub dubio hoc relinquunt Eminentiſſimus Cardinalis de Lugo

dicta diſputatione 15. de Eucharistia ſect. 2. num. 32. & Pater Franciſcus de Lugo vbi ſupra numer. 26. Quare tu ex his ſolutionibus elige, quam malueris. Hæc enim diſcernere magis ſpectat ad Medicos, quã ad Theologos, & ita quidquid ſit de antecedēti sēper falſa eſt conſequentia argumenti, quia, vt benè docet Eminentiſſimus Lugo, vbi ſupra ea, quæ deglutita poſtmodum emittuntur integra cum excrementis, quoniam ab humano ſtomacho nō poſſunt alterari, non violare naturale ieiunium; quia vere non ſunt humanus cibus; talia ſunt oſſicula quædam fructuũ, aurei nummi, lapilli, & forſan cortices auellanæ, vel pineæ nucis.

RESOLVTIO DECIMA.

Vtrùm ſumptio tabacchi, vel in folio, vel in puluere, vel in fumo ſacram Communionem, aut miſſæ celebrationem impediat?

151 PRo deciſione huius reſolutionis, vt certum ſuppono contra Antonium de Leone in quęſtionibus moralibus de Cocholate part. 2. §. 4. num. 10. & ſequentibus ſumptionem tabacchi in puluere, aut in folio non frangere ieiunium naturale, nec impedire ſacram Communionem, aut miſſæ celebrationem, ita tenent Alfonſus de Leone de officio Cappellani ſect. 17. caſu 2. num. 114. Diana part. 5. tract. 13. reſolut. 1. & par. 8. tractat. 7. reſolut. 3. & par. 10. tractat. 16. reſolut. 23. §. quoad ſecundum dubium Paſqualigus in praxi de ieiunio deciſ. 438. & ratio eſt: quia ſiue ſumatur in folio; ſiue in puluere ſemper per nares attrahitur, & ordinatur ad caput. Vndè nec interuenit actio comeſtiua, nec quidquã ordinatum ad ſtomachum. Et ſi quid in ſtomachum deſcendit, eſt per accidens, & non deſcēdit per modũ cibi, cũ deſcēdat, aut rõne reſpirationis; aut alterius actionis, quæ nõ eſt comeſtio; & ideo nõ ſoluit ieiuniũ.

152 Aduerto tamen cum Ioanne Præpoſito 3. parte quæſt. 80. art. 8. dub. 1. & Paſqualigo dicta deciſione 438. num. 5. quod ſi ſumptio tabacci ſit in ſolio per os, & aliquid in ſtomachum deſcendat, certũ mihi eſt quod ſoluat ieiunium naturale, & impediat ſacram Communionem & miſſæ celebrationem, quia cum ſit ſolium herbæ, vel arboris, facilè decoquetur in ſtomacho, & conuertetur in ſubſtantiam aliti, ob quam rationem participat aliquam rationem cibi, & ſic ſi aduertenter traijciatur in ſtomachum, etiã ſi ſit in parua quantitate, violat ieiunium naturale, & impedit ſacram Communionem. Dixi ſi voluntariè traijciatur in ſtomachum, quia ſi ſumatur, vt tantùm, aut dentibus conteratur, aut permaneat per aliquod tempus in ore, nõ ſoluit ieiunium, vti idem DD. ſupra citati docent. Si autem quid minimum in ſtomachum deſcendat ex caſu, & pręter intentionem idem dicendum eſt ac de illo, qui aliquas guttas aquę traijcit inuoluntariè, & pręter intentionem dum os abluitur.

153 Tota igitur controuerſia eſt de ſumptione tabacci in fumo an frangat ieiunium naturale traijecto ad ſtomachum, & impediat ſacram Communionem, & miſſæ celebrationem affir-

affirmatiuè reſpondent Antonius de Leone in citata quæſt. morali de Cocholate par.2.§.4. nu. 10. & ſequentibus Ioannes Præpoſitus in 3.part.quæſt. 80. art.8. num. 39. Lezana, quem citat Diana dicta par.8. tract.7. reſol.3. in tom. 3. quæſtionum regularium verbo Euchariſtia quoad regulares num. 18. vbi inquit Diana, quod ſic ait, de tabacci ſumptione noua quæſtio eſt propter nouum vſum forſan abuſum huius ſæculi an impediat communionem, aliqui enim reſpondent negatiuè Diana 5. par.tract. 10. reſol. 1. quod mihi non placet, quia tabaccum verè eſt nutrimentum, vt conſtat ex multis experientijs plurium, qui ex ipſo ſolo ſubſtentati ſunt: verè etiã eſt medicina; hoc enim prętextu ſumitur, ſumitur etiam non caſu, ſed ex intentione, & propoſito, vt ſuppono, & quod ſumatur per nares, non tollit quo minus talis actio ſit comeſtio, & ſi non communis, & ordinaria; ſed extraordinaria qualis eſſet ſi ęgroto edere per os nõ potenti, aliquis liquor daretur per nares; & deinde ad ſtomachum deueniret. Quare credo quod ſiuè ſumatur in puluere, ſiuè in fumo, ſiue in folio, ſiue per os, ſiue per nares, niſi ſit in tam parua quantitate, vt moraliter certum ſit nihil ipſius ſubſtantię ad ſtomachum perueniſſe, impedire communionem: ita ille, inquit Diana; & eodem loco eum citat Pater Thomas Hurtado loco poſtea citando. falsò tamen ab vtroque citatur quoad numerum: nam in dicto num. 18. nihil de hoc tractat: licet num. 16. dicat omne id, quod refert Diana, & nos ex ipſo diximus ſupra. Et nouiſſimè hanc ſententiam defendit Pater Thomas Hurtado par. 2. reſolutionum moralium tract. 11. de ſumptione tabacci cap. 4.§. 2. reſolut. 2. quam ſententiam affirmat tenere plures DD. recentiores in manuſcriptis, inter quòs refert Sapientiſſimum Doctorem Ludouicũ Ramirez in tract. de potatione Chocolate vbi rationem aſſignat, quia fumus ad ſtomachum deſcendens conuertitur in fuliginem, quę ſubſtantia denſa eſt, vt apparet in caminis, quę proculdubio conuerti poteſt in ſubſtantiam aliti.

154 Hanc ſententiam probat.1. Pater Hurtado num.168. quia DD. oppoſitę ſententię in ſui fauorem dicunt, quod id, quod traijcitur in ſtomachum per modum reſpirationis, nõ frangit ieiunium naturale, ad ſacrã Communionem requiſitum, & vt legenti conſtabit, loquuntur de reſpiratione inuoluntaria, quę naturaliter fit, qua ſi aliquid deglutiatur, non frangitur ieiunium naturale, quod Eccleſia pręcipit ad communionem; ſiquidem omninò certũ eſt nullum pręceptum frangi: niſi actione voluntaria, vel in ſe, vel in cauſa, vt omnes Theologi tradunt in materia de legibus, ergo ſi voluntariè, & ex intentione aliquid deglutitur vſque ad ſtomachum quidquid illud ſit, quantumuis in parua quantitate ſumptum per modum cibi, aut potus, aut medicamenti, frangit ieiunium naturale, quia in iſto non datur paruitas materię.

155 Hoc fundamentum (quod apud dictum de Hurtado manifeſtum eſt) vt comprehendatur (inquit Pater Hurtado) explicandi ſunt 4. termini, qui

communiter circumferuntur circa modum traijciēdi aliquid ad ſtomachum, & quibus vtũtur DD. Primus eſt traijectio per modum reſpirationis. Secundus eſt traijectio per modũ ſalinę; de quo dicitur in Rubrica Miſſalis cap. 9. approbata à Pio quinto, & reuiſa, & confirmata tempore Vrbani Octaui à Sacra Congregatione Rituum, quod ſi lauando os, deglutiatur ſtilla aquę prӕter intētionem, non impedit communionem, quia ſumpta fuit per modum ſaliuę. Dixerat enim prius, quòd ſi quis non eſt ieiunus poſt ſumptionem ſolius aquę, vel alterius potus; aut cibi in quacumque parua quantitate, non poteſt communicare, aut celebrare. Tertius modus eſt per modum cibi aliquid comeſtibile traijcere. Et quartus eſt per modum potus bibere. De his duobus modis. primo egit Diuus Thomas 3. parte quęſt. 80. art. 8. dicens, quod quidquid ſumatur comeſtibile, aut potabile per modum potus in quacumque minima quantitate, impedit ſumptionem Euchariſtię; addit tamen Sanctus Doctor, quòd adhoc parũ refert, quod id, quod aſſumitur per modum cibi, aut potus nutriat, aut non nutriat, aut per ſe, aut cum alijs. Ex quibus modis duo priora, certum eſt ieiuniũ naturale non violare: duo autē poſteriora, ſcilicet traijectio per modum cibi, & per modũ potus difficiliorem habent enodationem. Et quidem (ipſi Patri Hurtado certum eſt immeritò tamen) quod ly per modũ cibi, aut per modum potus nō ſignificat, quod ſit cibus, aut potus, quo communiter vtuntur homines. Rurſus (inquit) nō ſignificat, quod illius, quod traijcitur ſit maſtecatio in ore, cum hoc accidentale ſit, cum pluries cibi non maſticentur, vt lac, mel, &c. Similiter potus non maſticatur: igitur ly per modum cibi, aut ſignificat, primo quod quis aliquid exterius per os deglutiat ad ſtomachum vſque: quam conſequentiam probat ex Diuo Thoma in 4. diſt. 8. quęſt. 1. art. 4. quęſtiunc. 2. ad 3. vbi ait comeſtio principaliter dicitur à ſumptione exterioris cibi: quamuis terminetur ad traijectionem cibi in ventrem, & vlterius ad nutritionem: & ideò quę interius geruntur ſine exterioris cibi ſumptione, nō videntur ſoluere ieiunium naturę: nec impedire Euchariſtię ſumptionem; ſicut deglutio ſaliuę, quam licet quis deglutiat, vt deglutiat hoc eſt ex intentione deglutiēdi vſque ad ſtomachum: nihilominus non frangit ieiunium naturę: quia cum non ſit exterioris cibi aſſumptio per os, nō eſt propriè comeſtio, aut potatio. Vndè comeſtio, aut potatio propria eſt actio vitalis cōſiſtens in exercitio labiorum, palati, faucibus laringę, & cęteris inſtrumētis, quibus exterior cibus, aut potus ad ſtomachum traijciuntur, vt nutriatur animal, quod ſuo calore natiuo cōuertit in ſubſtantiã ſuam, magis, vel minus, prout cibus, & potus digeribiles ſunt ſecundum duritiem, aut mollitiem. Vndè DD. prima parte quęſt. 10. cum Diuo Thoma concludunt Angelos in corporibus aſſumptis, quamuis videretur comedere & bibere aſſumendo exteriorē cibum, & potum: non eſt tamē propria comeſtio; aut potatio, quia non ſunt actiones vitales,

cum

cum corpora illa careant inſtrumentis vitalibus, ſunt enim aerea.

156 Ex quibus deducit Pater Thomas Hurtado num. 133. & 134. quod ſumptio tabacci in fumo medio inſtrumento ad id apto, ſi traijciatur ad ſtomachū vſque, proculdubio eſt vera comeſtio, cū ſit aſſumptio per os alicuius cibi exterioris terminata ad traijectionem in ventrem, & vlterius ad nutritionē, ſitque actio vitalis, & voluntaria reſpiratio, qua quis attrahit fumum tabacci ex intentione, vt ad ſtomachum deſcendat. Quod enim reſpiratione hoc faciat, non iuuat, vt per modum reſpirationis ſumat fumum: nā traijectio per modum reſpirationis alicuius cibi exterioris, vt non impediat communionē, debet eſſe inuoluntaria: aliàs ſi quis aliqua fiſtula reſpirando attraheret vinum, ipſum deglutiendo, non frangeret ieiunium: cumq; pari modo per fiſtulam inſtrumenti tabaccarij voluntariè traijciat fumum in ſtomachum procul dubio frangit ieiunium Euchariſticum; nullus enim (inquit Hurtado) qui hęc ſine paſſione conſideret, negare audebit, ita eſſe: nam quamuis fumus tabacci, aut alius aromaticus non nutriat partes denſas ſolidas, & carnoſas; iuuat tamē calore ſuo calorem naturalem, & conuertitur in ſuam ſubſtantiam commixtus alijs cibis vti de aqua, docet Diuus Thomas in 4. diſt. 8. quæſt. 1. art. 4. quæſtiunc. 2. ad 2. quòd commiſta alijs nutrit, & ſic frangit ieiuniū naturæ.

157 Secundo eamdem ſententiam probat fundamento deſumpto ex Concilio Mexicano 3. lib. 3. tit. 15. §. 13. confirmato à Sixto quinto bulla expedita die 28. Octobris anno 1589. & ab Vrbano 8. bulla expedita die 11. Martij anno 1626. vbi ſic habetur: *ob reuerentiam, quæ Euchariſtiæ percipiendæ exhibenda eſt, pręcipitur: ne vllus Sacerdos ante Miſſæ celebrationem, aut quæuis alia perſona ante communionem quidquam tabacci penitiuè, aut ſimilium medicamenti cauſa per modū fumalis reſpirationis, aut alio quouis modo percipiat.* Vbi Patres huius Concilij dant rationem, cur non debeat ſumi fumus tabacci per os, quā tradunt D. Pater Auguſtinus epiſt. 118. cap. 6. & Diuus Thomas 3. parte quęſt. 80. art. 8. & in 4. diſt. 8. quęſt. 1. art. 4. quęſtiunc. 2. & ex ipſis cęteri Patres, & Doct. tam exponentes Diuum Thomam quam Scholaſtici magiſtrum; dicit enim Diuus Pater noſter Auguſtinus reſcribens Ianuario: Placuit Spiritui Sancto in honorem tanti Sacramenti prius in os hominis Chriſtiani Corpus Domini intret: quàm cæteri cibi, & Diuus Thomas quęſtiunc. citata: in reuerētiam ſanctitatis huius Sacramēti inſtitutum eſt, quòd os Chriſtiani ſuſcipientis Corpus Chriſti, quaſi nouum ad ipſum ſumendum accedat. Et ſic Patres huius Concilij manifeſtè vtentes Praxi Diui Patris noſtri Auguſtini, & Diui Thomæ, prohibent ſumptionem tabacchini fumi: quia frangit ieiunium naturę ad Euchariſtiam neceſſarium: aliàs ſi non frangeret, ſi quis poſt mediam noctem ſumeret tabacchinum fumum, nulla notabilis fieret Sacramēto iniuria, vt propter illam præcipiatur, quod fumalis euaporatio non ſumatur: Sicut nō

pro.

prohibetur ſumi fumus iſte ſi nõ traglutiatur, nequè ſit aliqua notabilis iniuria Sacramento: ergo ſi non frangit, ſi traijciatur nulla etiam fieret irreuerentia; atqui propter irreuerentiam prohibetur, ergo manifeſtum eſt, quod ſi deglutitur, frangit ieiunium naturę, ſine quo accedere ad Euchariſtiam iſti fit magna, & mortalis irreuerentia. Quare Patres huius Concilij Mexicani non ſpecificãt, quod tabacchus naribus ſumatur, quia ſic ſumptus: ſicut non frãgit ieiunium naturæ: ita nulla mortalis irreuerentia, ſi ſumatur vna, vel altera vice; & ſi eius ſumptio per nares prohibita ſit, ſicut prohibuerunt Patres Concilij Limenſis. Et quamuis Concilium Mexicanum Prouinciale ſit: tamen ad reſolutionem moralem deſumendam maximè authoritatis eſt, tum quia ibi interueneRũt homines ſapientia, & doctrina cõſpicui; tum quia eorum determinatio approbata exiſtit à duobus Sũmis Pontificibus ſpecialibus bullis.

158 Tertio probat fundamento deſumpto ex Antonio Pinello de Leone, quia fumus, & exhalationes odoriferæ verè nutriunt, & ſunt alimentum ſpirituum vitalium; eo enim ipſo quòd fumus ad ſtomachum deſcendat actione vitali, calor naturalis conuertet ſubſtantiã fumoſam in Chilum, qui maxime deſeruit ad generandos prefatos ſpiritus. Vndè Plinius lib. 7. hiſtorię cap. 2. num. 20. dicit ſupra Gangem eſſe populos, qui Aſtomori dicuntur ſine ore, qui odore fructuum, & florum naribus attracto alũtur. Plinium approbant Straſo lib. 15. Rodiginus lib. 24. cap. 21. quod non eſſe incredibile ratione optima probat Iacobus de Lecampio medicus inſignis ad caput citatum Plinij littera X. quia vterq; odor: videlicet; ac ſpiritus ſit vapor quidem, & ſimile ſimili nutriatur: nimirũ, & ſpiritus, qui ſpiritum ducit, homo plurimum odoribus accipit alimentum, ergo mirum non debet eſſe, quod fumoſa ſubſtantia, & exhalatio odorifera ſi traijciatur vſq; ad ſtomachum, ieiunium naturę frangat, & impediat Communionem.

159 Secunda ſententia, licet ſubſtineat ſumptionem fumi tabachi ieiunium naturale non frangere, affirmat ſumptionem tabacci talem fetorem, & immundam purgationem cauſare, vt inde meritò communionem impediat ob indecentiam, & irreuerentiam, aliquando grauem ſic tractantis indignè diuina miſteria, ita Pater Franciſcus de Lugo de Sacram. lib. 4. de Euchar. cap. 7. quęſt. 4. num. 35. concl. 2. Fundamentum huius Doctoris eſt, quia talis fumi tabacci ſumptio prohibita eſt à Concilio Mexicano ſupra relato: ergo vel rõne talis prohibitionis, vbi obligat, vel ob irreuerentiam grauem, ex immodica ſumptione prouenientem, ſepè quidem erit mortale peccatum communicare, aut miſſam celebrare poſt fumi tabacchi ſumptionem.

160 Dicendum tamen eſt ſumptionem tabacci in fumo non frangere ieiunium naturale, nec ſacram Communionem, aut miſſę celebrationem impedire: ita Alfonſus de Leone de officio Cappellani quęſt. 8. ſect. 17. caſu 2. num. 134. Narbona tom. 2. hora 12. num. 32. Diana locis citatis initio huius reſolutionis

Digitized by Google

tionis pręcipuè parte 5.tractat. 13.reſolut. 1. Merchantius in reſolut.paſtorali tract. 4.in appendice ad caput ſecundum Paſqualigus in praxi ieiunij Eccleſiaſtici, & naturalis tract.de ieiunio naturali deciſ. 439. à nu.3.Leander à Sanctiſſimo Sacramento par.2.tract.7.de Euchariſtia diſp. 5.quæſt.10.

161 Probatur 1. noſtra ſententia, quia omne id, quod non participat aliquam rationem cibi, aut potus ſi traijciatur in ſtomachum non frangit ieiunium naturale, nec impedit ſacram Communionem, aut miſſæ celebrationem; atqui fumus tabacci nullam participat rationem cibi, aut potus: ergo non frangit ieiunium naturale eius aſſumptio, nec impedit ſacram Communionem, aut miſſæ celebrationem: etiamſi traijciatur in ſtomachum. Maior conſtat ex dictis reſolutione pręcedenti, minor verò probatur: quia fumus nullam participat rationem cibi, aut potus; vndè nec actione comeſtiua, aut potatiua ſumi poteſt: ſed tantum per attractionem reſpirationis; Vndè etiam ſi aliquid de ipſo deſcendat in ſtomachum, deſcendit per modum reſpirationis, & non per modum cibi: ergo fumus tabacci formaliter, vt fumus nullam cibi rationem participat: ergo etiamſi traijciatur in ſtomachum per attractionem reſpirationis, nō frangit ieiunium naturale, nec ſacrā Communionem, aut miſſæ celebrationem impedire valet.

162 Deindè, quia etiam ſi quis dedita opera attraheret fumū cuiuſcumque rei eo fine, vt deſcenderet in ſtomachum, non frangeret ieiunium naturale: ergo dicti ſumi attractio vſque ad ſtomachum non eſt impeditiua ſacræ Communionis, aut miſſæ celebrationis. Conſequētia ex antecedenti manifeſtè ſequitur; antecedens vero probatur, tùm quia vt ſupra diximus apud moralem, & prudētem ęſtimationem fumus non habet rationem cibi, aut potus: ergo nec per attractionem ipſius in ſtomachum prudenter dicetur quis comediſſe, aut bibiſſe, ac proinde prudenter quoque iudicabitur ieiunus ieiunio naturali: tum etiam quia ſi noſtrum antecedens non eſſet verum ſequeretur (vt optimè notat Pater Antoninus Diana dict.par.5. ſuperius citata) quod ſi quis ex induſtria aperto ore fumoſum halitum carnis in magna quātitate tempore v.g. quadrageſimæ reſpirando attraheret nō ſolum ieiunium naturale; ſed etiam Eccleſiaſticum ſolueret, quòd aſſerere aſſurdum eſſe videtur; & ideò nullus eſſet Confeſſarius, qui ſi quis ſe accuſaret in confeſſione, quòd per totum mane alicuius vigiliæ ex induſtria in cochina permanſiſſet, attrahēdo fumum Perdicum, Caponum, &c. nullus certè Cōfeſſarius talem pęnitentem de mortali damnaret peccato, & ob id illa die à Communione arceret: ergo etiam ſi quis ex induſtria fumum cuiuſcumque rei attraheret in ſtomachum non frangeret ieiunium naturale, nec ob id maneret impeditus ad ſacram Communionē, aut miſſæ celebrationem in illa die: ergo ſimiliter, qui ex induſtria, & dedita opera tabacci fumum traijceret in ſtomachum (quod certè nullus facit) non frangeret ieiunium naturale, nec eſſet impeditus ad cōmu-

municandum, aut ſacrum celebrandum: cum eadem eſſet ratio de fumo tabacci, ac de fumo cuiuſcumque alterius rei, etiam comeſtibilis.

163 Ad primum fundamentum primæ ſententiæ reſpondetur omittendo antecedens, & diſtinguendo conſequens; ergo ſi voluntariè, & ex intentione aliquid deglutitur vſque ad ſtomachum quidquid illud ſit: quantumuis in parua quantitate ſumptum &c. ſi illud, quod ſumitur, & deglutitur vſque ad ſtomachum participet aliquam rationem cibi, aut potus, quod poſſit nutrire, & in ſubſtantiam aliti conuerti, vel per ſe, vel cũ alijs concedo conſequentiam. Si nullam participet rationem cibi, aut potus, nec poſſit nutrire, vel per ſe, vel cum alijs nego conſequentiam. Cum autem fumus tabacci nullam participet rationem cibi, nec nutrire valeat, aut per ſe, aut cum alijs, vt ſupra diximus: ideò ieiunium naturale violare non valet, nec poteſt conſequenter Sacram Communionẽ, aut miſſæ celebrationem impedire, quia nihil frangere poteſt ieiunium naturę, & conſequẽter, nec ſacram Communionẽ, aut miſſæ celebrationem impedire: niſi aliqualem, cibi rationem participet, & nutrire valeat; aut per ſe, aut cum alijs, vt ex Diuo Thoma contra dictum Patrem Thomam Hurtado præcedenti reſolutione probauimus.

164 Ad id autem, quod pro euidentia, aut certitudine præcedentis argumenti ſupponit dictus Pater Hurtado: reſpõdeo multa includere falſa. Fateor libenter, quod duo illi modi ab ipſo aſſignati circa modum, traijciendi aliquid ad ſtomachum, ſcilicet per modum reſpirationis; aut per modum ſaliuę, non frangere ieiunium naturæ: attamen falsò ſupponit, quod ly per modum cibi, aut potus in alijs duobus modis traijciendi aliquid ad ſtomachum ab ipſo aſſignatis, non ſiguificet, quod ſit cibus, aut potus, quod traijcitur, aut aliquã participet rationem cibi, aut potus, vt poſſit nutrire, aut per ſe, aut cum alijs, vt latè probauimus reſolutione pręcedenti contra dictum Patrem de Hurtado. Quare licet non ſit eſsẽtialiter requiſitum ad naturæ ieiunium violandum, quod id, quod traijcitur ad ſtomachum, traijciatur media maſticatione in ore facta prius, cum plures cibi ſint, qui traijcientur in ſtomachum abſque pręcedenti oris maſticatione, falſa eſt conſequentia. quam infert abſolutè loquendo, ſcilicet, quod ly per modum cibi ſignificet primò, quòd quis aliquid exterius per os deglutiat ad ſtomachum vſque. Quod quidem abſolutè loquendo falſum eſt: nam deglutitio exterior alicuius rei incomeſtibilis facta per os ad ſtomachum vſque ieiunium naturæ non violat: cum neque per ſe, neque cum alijs nutrire valeat, & in aliti ſubſtãtiam cõuerti; vt latè probauimus reſolutione pręcedenti, ergo conſequentia Patris Hurtado abſolutè loquendo, & abſque aliqua diſtinctione falſa eſt. Nec illi aliquid fauet ad dictam cõſequentiam probãdam authoritas Diui Thomæ ab ipſo allata ex 4. ſententiarum diſtint. 8. quæſt. 1. art. 4. quæſtiunc. 2. reſp. ad 3. argumentum: nam in dicta quæſt. Angelicus Doctor in-

interrogat, vtrum quælibet cibi ſumptio perceptionem huius Sacramẽti impediat? & pro parte negatiuá 3. ſibi obicit argumẽtum Sanctus Doctor. ſub hac forma. Tertio præterea Corpus Chriſti ſicut in os intrat, ita in ventrem traijcitur, ſed ſi aliquæ cibi reliquiæ in ore remaneant, & poſtmodum de mane in vẽtrem traijciãtur, non impeditur quis à ſumptione Corporis Chriſti; quia hoc poſſet Sacerdoti accidere etiã dum eſt in ipſa celebratione Sacramenti, quando non deberet à ſumptione Corporis Chriſti deſiſtere: ergo nec cibus in os miſſus debet perceptionem huius Sacramenti impedire in parua quantitate ſumptus. Ad quod argumentum ſic reſpondet Diuus Thomas. Ad tertium. Dicendum, quòd ieiunium naturæ dicitur per priuationem actus comeſtionis. ſecundum quod comeſtio etiam potionẽ includit: comeſtio autem principalis dicitur à ſumptione exterioris cibi, quamuis terminetur ad traijectionem cibi in ventrem, & vlterius ad nutritionem: & ideo quæ interius geruntur ſine exterioris cibi ſumptione, non videtur ſoluere ieiunium naturæ; neque impedire Euchariſtiæ perceptionẽ: ſicut deglutio ſaliuæ, & ſimiliter videtur de his, quæ intra dentes remanent, & etiam de eructuationibus: tamen propter reuerentiam, niſi neceſſitas incumbat, poteſt ſine periculo abſtinere. Hæc eſt reſponſio Diui Thomæ, & certè non poſſum non mirari, quòd Eruditus Pater Thomas Hurtado ad probandam ſuam conſequentiam dictam reſponſionem Diui Thomæ in ſui fauorem afferat. Cum (ni fallor) prædicta verba Diui Thomæ in dicta reſponſione videantur deſtruere ſuam doctrinam ſuperius poſitam. Quod ſic meo videri euidenter oſtendo. Nam Diuus Thomas in dicta ſolutione ad tertium argumentum, in primis ſupponit ieiunium naturæ dici per priuationem actus comeſtionis, ſecundum quod comeſtio etiam potionem includit: deindè aſſerit; quod comeſtio tria includit nempè ſumptionẽ exteriorem cibi, traijectionem ipſius cibi in ſtomachum, ſeù ventrem, & præterea, quod talis traijectio cibi in ſtomachum ad nutritionem ordinetur; ex quibus tribus modis accipiendi comeſtionem, ſeu actum comeſtionis, principalem actum comeſtionis appellat ſumptionem exterioris cibi, & alios duos modos comeſtionis ſcilicet traijectionem in ſtomachum, ſeu ventrem, & nutritionem cibi minus principales eſſe in ratione comeſtionis ſupponit. Ex quibus infert Angelicus Doctor, quod quæ interius geruntur ſine exterioris cibi ſumptione non videntur ſoluere ieiunium naturæ, nec impedire Euchariſtiæ perceptionem. Qua doctrina tam clara Diui Thomæ ſuppoſita, ſic argumentor; ieiunium naturæ violari non valet, niſi per ſumptionem, & traijectionem in ſtomachum alicuius cibi, aut potus medio actu comeſtionis, quo aliquis cibus, aut potus exterior in ſtomachum traijcitur; atqui res exterior, quæ non eſt comeſtibilis, nec participat aliquam rationem cibi, aut potus non

Digitized by Google

poteſt traijci in ſtomachum aliquo actu, ſeu actione, quæ propriè, & principaliter ſit comeſtio: ergo traiectio in ſtomachum cuiuſcumque rei exterioris non poteſt ieiunium naturæ violare, nec ſacram Communionem impedire ſtãdo in vera doctrina Diui Thomæ: vt malè, & abſque ſolido fundamento affirmat dictus Pater Thomas Hurtado. Conſequentia huius diſcurſus euidentiſſima eſt: cum euidenter ſequatur ex præmiſſis: maior autem eſt expreſſa Diui Thomæ verbis ſupra relatis: minorem vero euidenter probo ex doctrina ipſius Angelici præceptoris; quia vt ait Diuus Thomas, comeſtio principalis dicitur à ſumptione exterioris cibi: quamuis terminetur ad traiectionem cibi in ventrem, & vlterius ad nutritionem: ergo actus comeſtionis ſemper debet terminari ad rem comeſtibilem, & quæ participet aliquam rationem cibi, aut potus; ergo actus, qui terminatur ad rem non comeſtibilem, nec conuertibilem in ſubſtantiam aliti non eſt actus comeſtionis exterioris cibi, quæ requiritur ad violationem ieiunij naturalis, & impeditionem ſacræ Euchariſtiæ, aut miſſæ celebrationis: ergo ſtando in doctrina Diui Thomæ falſum eſt aſſerere abſolutè, & ſimpliciter loquẽdo quòd ly per modum cibi ſignificat primo, quod quis aliquid exterius per os deglutiat ad ſtomachum vſque: etiam ſi comeſtibile non ſit, quod erat conſequentia Patris Hurtado: ergo apertè ſequitur ex doctrina Diui Thomæ, quod nulla res, quæ non ſit comeſtibilis poteſt traijci ad ſtomachum vſque actione aliqua, quæ propriè ſit comeſtio: aut aſſumptio illius rei incomeſtibilis per modum cibi: ergo ad hoc, vt ieiunium naturalè violetur, & ſacra Communio impediatur, aut miſſæ celebratio, eſſentialiter requiritur, quod, id, quod quis actione aliqua exteriori per os deglutit ad ſtomachum vſquè, ſit quid comeſtibile, & conuertibile in ſubſtantiam aliti, vt talis actio poſſit dici comeſtio propriè dicta requiſita ad violationem ieiunij naturalis.

165 Vndè conſtat non rectè deduci à Patre Thoma Hurtado dicto num. 133. & 134. quòd ſumptio fumi tabacci medio inſtrumento ad id apto, ſi traijciatur vſque ad ſtomachũ, proculdubio ſit vera comeſtio, tum quia falsò ſupponit aſſumptionem fumi tabacci per os eſſe aſſumptionem alicuius cibi exterioris terminatam ad traiectionem in ventrem, & vlterius ad nutritionem; quia vt in probatione noſtræ ſententię diximus, fumus cuiuſcumque rei in ratione fumi formaliter non participat aliquam rationem cibi, nec per ſe ordinatur ad nutritionem, & conſequenter ieiunium naturale violare non valet, nec ſacram Communionem, aut miſſæ celebrationem impedire: aliàs, vt ſupra dicebamus ſequeretur, quod ſi quis ex induſtria aperto ore fumoſum alitum carnis in magna quantitate tempore v. g. quadrageſimæ reſpirando attraheret: non solùm ieiunium naturale, ſed etiam Eccleſiaſticum ſolueret, quod aſſe-

aſſerere videtur eſſe abſurdum: tum etiam quia etiam dato, quod fumus nutriret: quatenus rurſus in ſtomacho condenſari poteſt, & ſe reducere ad materiam nutritiuam, non tamen ex hoc licet inferre, quod ſoluat ieiunium naturæ, impediatque ſacram Communionem, & miſſæ celebrationē, quia etiam humores, qui è capite deſcendunt in ſtomachum nutrire poſſunt: nec tamen ſoluunt ieiunium naturæ; quia non deſcendunt in ſtomachum per actionem ordinatam ad comeſtionem. Neque eſt par ratio de attractione voluntaria vini media aliqua fiſtula vſque ad traijectionem in ſtomachū: nam illa actio verè, & propriè eſt nutritio; cum ſit traijectio voluntaria ad ſtomachum vſq; rei, quæ propriè, & formaliter participat rationem potus, & ſit ordinata ad nutritionem: prout nutritio non ſolùm dicit (vt ait Diuus Thomas loco ſuperius citato) ſumptionem cibi exterioris, ſed etiam ſumptionem potus, cum autem vinum propriè potus ſit, & actio illa voluntaria, & libera, qua media fiſtula reſpirando attrahitur vinum vſque ad ſtomachum, illud deglutiendo ſit actio vitalis per ſe ordinata ad potum: ideò dicitur propriè comeſtio ſufficiens ad violandum ieiunium naturæ, & impediendam ſacrā Communionem, & miſſæ celebrationem, quod non contingit in ſumptione fumi tabacci medio inſtrumento ad id apto etiamſi traijciatur vſque ad ſtomachum, vt ſupra probauimus.

166 Ad ſecundum fundamentū Patris Thomæ Hurtado reſpōdetur, quod Concilium Mexicanum Prouinciale ab ipſo allegatum; ſicut, & Limenſe 111. art.3.cap.10. allegatum ab Antonio de Leone in quæſt. moral. de Cocholatæ part. 2. §. 4. num.10. nihil apud nos valent: quia faciunt, quòd vſus ſit illicitus tantùm apud eos, qui tenentur obedire illis concilijs. Deindè (vt bene aduertit Paſqualigus in praxi ieiunij Eccleſiaſtici, & naturalis deciſ. 438. nu. 1.) nequè etiam explicant, quod prohibeant, quia ſoluat ſumptio tabacci: ſiue in puluere, ſiue in folio, aut in fumo ieiuniū naturale; imo ſi cenſuiſſent ſoluere ieiunium naturale non prohibuiſſent: quia iam ſupponerent prohibitum; ſed ſolùm declararent eſſe prohibitum, quia ſoluit ieiunium.

167 Ad tertium fundamentum patet ex ſupradictis: nam dato, quod fumus nutriret: quatenus rurſus in ſtomacho condenſari poteſt, & ſe reducere ad materiam nutritiuam: non tamen ex hoc inferre licet, quod ſoluat ieiunium: quia vt ſupra diximus, etiam humores, qui ex capite deſcendunt in ſtomachū nutrire poſſunt: nec tamen ſoluunt ieiunium naturale: quia non deſcendunt in ſtomachum per actionem ordinatam ad comeſtionem, quod idem contingit in ſumptione tabacci in fumo. Ad exempla vero, quæ Antonius de Leone adducit quod multi ex ſumptione fumi multos dies vixerunt, reſpōdet Dandinus lib. 2. de anima Comento 53. Digreſſione 25. non eſſe facilè credenda, vt teſtatur Diana dicta parte 5. tractat.13. reſolut.1. Deinde: quia, vt nos ſupra diximus Eccleſia tantum prohibet comeſtionem: quandò præceſſit id, quod in morali ex-

ęxtimatione cēſetur comeſtio, aut potatio, quæ tunc cenſetur, talem eſſe, quando quantitas, & qualitas materiæ, quæ traijcitur, & modus traijciendi illā, ſufficiat in morali ęxtimatione, vt quis cenſeatur comediſſe, aut potaſſe modo ſuperius reſolutione præcedenti explicato: cum autem in noſtro caſu non præcedat id, quod in morali æxtimatione cenſeatur comeſtio: nec modus traijciendi fumum tabacci in ſtomachum (dato quod aliquis ex induſtria ipſum vſq; ad ſtomachum traijceret quod rarò contingit) ſufficiat in morali æxtimatione, vt quis cenſeatur comediſſe: ideò prędicta fumi tabacci traiectio non violat ieiunium naturale, nec impedit ſacram Cōmunionem, aut miſſæ celebrationem.

168 Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ patet ex dictis ſolut. ad 2. fundamentum primæ ſententiæ: quia vt ibi diximus, Cōciliū Mexicanū nihil apud nos valet: nam tantum facit vt vſus tabacci ſit illicitus ante ſacram Cōmunionē, & miſſę celebrationem apud eos, qui tenētur obedire ſupradicto Concilio. Nec inter nos eſt, tam immoderatus vſus tabacci in fumo ante miſſę celebrationem, vt poſſit inducere culpā grauem ob irreuerentiam grauem illatam venerabili Sacramento Euchariſtiæ, vt ex experientia manifeſtum eſt.

RESOLVTIO VNDECIMA.

Vtrùm, qui ſub vtraque ſpecie communicāt, maiorem gratiam recipiant, quàm qui ſub vna ſpecie tantum?

169 IN hac difficultate, quæ grauiſſima eſt, prima ſententia affirmat maiorem gratiam recipere eum, qui ſub vtraque ſpecie ſcilicet panis, & vini Euchariſtię Sacramentum recipit: quam qui ſub alterutra tantùm: ita Alexander de Ales 4. parte queſt. 11. membro 2. art. 4. Caſalius l. 2. de Cæna Domini. Arboreus in cap. 6. Ioannis. Pater Gabriel Vaſquez diſputat. 215. Pater Gaſpar Hurtado de Sacrament. diſput. 10. de Euchar. difficul. 6. Eminentiſſimus Cardinalis de Lugo de Sacrament. diſp. 12. de Euchar. ſect. 3. n. 68. citans pro hac ſententia Franciſcum Blancum Archiepiſcopum Compoſtellanum & Henriquez lib. 8. de Euchar. cap. 44. §. 5. & nouiſſimè eam defendit Pater Ioannes de di Caſtillo de Sacramentis tom. 1. tract. 4. de Sacramento Euchariſt. diſput. 10. Dubitatione 10. à nu. 211. Ioannes Prępoſitus in 3. parte quæſt. 80. art. 12. dub. 3. nu. 73. Meratius tom. 3. diſput. 33. de Euchariſt. ſect. 4. Martinon in in 3. part. diſp. 34. de Euchariſt. ſect. 3. Caſpenſis in ſuo curſu Theologico part. 2. tractat. 22. diſput. 9. ſect. 8. num. 33. Caſtropalaus par. 4. tract. 21. de Sacramento Euchariſt. diſput. vnica punt. 9. §. 1. num. 12. Corneius 3. part. queſt. 8. art. 12. diſputat. vnica dub. 2. Ludouicus de San Iuan par. 1. ſummę queſt. 7. de Eu-

Euchar. art.12.dub.2. diffic. 1. Machadus par.1.lib.3. tract. 5. docum.8.num.4. Hyeronimus Garzia in ſumma tract.3.diffic. 6.dub.2.num.9. Pater Leander à Sanctiſſimo Sacramento par. 2.tract.de Euchar.diſputat. 10. queſt.25. & probabilem eam iudicant Fagundez precepto 3. lib.4.cap.4.nu.2.in fine. Becan. de Sacram.cap.22.queſt.7. n.4. Diana par.5.tract.13. reſol. 29. & Pater Franciſcus de Lugo de Sacram,lib.4.de Euchar.cap.4. quæſt.2.num. 15. in fine.

170 Probatur 1. hec ſententia à Patre Gaſpare Hurtado vbi ſupra, quia quelibet ſpecies Sacramentalis ratione ſui,diuerſo modo ſpecifico ſignificat , & confert gratiam: ergo quelibet ratione ſui confert diuerſum , & peculiarem gradum gratiæ ſibi correſpondentem. Conſequentia probatur, quia ex eo deducimus diuerſa Sacramenta ratione ſui conferre diuerſum, & peculiarem gradum gratie, quia quodlibet ratione ſui diuerſo modo ſpecifico ſignificat & confert gratiam. Antecedēs autem videtur certum, quia ſpecies panis ratione ſui diuerſo modo ſpecifico , quam ſpecies vini ſignificant , & conferunt gratiam , quia ſpecies panis ſignificant , & conferunt gratiam, vt ſatiantem, quia illā ſignificant, & conferunt tamquam cibus; ſpecies vero vini ſignificant,& conferunt illam, vt refrigerantem, quia illam ſignificant, & conferunt, vt potus.

171 Neq; obſtat, ſi dicas, quod in anima idem ſint fames, & ſitis, & quod eadem gratia ſit ſatians , & refrigerans , quia per eamdem gratiam fames, & ſitis anime extinguntur. Hoc inquam non obſtat, quia vt cuilibet ſpeciei diuerſo modo ſpecifico ſignificanti, & conferenti gratiam nouus ,& diſtinctus gradus gratie correſpondeat; nam etiam omnibus Sacramētis : quamuis eamdem gratiam ſignificent , & conferant , ſiue ad delenda peccata, ſiue ad magis iuſtificandum: diuerſus tamen gradus gratie correſpondet: quia illam quamuis eamdē, diuerſo modo ſpecifico ſignificāt, & conferunt. Ideo cuilibet ſpeciei ratione ſui : etiam quādo ſimul ſumuntur,correſpondet diuerſus gradus gratie;non quia in vtraque ſit perfectior, ſeu expreſſior ſignificatio gratie refectiue ; ſed quia in qualibet ratione ſui eſt ſignificatio gratie ſecundū ſpeciē diſtincta: quamuis ex vtraque integretur, & coaleſcat vna ſignificatio conuiuij refectiui : ideo vero plures ſpecies panis. (& idem eſt de pluribus ſpeciebus vini) quando ſimul ſumuntur non conferunt diuerſos, ſeu peculiares gradus gratie , quia ſumuntur per modum vnius , & non ſignificant gratiam diuerſo modo ſpecifico.

172 Secundo probatur hec ſententia à Patre Ioanne de di Caſtillo vbi ſupra num.215. quia ex oppoſita ſententia ſequeretur calicem per ſe loquendo rarò, aut numquam conferre aliquam gratiam;atque adeò in Cœna Domini nullum fructū gratie per ſe contuliſſe Apoſtolis, ſicut neque nunc Sacerdotibus, atque adeò non videtur per ſe inſtitutus ad conferendam gratiam, atqui hoc eſt planè falſum ergo & illud, ex quo ſequitur. Probatur ſequela, quia tunc in Cœna, & nunc in miſſa ſemper prius accipitur

ſpecies

ſpecies panis, & per illam accipit ſumens totam refectionem iuxta oppoſitam ſententiam: adeò, vt adueniente potu nihil gratię accreſcat per ſe loquendo, & nihil refectionis; cuius contrarium ſonant illa verba, quę ſępè in oratione quadam poſt Communionem dicimus; refecti cibo, potuque cęleſti, &c. Et ſępe patres ſanguini tribuunt effectus, vt videre eſt apud Cyprianum in authore libri de Cardinalibus operibus Chriſti homilia de Cœna Domini, vbi ait Deum dediſſe nobis poculum, vt non tantum exterius liniremur hoc ſanguine, ſed interius aſperſione omnipotenti anima muniretur, &c. Quę ibi latius explicat. Itē Diuus Ioannis Chryſoſtomus homilia 60. ad populum Antiochenum loquens de calice, & inuitans ad vbera populi ſpiritualis ſubiungit: Trahamus tamquam infantes lactentes ſpiritus gratiam. Sic etiam Cyrillus Hyeroſolymitanus Catecheſi Myſtagogica 4. panis eſt cœleſtis, & Calix ſalutaris, qui & animam, & corpus ſanctificant. Quarum Patrum verba vix aliquo congruenti ſenſu poſſint eſſe vera ſi ſemper id, quod collaturus erat ſanguis, iam inueniat collatum per corpus, & tota refectio; ſpiritualiſque potatio pręceſſiſſet in ſpecie panis.

173 Nec valet ſi reſpondeas eumdem effectum, quem cauſat hoſtia, cauſare etiam calicē. Hoc inquam non valet, quia abſque fundamento dicitur, & minus philoſophycè. Nam tota gratia intuitu Hoſtię prius ſūptę collata eſt, & vt aſſeris nihil accreſcit gratię, & quę data iam eſt independenter à calicis ſumptione data fuit: adeò vt ſi ante ſumptionem calicis homo moriatur, gratia in ęternū duratura ſit; quę ergo cauſalitas phyſica, vel moralis manet pro calice? effectus etiam illi auxiliorum, qui dantur ſecundariò tamquam effectus conſequentes gratiam Sacramentalem, nō minus independentes ſunt à ſumptione calicis: cum dentur immediatè ratione illius gratię iam collatę, quę vt effectus primarius fuit independenter à tali ſumptione, & ante illam accepta in anima: ergo de facto nullum effectum habet illa calicis ſumptio: ſed tantùm ad ſummum talis eſt, vt ſi non fuiſſet per ſumptionem hoſtię collata, conferretur per illa, quod tantum eſt eſſe cauſam: quaſi in actu primo, & non in actu ſecundo.

174 Tertio probatur hęc ſententia ab eodem de di Caſtillo, quia cum ex vno capite non deſit vis, & efficacia in vtraque ſpecie ad conferendam gratiam iuxta ſubiecti diſpoſitionem: ita vt altera ab altera per ſe independenter operetur quantum iuxtà Chriſti inſtitutionem poteſt; ex altero vero capite nullum ſit argumentum, vt id negemus fieri, non videtur rationi conſonum id negare ergo &c.

175 Secunda, & probabilior ſētentia negat conferri maiorē gratiam cęteris paribus ex opere operato per ſumptionem huius ſacramenti ſub vtraque ſpecie, quam ſub vna tantum: ita Diuus Thomas opuſcul. 58. cap. 29. & 3. parte quęſt. 80. art. 12. ad 3. Diuus Bonauentura in 4. diſt. 11. par. 2. art. 1. quęſt. 2. Riccardus art. 4. quęſt. 6. Sotus diſt. 12. quęſt. 1. art. 12. Caietan.

3. parte

3.part. quæſt.80.art.12.Syluius ibidem Suarèz in 3. parte diſp. 63. de Sacramentis ſect. 6. Bonacina tract.de Euchariſt. cap. 22. quæſt.7. Fagundez præcepto 3. Eccleſiæ lib.4. cap.4. n. 2. Petrus Sotus lect. 12. de Euchariſt. Bellarminus lib. 4. de Euchar. cap.23. Diana part. 3. tract.6.reſol.97.& part.5.tract. 13. reſol.29.Zacharias Paſqualigus in ſacra doctrina morali tom.2.diſp.117.ſect.3.num.21. Magiſter Marcus Serra in tert. parte Diui Thomæ quæſt. 80. art.12. dub. vnico, & alij communiter.

76 Probatur 1. noſtra ſententia ex Concilio Tridentino ſeſſ. 21. art. 3. *ibi inſuper* declarat, quamuis Redemptor noſter, vt antea dictum eſt in ſuprema illa Cœna hoc Sacramentum in duabus ſpeciebus inſtituerit, & Apoſtolis tradiderit: tamen ſatendum eſſe etiam ſub altera tantum ſpecie totum; atque integrum Chriſtum vtrumque Sacramentum ſumi; ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia neceſſaria ad ſalutem eos defraudari, qui vnam ſpeciem ſolam accipiunt, ergo ex mente Concilii Tridentini communio ſacramentalis ſub vtraque ſpecie non cauſat maiorem gratiam, quam ſub vna tantum ſpecie. Probatur conſequentia, quia ſi maiorem gratiam cęteris paribus cauſaret illi, qui hoc Sacramentum recipit ſub vtraque ſpecie; quam illi, qui ſub vna tantùm hoc Sacramentum accipit, ſequeretur, quod ille, qui ſub vna tantùm ſpecie nempè panis hoc Sacramentum accipit, priuaretur aliqua gratia neceſſaria ad ſalutem, atqui hoc eſt falſum, & contra Concilium Tridentinum, vt conſtat ex illis verbis: ac propterea quod ad fructum attinet nulla gratia neceſſaria ad ſalutem eos defraudari, qui vnam ſpeciem ſolàm accipiunt ergo falſum eſt aſſerere, quod ſumptio huius Sacramenti ſub vtraq; ſpecie cauſet maiorem gratiam, quam ſumptio tantum ſub vna ſpecie.

177 Ad hoc argumentum reſſpondet Pater de di Caſtillo vbi ſupra num. 219. quod in Concilio tantùm dicitur non priuari, aut defraudari ſuſcipientem gratià vlla ad ſalutem neceſſaria, quamuis autem priuetur gratia, quæ conferretur per ſumptionem alterius ſpeciei; quia illa non eſt neceſſaria ad ſalutem, ſufficit enim, quæ confertur per vnam tantũ ſpeciem. Imo (inquit Eruditus de di Caſtillo), in hoc ipſo apparet, quàm cautè, & prudenter loquatur Tridentinum: dum non dixit: nulla gratia defraudari; ſed nulla gratia ad ſalutẽ neceſſaria defraudari, vt vel ſic innueret quidquid ſit, an defraudetur aliqua gratia; certè nulla gratia ad ſalutem neceſſaria defraudari; quia nimirum per alterutram ſpeciem impletur ſufficienter præceptum ſumendi Euchariſtiam; cum per vtramlibet ſeorſim detur gratia nutrimenti ſpiritualis. Nam patres Concilij hoc decreuerunt contra hæreticos aſſerentes neceſſarium eſſe ad ſalutem ſumere hoc Sacramentum ſub vtraque ſpecie.

178 Fateor hanc reſponſionem Patris de di Caſtillo probabilem eſſe, & propter hoc oppoſitam ſententiam excuſari ab omni cẽſura, & vt ait Magiſter Soto in 4.diſt. 12. quæſt. 2. art. 12. nullam continere abſurditatem;

tem; nam & ſi vera eſſet, nullam iniuriam feciſſet Eccleſia ſecularibus priuando eos communione ſub vtraque ſpecie, quia pręcipuam curam debuit habere Eccleſia cauendi periculum effuſionis ſanguinis. Sed quamuis prędicta ſolutio, vt dixi probabilis ſit: tamen negari non poteſt noſtram ſententiam valdè inſinuari in prędictis verbis Concilij Tridentini. Tùm, quia nec gratia collata per vtramque ſpeciem eſt neceſſaria ad ſalutem, vt docet Diuus Thomas 3. par. quęſt. 82. art. 3. & in 4. diſt. 13. quęſt. 1. art. 3. quęſtiunc. 1. cum ſuſceptio huius Sacramenti etiam in articulo mortis non ſit neceſſaria eſſentialiter neceſſitate medij, & finis ad conſequendam vitam ęternã: ſed ſolũ neceſſitate pręcepti: & ideo Sacerdoti non ieiuno non licet miſſam celebrare ad prębendum viaticum infirmo moribundo, vt nos ſupra probauimus. Ergo Concilium non ſolum vult eos qui vnam tantum ſpeciem accipiunt, non defraudari gratia ſimpliciter neceſſaria ad ſalutẽ, ſed nec etiam neceſſaria ad melius, & perfectius ſalutem conſequendam, quam haberent ſi ſub vtraque ſpecie communicarent, & qua defraudarentur, ſi ſub nulla communicare prohiberentur. Tum etiam, quia Concilium eadem vtitur ratione, quã Diuus Thomas poſtea citandus, ſcilicet quia Chriſtus totus continetur ſub qualibet ſpecie; atqui hęc non ſolum probat non defraudari prędictos gratia ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem, ſed neque etiam ea, quam accipiunt Communicantes ſub vtraque ſpecie: ergo noſtra ſententia rectè deducitur ex verbis ſupra relatis Concilij Tridentini: probatur minor, nam vt hic oſtendit Caietanus §. ſecundum, quod cauſat gratiam, non eſt ſolùm, quod ex vi verborum continetur in hoc Sacramento, ſed etiam, quod per concomitãtiã in eo cõtinetur: alias Diuinitas huius Sacramenti gratiam non cauſaret: ergo cum Communicantes ſub ſpecie panis tantum non priuentur ſumptione ſanguinis, vt contenti in hoc Sacramento per concomitantiam etiamſi priuentur ſumptione eiuſdem ſanguinis, vt ex vi verborum in eo continetur, nulla prorſus gratia priuantur: gratia enim, quam cauſat ſanguis ſumptus, vt ex vi verborum cõtinetur in hoc Sacramento, cauſat etiam ſumptus, vt in eo continetur per concomitantiam.

179 Secundò probatur noſtra concluſio ex Diuo Thoma 3. parte quęſt. 80. art. 12. ſolutione ad 3. per hęc verba, poteſt autem à Populo Corpus ſine ſanguine ſumi; nec exindè ſequitur aliquod detrimentum: quia Sacerdos in perſona omnium sãguinem offert, & ſumit, & ſub vtraq; ſpecie totus Chriſtus continetur, vt ſupra habitum eſt. Atqui ſi maiorem gratiam reciperet, qui communicat ſub vtraque ſpecie, aliquod detrimentum ſequeretur populo ſumenti corpus ſine ſanguine ex maioris, ſcilicet gratię defectu: ergo ex mente Diui Thomę conſtat noſtra ſententia.

180 Tertio probatur ratione, quia Euchariſtia illam gratiam, quam ſignificat, cauſat, & nullã aliam: cum cauſet ſolùm ex vi ſignificationis; atqui vtraque ſpecies

Digitized by Google

ſpecies ſignificat vnam,& eamdem gratiam: ergo non poteſt cæteris paribus maiorem gratiam accipere ille, qui hoc Sacramentum ſumit ſub vtraque ſpecie, quam ille, qui ſub vna tantum: maior eſt certa, cum nulla cauſa poſſit cauſare effectum, quem in ſe non habet. Minor verò probatur 1. quia gratia, quæ ſignificatur in ſpeciebus ſacramentalibus eſt ſpiritualis refectio: hæc autem eſt vna, & eadem, non ſolum in anima, in qua non diſtinguitur fames, & ſitis: ſicuti in corporibus; ac proinde eſt vna, & eadem refectibilitas in ordine ad robur ſpirituale; ſed etiam reſpectu ſpecierum: nam cum ſignificent ſpiritualem refectionem poſſunt illos ſolummodò ſignificare quò fieri poteſt: atqui fieri poteſt vnico tantùm modo nempè augmento gratiæ in ordine ad robur Charitatis, & auxiliorum: non autem duplici, vt fit in corpore: ergo vtraque ſpecies ſignificat vnā, & eamdem gratiam. Secundo probatur eadem minor: quia ſpecies ex ſe præcisè non ſignificant, ſed ratione corporis, & ſanguinis Chriſti Domini, ratione cuius ratione cibi, & potus habent; ita vt ratio cibi, & potus conſiſtat in corpore, & ſanguine Chriſti Domini iuxta illud Ioannis 6. caro mea verè eſt cibus: & ſanguis meus verè eſt potus: ergo ſpecies concurrunt ſolùm, vt determinantes ad eſſe ſacramentale: ergo tota vis cibandi eſt in corpore Chriſti, quod eſt verus cibus; atque adeò etiam tota vis cauſandi refectionem. Ergo cum vna, & eadem ratio refectiua ſit ſub vtraq; ſpecie, quia totus Chriſtus eſt ſub vtraque ſpecie, cauſabit vnam, & eamdem refectionem: nec plus cauſabit vna ſpecies; quam ambæ cæteris paribus; quia cauſant ratione contenti.

181 Quarto probatur noſtra ſententia, quia, vt docēt Theologi in materia de Trinitate, licèt Pater, & Filius in diuinis ſint duo ſuppoſita realiter diſtincta: tamen, vt ſpirant Spiritum Sanctum tertiam Sāctiſſimæ Trinitatis perſonam, conſtituunt vnum tantum ſpiratorem; quia in vtraque perſona, ſcilicet Patris, & Filij eſt vna, & eadem virtus ſpiratiua: quamuis ſit in duabus hypoſtaſibus, et ſint duo ſpirantes, ſi quidem, quia non multiplicatur forma, neq; etiam multiplicatur principium ſpirandi: nam vnitas, et multiplicitas principii non attenditur ſecundum ſuppoſita, ſed ſecundùm formam ſpiratiuam. Ergo etiam in Euchariſtia, licet multiplicentur ſpecies, non multiplicabitur principium cauſatiuum gratiæ: quia non multiplicatur forma: nempè virtus refectiua, et cibatiua: ſiquidem virtus cibatiua, ſeu refectiua eſt corpus, et ſanguis Chriſti Domini, vt habetur Ioannis 6. caro mea verè eſt cibus, et ſanguis meus verè eſt potus, et idem omninò corpus, et ſanguis, qui eſt ſub ſpecie panis, etiam eſt ſub ſpecie vini: ergo neque etiam multiplicabitur refectio, ſed erit reſpectu vtriuſque vnus, et idem effectus.

182 Dixi in noſtra ſententia, et in probationibus eius cæteris paribus, quia ſi qui communicat ſub vtraque ſpecie: ſaltem quando recipit ſpeciem vini, melius eſſet diſpoſitus, quam qui ſub vna ſpecie communi-

cat, maiorem abſq; dubio gratiam reciperet; quam ille, et quam ipſe met recipit, quando ſub ſpecie panis cõmunicauit: nam Sacramenta melius diſpoſitis maiorem gratiam conferunt.

183 Antequam ad argumenta oppoſitæ ſententię reſpondeamus, notandum eſt ex Eminentiſſimo Cardinale Caietano in tertia parte queſtione 80. articulo 12. quod quia Sacramenta nouæ legis conferunt, quod ſignificant; ideò in duplici genere poſſunt conſiderari. Primo: quatenus conferunt, quod ſignificant, & ſic collocantur in genere cauſæ inſtrumentalis, aut quaſi inſtrumentalis. Secundo, quatenus ſignificant tantùm: & ſic collocantur in genere ſigni ſenſibilis: quare de inſtrumentis dupliciter loqui contingit, vel vt habent rationem cauſæ, vel vt habent rationem ſigni. Cum enim de virtute Sacramẽtorum eſt ſermo, ad cauſalitatem Sacramenti ſpectatur: virtus enim cauſalitatem ſonat, & ſimiliter cum de Sacramentali medicina eſt ſermo, ad cauſalitatem quoque ſpectatur: inter cauſas enim medicina collocatur. Et cum de efficacia; aut effectu alicuius Sacramenti agitur ad cauſalitatem ſpectatur: quando autem de ſignificato, aut ſignificatione Sacramenti eſt ſermo: Sacramentum tractatur in quantum ſignum. Itaquè Eucharistię Sacramentum & poteſt conſiderari in quantum ſignificat ſolùm, vel in quantum cauſat, quod ſignificat. Si cõſideretur Euchariſtię Sacramentum, vt eſt cauſa gratię, et quomodo eam cauſat tria ſunt prenotanda. Primum eſt, quod cauſans non eſt virtus aliqua in Sacramento, aut diuina aſſiſtentia: ſed eſt res contenta in Euchariſtia. Secũdum eſt, quod huiuſmodi res contenta cauſans nõ eſt minus res concomitantèr contenta: quam res contenta ex vi conuerſionis. Tertium eſt, quod res contenta in hoc Sacramento cauſat abſq; aliquo ſenſibili inſtrumento. Primum prænotatum, ſcilicet, quod res cauſans, ſeu conferens *ſpiritualem* fructum in ſumptione Euchariſtię eſt res contenta in Euchariſtia, ab omnibus conceditur, qui confitentur Chriſtum Dominum realiter contineri, ſub hoc Sacramento: ipſe enim Chriſtus Dominus perfectus Deus, et perfectus homo eſt largitor omnis fructus gratię, et eſt res contenta ſub hoc Sacramento. Secundum autem prænotatum, ſcilicet, quod non minus ad conferendum fructum huius Sacramenti concurrit res contenta concomitanter, quam res contenta ex vi Sacramenti, ſeu Conuerſionis, declaratur recolendo, quod dupliciter res aliqua continetur ſub hoc Sacramento, vel ex vi Sacramenti, ſeu conuerſionis; et ſic ſub ſpecie panis continetur Corpus Chriſti tantum; ita vt nec ſanguis, nec anima, nec Diuinitas ſic continetur ſub panis ſpecie, et ſimiliter in Calice ex vi Sacramenti ſolus ſanguis continetur: ita quod nec Chriſti Corpus, nec Anima, nec Diuinitas ſic continetur ſub ſpecie vini: vel concomitanter, et ſic ſub Hoſtia, ſeu ſpecie panis continetur tam ſanguis Chriſti Domini; quam

eius

Digitized by Google

eius Anima, & Diuinitas, & ſimiliter ſub ſpecie vini continentur concomitanter corpus Chriſti Domini, eius anima, & Diuinitas. Ex quibus conſtat, quod nec ſub ſpecie panis, nec ſub ſpecie vini continetur Chriſti anima. & ſimiliter Diuinitas: niſi concomitãter. Quo ſuppoſito ſecundum prænotatum oſtenditur ſic. Spiritualis fructus Euchariſtiæ nõ minus cauſatur à Chriſti anima & ab eius Deitate, quam à Chriſti corpore, ſeu ſanguine; atqui tam Deitas, quam anima Chriſti eſt res concomitanter exiſtens ſub hoc Sacramento: ergo non minus cauſat fructum ſpiritualem Euchariſtię res concomitanter contenta: quam res ex vi Sacramenti contenta. Tertium denique prænotatum; ſcilicet, quod Chriſtus Dominus in hoc Sacramento contẽtus confert per ſe ipſum, & non per aliquod ſenſibile inſtrumẽtum, ſpiritualem fructum, conſtat. Primo, ex eò quia, vbi eſt præſens agens ſufficiens per ſe ipſum, non eſt opus inſtrumento, nec conſueuit adhiberi inſtrumentum. Secundo, quia ſic ſe habet eſus, & potus Sacramentalis ad hoc alimentum ſpiritus, ſeu animæ: ſicut ſe habet manducatio, & potus naturalis ad alimentum corporale, atqui in nutritione corporali panis, & vinum non per inſtrumenta, ſed ſecundum ſe ipſa alunt: ergo ex hoc quod Chriſtus cõtinetur in hoc Sacramẽto, vt alimentum ſpirituale per ſeipſum, & non per aliquod ſenſibile inſtrumentum, confert ſpiritualem fructum.

184 Ex quibus cum eodem Caietano infero primo, quod in Calice, & Hoſtia non ſunt diuerſæ virtutes collatiuæ ſpiritualis gratię: ſed vna tantum eſt res vtrobique conferens: ſcilicet ipſe Chriſtus Dominus ſecundum ſeipſum, & non per virtutes medias. Secundo infero, quod in Hoſtia, & Calice Chriſtus Dominus non vtitur diuerſis inſtrumentis ad conferendum fructum ſpiritualem animæ: quia vtrobique nullo vtitur ſenſibili inſtrumento ad huiuſmodi collationẽ, & quia omni virtute media excluſa, & excluſo omni inſtrumento medio ex parte Chriſti pręſentis, nulla remanet differentia cauſandi, diſtribuendi, ſeu conferendi ſub vtraque ſpecie: niſi voluntas diuidens ſingulis prout vult. Tertio infero. Quod conſiderando Sacramentũ Euchariſtię intra latitudinem cauſæ, prout eſt collatiuum ſpiritualis gratiæ, nutritiuum animę, & medicina eiuſdem, nulla eſt differentia inter ſpecies ipſas inter ſe, & ſimiliter nulla eſt differentia inter vtramque ſimul, & alteram tantum: quoniam vt ex ſupradictis conſtat, vna, & eadem omninò abſque omni virtute media, & abſque omni ſenſibili inſtrumento medio eſt vtrobique, & in altera tantum cuiuſque ſpiritualis doni cauſa: ſcilicet ipſe Chriſtus Dominus perſonaliter pręſens ſecundum Deitatem, & humanitatem. Quibus ita ſuppoſitis.

185 Ad primum argumentum oppoſitę ſententię; reſpondetur, negando antecedens, & ad eius probationem reſpõdeo, negando ſimiliter antecedens, quoad ſecundam partem: nam licèt Sacramentum Euchariſtię

in quantum ſignificat tantum, dupliciter poſſit conſiderari: nempe, & diuerſitas ſigni, quia aliud ſignum eſt ſpecies panis cum ipſius eſu, & aliud ſignum eſt ſpecies vini cum eius potu, & diuerſitas modi ſignificandi. Et hęc inueniatur dupliciter, hoc eſt comparando ſpecies inter ſe, ſicut expreſſius ſignificatur redemptio noſtra per Chriſti Domini mortem, talis, in quo vt ſeparatus moſtratur ſanguis à corpore, quàm Hoſtia, & comparando vtramque; ſimul ſpeciem Sacramenti ad alteram tantum: nam vtraque ſimul ſignificat integrè refectionem ſpiritualem: ſingulę autem ſpecies imperfectè repręſentant illam, vna ſcilicet, vt cibum; & altera vt potum. Attamen nullam harum diuerſitatum (vt optimè docet Caietanus vbi ſupra) ſi diligenter perſpexerimus diuerſitatem aliquam in fructu ſpirituali huius Sacramenti arguit, quod ſic oſtendo. Primo: quoniam nec ſignorum diuerſitas, nec diuerſus modus ſignificandi diuerſitatem arguit in re ſignificata, atqui vna, & eadē res omninò immutata, & diuerſis ſignis diuerſimodè poteſt ſignificari, vt patet, vnùs idemque homo repręſentatur per imaginem in ſpeculo, & per ſtatuam, picturam &c. & ab vna perfectius, & ab alia imperfectius repręſētatur; ex his enim diuerſitatibus in ſignis, & ſignificationibus nulla circa rem ſignificatā moſtratur varietas: ergo ex diuerſitate ſignificandi in ſpeciebus Euchariſtię ſuperius aſſignata nulla arguitur diuerſitas in fructu ſpirituali huius Sacramenti. Secundo oſtendo exemplo Sacramenti baptiſmi, in baptiſmo enim immerſio ſiquidem, quę in celebratione baptiſmi fit ſignificat eum, qui baptizatur conſepeliri Chriſto, & emerſio ſignificat reſurgere eumdem cum Chriſto in nouitatem vitę iuxta illud Apoſtoli ad Romanos 6. conſepulti ſumus cum Chriſto per baptiſmū in mortem, vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis: ita & nos in nouitate vitę ambulemus. Si tamen aliquis baptizatur non per modum immerſionis, ſed per modum effuſionis, aut aſperſionis, tūc deficit baptiſmo dictus modus ſignificādi: & non propterea is, qui baptizatur minus eſt conſepultus Chriſto, aut minus reſurgit, in nouitatem vitę: quam ille, qui baptizatus eſt per immerſionē. Ergo manifeſtè ſequitur, quod diuerſitas, ſeu defectus in modo ſignificandi nihil adimit de fructu Sacramenti, & plenitudo in ſignificando nihil adiungit ad fructum Sacramenti: ęquale ſiquidem donum ex baptiſmo recipiūt baptizatus per immerſionem, & baptizatus per aſperſionem: quamuis magna ſit diuerſitas vtrobique in ſignificādo. Tertio oſtendo, quia aliud eſt diminutè, ſeu partialiter ſignificare, & aliud eſt ſignificare diminutum, ſeu partem. Primum inuenitur in ſingulis ſpeciebus ſeorſim huius Sacramēti. Secundum autem non; & vt patet non ſequitur ex primo: nam non valet conſequentia, ſpecies ſacramentalis panis, & vini diminutè, ſeu partialiter ſignificant ſeorſim: ergo ſignificant diminutum, ſeu partem. Similiter aliud eſt plenius, ſeu expreſſius ſignificare, & aliud

eſt

Digitized by Google

eſt pleniorem fructum ſignificare; & ſimiliter aliud eſt integrè ſignificare, et aliud totaliter ſignificare: deindè aliud eſt diuerſis ſignis ſignificari, & aliud eſt diuerſa ſignificari. Diuerſitas namque: tam ſignorũ: quam modorum ſignificandi in ſignis ipſis ſiſtit, & non pertrãſit ad rem ſignificatam, quia ſub conditione ſignorum, & nõ rei ſignificatæ, & propterea inter ſigna, & ſignorum conditiones aduertenda eſt differentia hæc, quod ſigno quidem reſpondet ſignatum, ſed diuerſitati ſignorum non reſpondet diuerſitas rei ſignatæ, & ſimiliter modis ſignificandi non reſpondet modus rei ſignificatæ. Et ratio eſt, quia vna, & eadem omninò immutata res poteſt diuerſis ſignis, & diuerſimodè ſignificari. Itaque in Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento exemplariter diuerſa ſunt ſigna: ſcilicet Hoſtia comeſta, & Calix bibitus; ſed non ſunt diuerſi Sacramenti fructus, ſed vnum, atque eumdem ſpiritualem fructum ſignificant; nam manducare, & bibere ſpiritualiter, vnum, & idē ſunt, vt teſtatur Diuus Pater noſter Auguſtinus ſuper Ioannem homilia 25. ſuper illa verba, qui venit ad me nõ exuriet, & qui credit in me non ſitiet in æternum Ioannis cap. 6. Inquit enim Pater noſter Auguſtinus, qui venit ad me, hoc eſt, quod ait, qui credit in me; & quod dixit non exuriet, hoc intelligendum eſt, & non ſitiet vnquam: vtroque enim illa ſignificatur æterna ſatietas vbi nulla eſt egeſtas. Vbi ex hoc, quod ſitire, & exurire ponitur idem, manifeſtè patet, quod manducare; & bibere ſunt idem, & quod alimentum ſatians eſu, & alimentum ſatians potu ſunt idem ſecundum rectum philoſophię iudicium iuxtà illud 3. phyſicorum ſi poſſet ſanari, & poſſet infirmari ſunt idem, ſanari, & infirmari ſunt quoque idem; & ſimiliter ſanitas, & infirmitas ſunt idem.

186 Nec obſtat ſi dicatur Euchariſtiam ſub vtraque ſpecie integrè repręſentare internam refectionem. Hoc inquam non obſtat, quia huiuſmodi integritas, ſeu totalitas repræſentandi non ſimpliciter, & abſolutè, ſed reſpectiuè ad ſingulas ſpecies intelligitur, tamquam ſi diceretur (vt benè notat Caietanus vbi ſupra §. diuerſi deindè modi ſignificandi) quod totum Euchariſtię Sacramentum repręſentat internam refectionem non partialiter, vt ſpecies panis: nec partialiter, vt ſpecies vini; ſed complendo vtrumque. Cum quo ſtat, quod vtrumque ſimul imperfectè illam repræſentat: ſed non ita imperfectè, ſicut alterum tantùm: ſingulę enim ſpecies, & ambæ ſimul repręſentant; non partem, ſed totam refectionem ſpiritualem animæ: ſed non repręſentatur totaliter ab aliqua earum, nec ambabus ſimul, nec ab innumeris alijs. Patet ergo diuerſitatem Sacramentalium ſignorum, & modorum ſignificandi in hoc Euchariſtiæ Sacramento nullam inferre diuerſitatem in fructu ſpirituali ſignificato. Itaque optima eſt ſolutio ſuperius poſita. Ad id autem, quod in contra arguitur à Patre Gaſpare Hurtado manifeſte patet ex dictis, & ita non occurrit

rit aliquid in particulari ad ſuas impugnationes reſpondere: nã omnes manent ſolutæ in reſponſione ſuperius data ad ſuũ argumentum principale.

187 Ad ſecundum argumentũ oppoſitæ ſententiæ reſpondetur diſtinguendo ſequelam: ſequeretur Calicem per ſe loquendo rarò: aut nunquam conferre aliquam gratiam ſi quando Sacerdos recipit ſpecies vini eſt melius diſpoſitus: nego ſequelam: ſi non eſt melius diſpoſitus concedo ſequelem. Cuius rationem aſſignat Caietanus in Commentario in 3. par. quæſt. 80. art. 12. ſuper ſolutione, ad quartum argumentum Diui Thomæ: quoniam idem eſt vtrobique agens & id faciens, ęqualiter vtrobiq; diſpoſitum, & proindè quoad interiorem fructum ſe habet: ac ſi poſt ſumptam Hoſtiam vnam aliam ſumeret, vt contingit Sacerdotibus ſumentibus reliquias Sacramenti. Nec valet ſi dicas ſemper quando communicans ſub vtraq; ſpecie ſumit ſpecies vini, eſſe magis diſpoſitum: nam iam habet maiorem gratiam habitualem. Hoc inquam non valet: nam reſpondetur cum Docto Magiſtro Marco Serra in 3. parte quæſt. 80. art. 12. dub. vnic. ſolut. ad primum argumentum: gratiam habitualem, quæ per ipſum Sacramentum cõfertur, nullo modo diſponere ad gratiam, quæ per ipſum Sacramẽtum cauſatur: quia ſimul eſſet diſpoſitio ad Sacramentum, & effectus eiuſdem Sacramenti. Et quamuis poſt gratiæ collationem duret ſumptio Sacramenti; reſpectu tamen diuinæ acceptationis iam cenſetur moraliter peracta, quia Deus intuitu totius ſumptionis, & tãquam effectum totius Communionis gratiam confert, cum primum ſumitur ſpecies panis, aut prima Hoſtia cum eadem prorſus diſpoſitione, qua ſumitur ſpecies vini, aut ſecunda Hoſtia. Et in hoc ſenſu intelliguntur illa verba à Patre Ioanne de di Caſtillo allegata in oratione, quam poſt Communionem dicimus refecti cibo potuque cæleſti, & in eodem ſenſu loquuntur ſancti Patres ab eodem de di Caſtillo *ibidem* allegati.

188 Ad tertium argumentum eiuſdem ſententiæ reſpondetur ſolùm conuincere, quod ſi, qui communicat ſub vtraque ſpecie ſaltem quando recipit ſpecies vini melius eſſet diſpoſitus: quam qui ſub vna ſpecie communicat maiorem gratiam reciperet: quam ille, & quam ipſemet recipit quando ſub ſpecie panis communicauit: nam ſacramẽta melius diſpoſitis maiorem gratiam conferũt quod nos non negamus: imò libenter fatemur: non autem probat quod quælibet ſpecies ſacramẽtalis, quando ab eodem ſumũtur, quælibet per ſe cauſet in recipiente diſtinctam, aut diuerſam gratiam, quod erat neceſſe ad conuincendum, quod qui recipit Euchariſtiam ſub vtraque ſpecie cęteris paribus ex parte diſpoſitionis ſubiecti recipientis accipit maiorem gratiam, quam ille, qui ſub vna tantum ſpecie hoc Sacramentum recipit, quod non poteſt probari, quia ſequeretur, quod quęlibet ſpecies ſacramentalis cauſaret partem effectus huius Sacramenti, quod eſſe falſum,

ſupra

Digitized by Google

ſupra oſtendimus cum Eminẽtiſſimo Caietano. Aliud enim eſt vt ſupra diximus, quòd ſpecies ſacramentales partialiter cauſent effectum totalem., & adæquatum huius Sacramenti iuxta diſpoſitionem ſubiecti.; aliud vero, quòd qualibet ſpecies ſacramentalis independẽter ab alia cauſet partem effectus huius Sacramenti. Primum eſt verum: ſecundum verò falſum vt ſupra oſtẽdimus. Quod poteſt declarari exemplo phyloſophico, in ſententia enim, quæ aſſerit, quod de potentia Dei abſoluta poſſunt duæ cauſæ efficientes producere eumdem numero effectum. DD. qui eã ſequuntur in 2. libro phyſicorum inquiunt, quòd qualibet cauſa producit totum illum effectum, licet non totaliter totalitate cauſæ: bene tamen totalitate effectus, cum totus effectus à qualibet cauſa producatur. Sic ſimiliter in noſtro caſu ſeruatis ſeruandis, ſpecies ſacramentales panis, & vini sũt cauſa totalis productiua effectus totalis huius Sacramenti: nempè gratiam cibatiuam, & potatiuam, vt ſic loquamur: attamen, quia in qualibet ſpecie ſacramentali continetur totus Chriſtus Dominus, & quo ad eius Corpus ſanguinem, & Diuinitatem, ſcilicet ſub ſpecie panis ex vi verborùm tantùm corpus Chriſti, & concomitanter eius ſanguis, & diuinitas, ſub ſpecie autem vini ſanguis Chriſti ex vi verborum concomitanter autem Corpus eius, & Diuinitas; & ſic qualibet ſpecies Sacramentalis cauſat totũ effectum huius Sacramenti totalitate effectus iuxta diſpoſitionem ſubiecti modò ſuperius in hac reſolutione explicato; & ſic qualibet ſpecies Sacramentalis dicitur cauſare gratiam cibationis, & potationis. Ex quo manifeſte infertur non recipere maiorem gratiam, qui ſub vtraque ſpecie hoc Sacramentum recipit, quam qui ſub vna tantum cæteris paribus.

RESOLVTIO DVODECIMA.

Vtrùm ſi ęgrotus in articulo mortis conſtitutus non poſſit deglutire Hoſtiam conſecratã ad recipiẽdum Sacrum Viaticum, miniſtranda ſit ei ſpecies vini?

189 PRo reſolutione huius difficultatis notandum eſt primo, non eſſe per ſe malum: nec iure diuino prohibitum vnam ſpeciem ſacramentalem ſumere ſinè alia, & quod nõ ſit per ſe malum ex eo conſtat: nã res contenta tota ſubeſt ſingulis ſpeciebus; ſignificatio quoq; ſcilicet vnio membrorum cum Chriſto, vel inter ſe, per vnicam ſpeciem ſufficienter repræſentatur; demum integer effectus confertur per ſingulas ſpecies, vt reſolutione præcedenti probauimus: ergo non eſt contra ius naturale ſumere dumtaxat vnam. Quod autem non ſit contra ius diuinum probatur, quia Chriſtus Dominus aliquando ſub ſpecie ſolius panis prębuit Euchariſtiam nimirum diſcipulis in Emaus, vt conſtat Lucę cap. 24. quare nec diuinum pręceptum obligat ad alteram ſpeciem determinatè ſumendã: ſed confusè ſolùm, vt docent Bellarminus de Euchar. lib. 4. cap. 27. ad octauum Suarez to. 3. in 3. par. diſp. 80. ſect. 2. & alij.

190 Secundo notandum eſt sẽper

per habuiſſe Eccleſiam poteſtatem, vt in Sacramentorum diſpenſatione ſalua ipſorum ſubſtantia, vel ſtatueret, vel mutaret, quę ſuſcipientium vtilitati, vel ipſorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, ac locorum varietate magis expedire iudicaret, ſic definit Concilium Tridentinum ſeſſ.21.cap.2, per hęc verba: præterea declarat hanc poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe; vt in Sacramentorum diſpenſatione ſalua illorum ſubſtantia,ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium vtilitati, ſeu ipſorum Sacramentorū venerationi pro rerum temporum, & locorum varietate magis expedire iudicaret; id autē Apoſtolus ad Corinthios 4. & 2. ad Corinthios 6. non obſcurè viſus eſt innuiſſe, cum ait: ſic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti,& diſpenſatores miſteriorum Dei, atque ipſum quidem hac poteſtate vſum eſſe ſatis conſtat cum multis alijs, tum in hoc ipſo Sacramento: cum ordinatis nonnullis circa eius vſum: cætera inquit, cum venero diſponam. Vtens igitur Eccleſia hac poteſtate validè prudenterque prohibuit vſum Calicis, ſeu ſanguinis Chriſti omnibus extra ſacrificium cōmunicantibus: ſic dictum Cōcilium Tridentinum dicto cap. 2. vbi proſequitur, quare cognoſcens Sancta Mater Eccleſia hanc ſuam in adminiſtratione Sacramētorum authoritatē, licet ab initio chriſtianæ religionis non infrequens vtriuſq; ſpeciei vſus fuiſſet; tamen progreſſu temporis latiſſimè iam mutata illa conſuetudine, grauibus, & iuſtis cauſis adducta hanc conſuetudinem ſub altera ſpecie cōmunicandi approbauit, & pro lege habendam decreuit, quam reprobare, aut ipſius Eccleſiæ authoritate, pro libito mutare non licet. Et Canone 2. eiuſdem ſeſſionis per hęc verba: ſi quis dixerit ſanctā Eccleſiam Catholicam non iuſtis cauſis, & rationibus adductam fuiſſe vt laicos atq; etiā Clericos non conficientes, ſub panis tantummodo ſpecie cōmunicarent, aut in eo erraſſe anathema ſit.

191 Tertio notandum *eſt* poſſe Eccleſiam diſpenſare in hac prohibitione cum ſit ſolius iuris Eccleſiaſtici; validè quidem ſine cauſa, licitè verò ſi cauſa ſubſit. Sic Clemens 6. diſpenſauit cum Rege Gallię. Paulus Tertius cum Bohæmis, ſi retractarent errorem. Sic Romę Diaconus miniſtrans in miſſa ſollemni Summo Pontifici ſub vtraque ſpecie communicat, ſic Imperator dum coronatur vtramque ſpeciem recipit. Rex Galliæ, tum in coronatione, tum in mortis articulo; Greci communiter; nec ideò reprehenduntur: nam id faciunt ex Eccleſię conſenſu ſaltem præſumpto.

192 Quo ſuppoſito, quod *in* hac reſolutione inquirimus, *eſt* vtrum in articulo mortis ſtante pręcepto diuino obligante infirmo moribundo ad recipiendam ſacram Euchariſtiam per modum viatici, ſi ob grauitatē ſuę infirmitatis infirmus non poſſit deglutire Hoſtiam conſecratam, poſſit Parochus licitè ei adminiſtrare hoc Sacramentum ſub ſpecie vini. Affirmatiuè reſpondet Doctor Don Petrus de Ochogauia de Sacramentis tract.2. de Euchariſtię effectibus, & vſu queſt.18. n.9. quam

quam ſententiam affirmat tenere aliquos recentiores, quem ſequitur Pater Leander à Sanctiſſimo Sacramento parte 2. tract.7. de Euchariſt.quæſt.31. citans pro hac ſententia Henriquez lib.8. cap.44.num. 2. in margine littera E. & num.7. ex Concilio Toletano 11. cap. 11. & Carthaginenſi 4.cap.76. Nugnum in 3.part.to.1.quæſt. 80. art.12.concl.3. Fundamentum huius Doctoris eſt, quia in articulo mortis obligat præceptũ diuinum de accipienda Euchariſtia per modum viatici; atqui præceptum diuinum præferendum eſt humano præcepto de non ſumenda ſpecie vini, à laicis: ergo in articulo mortis licitum eſt infirmo moribundo Sacram Euchariſtiam adminiſtrare ſub ſpecie vini, quandò Hoſtiam conſecratam minime deglutire poteſt.

193 Secunda, & vera ſententia negat in tali caſu eſſe miniſtrandam ſpeciem ſanguinis: ita Suarez tom.3. in 3.part.diſput. 80. ſect. 3. in fine Fagundez præcepto 3.lib.3.cap.4. numer.20. Mercerus quæſt.80.articul.12. propoſition. 2. Pitigianus in 4. tom.1.diſt.8.quæſt.3.art.6. Sylnius ad artic.12. quæſtionis 86. 3.partis Diui Thomæ 5. quæritur 4. Pater Ioannes de di Caſtillo tom.1.de Sacram.tract.4. de Euchariſt.diſp.10. dubit.11. Probatur hæc ſententia, quia quando præceptum diuinum non obligat in aliquo caſu, in quo inſtat obligatio præcepti Eccleſiaſtici poſitiui, ſeruari debet præceptum poſitiuum Eccleſiaſticum; atqui in articulo mortis, quando infirmus ob grauitatem ſuæ infirmitatis nõ poteſt deglutire Hoſtiam conſecratam, non obligat præceptum diuinum de recipienda Euchariſtia per modum Viatici, & ſtat pręceptũ poſitiuum Eccleſiaſticum prohibens laicis ſumptionem Euchariſtiæ ſub ſpecie vini: ergo in dicto caſu non poteſt Parochus, aut quiuis alius prædicto infirmo Euchariſtiam miniſtrare ſub ſpecie vini. Maior eſt certa; & minor communiter recipitur à DD.quia cum pręceptum diuinum communicandi in extremo mortis periculo ſit affirmatiuum, non obligat cum periculo irreuerentię, nec tunc ius humanum Eccleſiaſticum pręfertur Diuino: ſed occaſione iuris humani tales concurrunt circumſtantiæ morales, vt ius Diuinum non obliget.

194 Ad fundamentum Doctoris D.Petri de Ochagauia, reſpondetur diſtinguendo maiorem: Pręceptum diuinum de recipienda Euchariſtia obligat in articulo mortis, quando adeſt legitimus Miniſter, qui poſſit Euchariſtiam adminiſtrare, & infirmus poſſit eam recipere abſque irreuerentia Sacramenti concedo maiorem: obligat in dicto mortis articulo ſi non adeſt miniſter legitimus, qui poſſit eam adminiſtrare, vel ob aliquas circumſtantias moraliter occurrentes, in dicto caſu non poteſt Euchariſtia infirmo adminiſtrari abſque irreuerentia, aut periculo illius: nego maiorem. Cum autem in caſu propoſito, quo ægrotus in articulo mortis conſtitutus non poſſit deglutire Hoſtiam conſecratam, non poteſt ei adminiſtrari Sacramentũ Euchariſtiæ ſub ſpecie vini abſq; magno periculo irreuerẽtię huius Sacramenti ob effuſionis periculum; ideò pręceptum diuinũ,

Digitized by Google

de ſacra Euchariſtia recipiẽda, non obligat: quare neganda eſt minor, quia cum in dicto caſu non obliget, vt diximus pręceptum diuinum communicandi in mortis articulo, non poſſumus dicere, quòd pręceptum humanum præfertur præcepto diuino: nam adhoc, vt hęc propoſitio eſſet vera, erat neceſſe vt in dicto caſu obligaret pręceptum diuinum de ſumenda Euchariſtia; cum autem non obliget, ſeruandum eſt ius humanũ prohibens laicis ſumere Euchariſtiam ſub ſpecie vini.

RESOLVTIO DECIMA TERTIA.

Vtrùm in aliquo caſu liceat laicis bibere Calicem abſque ſpeciali diſpenſatione Sũmi Pontificis.

Negatiuè reſpondet Sotus in 4. diſt. 13. quęſt. 2. art. 6. ad primum, & Toletus lib. 2. cap. 9. aſſerentes nunquã poſſe laicum ſumere ſpecies ſanguinis, quamuis ſpecies vini corrumpenda ſit. Fundamentũ huius ſententię eſt, quia quando prohibitio legis eſt abſoluta, & abſq; aliqua exceptione; abſolutè intelligenda eſt iuxta illam regulam iuris vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus; atqui Eccleſia abſolutè prohibet laicis ſumptionem Euchariſtię ſub ſpecie vini: ergo in nullo caſu licitũ eſt laicis Euchariſtiam ſumere ſub tali ſpecie vini.

195 Dicendum eſt tamen in aliquibus caſibus licere abſque Eccleſię diſpenſatione laicis ſacram Euchariſtiam ſub ſpecie vini ſumere, ſcilicet ſi Sacerdos poſt conſecratum Calicem ante ſumptionem illius deficiat, nec adſit alius Sacerdos, à quo poſſet ſumi, & prudenter timeatur ſpecies vini conſecrati, vel deuenturas in infidelium poteſtatem, vel effundendas, vel corrumpendas; deinde ſi ſanguis Dominicus cadat in terram, nec adſit Sacerdos, qui velit illum lambere: Ita Vaſquez in 3. par. tom. 3. diſp. 216. cap. 4. num. 47. Suarez. tom. 3. in 3. par. diſput. 71. ſect. 5. Coninch. quęſt. 83. nu. 271. Filliuc. tract. 4. num. 203. Fagundez pręcept. 3. lib. 3. cap. 4. num. 20. Diana par. 5. tractat. 3. reſolut. 34. ſed quidquid ſit de hoc caſu Pater Franciſcus de Lugo de Sacram. lib. 4. de Euchar. cap. 12. quęſt. 1. num. 8. Leander à ſanctiſſimo Sacramento par. 2. tract. 7. de Euchar. diſp. 10. quęſt. 30. Probatur hęc ſententia, quia ceſſante fine legis intelligitur lex ceſſare; atqui finis legis Euchariſtię prohibentis laicis communicare ſub vtraque ſpecie eſt ob maiorem reuerẽtiam huius Sacramenti: ergo nõ debet obligare cum periculo maioris irreuerẽtiæ; atqui caſu, quo adeſſet periculum ſpecies vini conſecrati, vel deuenturas in infidelium poteſtatem, vel effundendas, vel corrumpendas, ſequeretur maior huius Sacramenti irreuerentia, aut eſſet in manifeſto periculo illius: ergo lex Eccleſiaſtica prohibens laicis ſumptionem Euchariſtię ſub ſpecie vini in tali caſu non obligat.

196 Ad fundamentum oppoſitę ſententię reſpondetur diſtinguendo maiorẽ: quando lex abſolutè aliquid prohibet abſolutè intelligenda eſt; ſi nullũ maximũ incõueniens ſequatur ex illius obſeruatione cõcedo maiorẽ: ſi aliquod maximũ inconueniens ſequatur ex tali obſeruatione legis nego maiorem, & con-

Digitized by Google

conceſſa minori nego cõſequẽtiã: nã lex poſitiua Eccleſiaſtica non obligat in hoc caſu cum manifeſto periculo maioris irreuerentiæ huius Sacramenti qualis reputatur, vel infideliũ irriſio: vel ſpecierum corruptio &c. ſicut præceptum Eccleſiaſticum obligans omnibus fidelibus ſumere Euchariſtiam ſeruato ieiunio naturali non obligat in caſu, quo quis minetur mortem Sacerdoti: niſi celebret non ieiunus: vel etiam laico niſi cõmunicet poſt violatum ieiunium (non quidem in contemptum Eccleſiæ, vel præcepti: ſed ob alios fines) in quo caſu poſſet Sacerdos celebrare: vel laicus communicare non ieiunus; ſicut etiam poſſet cenſura ligatus: vt docet Syluester verbo Euchar. 2. nu. 10. Doctor D. Petrus Ochogauia de Sacram. tract. 2. de Euchar. effectibus, & vſu quæſt. 12. n. 15. Diana par. 5. tract. 3. reſol. 39. Pat. Franciſcus de Lugo de Sacramentis lib. 4. de Euchariſt. cap. 7. quæſt. 7. n. 68. & alij.

RESOLVTIO DECIMA QVARTA.

Vtrum ſpecies Sacramentales frangant ieiunium naturale.

197 AFfirmatiuam ſententiam tenet Pater Fagundez in præcepta Eccleſiæ præcept. 3. lib. 3. cap. 7. nu. 11. vbi in primis ſupponit tamquam cõmunem Doctorũ ſententiam (cũ Diuo Thoma 3. parte quæſt. 80. art. 10. ad 4.) nõ licere alicui bis in die communicare: ſic enim inquit Diuus Thomas ad 4. dicendum, quod quia Dominus dicit panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, non eſt pluries in die communicandum: vt ſaltem per hoc, quod aliquis ſemel in die communicat, repręſentetur vnitas paſſionis Chriſti. Cuius rationem reddit Fagundez, quia id vetat Eccleſiæ conſuetudo vniuerſalis, quæ conſuetudo obligat ſub præcepto. Deindè quia ſi ſecundò quis communicet cũ in prima communione ſumat ablutionem: iam ſecundò cõmunicare non poterit ieiunè, vt patet: imò quamuis ablutionem non ſumat: ſed ſolam particulam hoſtię, iam ieiunus non cõmunicabit ſecundo, ac proinde nec licitè. hæc Fagundez dic. num. 11.

198 Quæ ſententia poteſt ſic probari, quia ſi ſpecies Sacramentales non frangerent ieiuniũ naturale, ſequeretur, quod eſſet dabilis caſus, in quo poſſet aliquis frangere ieiunium Eccleſiaſticum abſque fractione ieiunij naturalis: ſed hoc eſt falſum: ergo, & illud, ex quo ſequitur. Probatur ſequela manifeſtè; quia caſu, quo aliquis Sacerdos tantam quantitatẽ hoſtiarum cõſecratarum ſumeret in die ieiunij Eccleſiaſtici quãta ſufficeret ad ſubſtẽtationem naturalem corporis: abſque dubio frangeret ieiunium Eccleſiaſticum, cuius finis ordinatur ad corporis macerationem v. g. ſi Sacerdos grecus tantam quantitatem panis cõſecraret, & ſumeret, quanta ſufficeret, ſi non conſecrata ſumeretur, ad fractionem ieiunij Eccleſiaſtici. Atqui ſecundum oppoſitam ſententiam ſumptio ſpecierum Sacramentalium non frangit ieiunium naturale: ergo erit dabilis caſus, in quo aliquis frãgeret ieiunium Eccleſiaſticum abſq; fractione ieiunij naturalis.

Digitized by Google

199 Dicendum tamen eſt ſpecierum ſacramentalium ſumptionem non frangere ieiunium naturale; niſi ſumatur ablutio: ita Pat. Thomas Hurtado par. 2. reſolutionum moraliũ tract. 11. cap. 9. reſol. 5. num. 285. vbi ſic ait: item ſuppono contra Fagundez præcept. 3. lib. 3. cap. 7. num. 11. Hoſtiam conſecratam, niſi ſumatur ablutio, ieiunium non frangere naturale ab Eccleſia ſtatutum ante communionem. ita ille. Franciſcus Amicus in curſu Theologiæ tom. 7. diſp. 27. ſect. 2. num. 14. quatenus cũ alijs aſſerit Sacerdotem poſſe pluries celebrare non ſolum in feſto Natalis Domini: ſed etiam vrgente aliqua neceſſitate, vt habetur in cap. conſuluiſti de celebrat. Miſſar. qualis eſſet ad communicandũ moribundum; vel ad ſatisfaciẽdum duabus Parochijs, quarum curam haberet Parochus, & non poſſet propter paupertatem Vicarium ſubſtituere, in quibus caſibus communiter cõcedunt DD. poſſe Sacerdotem pluries in die celebrare, & conſequenter communicare; cum prohibitum ſit Sacerdoti ſacrificanti de ſacrificio non participare cap. comperimus de conſecrat. diſt. 2. modò ieiunus celebret; aliàs his caſibus non liceret nõ ieiunũ celebrare: ita Pat. Franciſcus Amicus, quem ſequitur Pater Antoninus Diana par. 1. tract. 6. reſol. 15.

200 Probatur 1. hæc ſententia ratione, quam affert Thomas Hurtado vbi ſupra, quia Concilia, & Diuus Pater noſter Auguſtinus agentes de hoc ieiunio naturali ſolum prohibent manducationem, & potum alimentorum naturalium, & vſualium, & hoc ob reuerentiam, & venerationem tanto Sacramento debitam: hoc placuit Spiritui Sancto in honorem tanti Sacramenti ait Pater noſter Auguſtinus. Atqui prius communicaſſe non tollit nouitatem requiſitam ad hanc venerationem: cum panis hic ſit cæleſte alimentum, quia, & ſi corpus nutriat, & illud manducans in propriam ſubſtantiam ſpecies ſacramentales conuertat: tamen ſubſtantiam panis nõ manducat, ſed corpus Chriſti: ergo ſumptio ſpecierum Sacramentalium non frangit ieiunium naturale. Et quod fideles non poſſint pluſquam ſemel in die communicare, non prouenit ob defectum ieiunij naturalis, ſed ex prohibentis Eccleſiæ conſuetudine.

201 Secundo probatur, quia in die Natalis Dñi omnes Sacerdotes tres miſſas celebrãt: dũ non ſumant ablutionem; niſi in vltima miſſa: nam ſi in prima, aut ſecunda ablutionem ſumãt, nõ poſſunt vlterius celebrare: ergo ſignum euidens eſt; quod ſumptio Hoſtiæ conſecratæ non frangit ieiunium naturale: probo conſequentiam: nam Eccleſia ſolùm præcipit ſacerdotibus, vt ablutionem non ſumãt in prima, & ſecunda miſſa; & quod ſi ſumant in prima etiam inuoluntariè aliam miſſam non celebrent in dicto die: ergo ſignũ eſt, quòd ablutionis ſumptio frangit ieiunium naturale, & nullo modo ſumptio Hoſtiæ conſecratæ, ſeu ſpecierum Sacramentalium.

202 Ad hoc argumentum reſpondet Fagundez vbi ſupra dicto numer. 11. quod ſi in die Natalis Domini conceditur ſacerdotibus ter celebrare poſt communionem ante ſumptionem

nem ablutionis id prouenit ex priuilegio, quod excedere nõ poſſunt abſque graui, & læthali culpa. Sed hæc ſolutio nihil valet: nam licet Eccleſia diſpẽſet in trina celebratione miſſarum in illa die; ſiquidem non licet abſque iuſta cauſa Sacerdotibus bis, aut ter in eadem die celebrare etiam non ſumpta ablutione, ſed poſt ſumptionem ſpecierum ſacramentaliũ dumtaxat, cum hoc ſit prohibitum ab Eccleſia ex communi vſu, & conſuetudine ipſius Eccleſiæ, vt docet Diu. Thomas 3.par.quæſt.80.artic.10.ad 4. & cum eo communiter Theologi vt ſupra diximus: tamen Eccleſia in die Natalis Domini nullo modo diſpenſat in ieiunio naturali, vt Sacerdotes poſſint in dicta die ter celebrare poſt communionem ante ſumptionem ablutionis: ergo euidẽter ſequitur ſumptionem ſpecierũ ſacramentalium non frangere ieiunium naturale. Probo antecedens quoad ſecundam partẽ, ſcilicet, quòd in dicta die Natalis Domini Eccleſia non diſpenſet in violatione ieiunij naturalis, vt poſſint Sacerdotes tres miſſas in dicta die celebrare, quia ſi Eccleſia diſpenſaret in dicto caſu in ieiunio naturali, poſſent Sacerdotes etiã ſi in prima miſſa ablutionem ſumerent, alias duas miſſas in dicto die celebrare: quod eſt falſum, vt potè ab Eccleſia prohibitũ: ergo Eccleſia in dicta die non diſpenſat in violatione ieiunij naturalis ad ter celebrandum; probo antecedens, ideò per ipſum Fagundez Sacerdotes in die Natalis Domini poſſũt tres miſſas celebrare poſt communionem, ſeu ſumptionem ſpecierum Sacramentalium, quia licèt prima ſumptio ſpecierum ſacramentalium frangat ieiunium naturale: adeſt diſpenſatio Eccleſiæ ad duas alias miſſas celebrandas à Sacerdote in dicta die; atqui ſumptio ablutionis in prima miſſa ſolum poteſt frangere ieiunium naturale, vt ex ſe notum eſt: ergo ſi Eccleſia diſpenſat in dicta die Sacerdoti inuiolationem ieiunij naturalis in prima miſſa ad alias duas miſſas celebrandas: poterit vtique Sacerdos licitè poſt ablutionis ſumptionem alias duas miſſas celebrare; atqui hoc eſt falſum, et contra Eccleſiæ diſpoſitionem, vt patet: ergo falſum eſt aſſerere, quod Eccleſiã in die Natalis Domini ad trinam miſſarum celebrationem diſpenſet in ieiunio naturali, & conſequenter, quod ſũptio ſpecierum ſacramentaliũ ieiunium frangat naturale.

203 Tertio probatur, quia ſi ſumptio ſpecierum ſacramentalium frangeret ieiunium naturale, nullus caſus daretur, in quo etiam vrgente aliqua neceſſitate poſſet Sacerdos bis in die celebrare; atqui hoc eſt falſum, & contra communem Doctorum conſenſum; ergo & quod ſpecierum ſacramentalium ſumptio frangat ieiuniũ naturale: probatur minor, quia ferè omnes Doctores concedunt, quod Sacerdos poſt ſumptionem ſpecierum ſacramentalium non ſumpta ablutione poteſt iterum celebrare, & ſe communicare ad præbendum ſacrum viaticum infirmo in articulo mortis conſtituto, & etiam aſſerunt, quod ad ſatisfaciendum duabus Parochijs, quarum curam habet Parochus poteſt in die feſtiua duas miſſas celebrare, non ſumendo

Digitized by Google

ſi prima ablutionem: qui caſus communiter in Hiſpania pratticatur de ſola licentia Epiſcopi, quando Parochus non poteſt propter paupertatem Vicarium ſubſtituere: ergo infertur manifeſtè ſumptionem ſpecierum ſacramentalium ieiunium naturale non violare.

204 Ex dictis infero cum Patre Thoma Hurtado vbi ſupra nu. 287. quod ſi Sacerdos non ſumpta ablutione communicauit, poterit ſecundo celebrare ſi neceſſitas adſit vrgens; & ratio eſt: quia vt diximus in numer. pręcedenti; Sacerdos poteſt in aliquibus caſibus bis in die celebrare: ergo poterit communicare ſemel, & ſemel celebrare ſi adſit neceſſitas, quę autem ſit ſufficiens cauſa prudentis arbitrio relinquendum eſt; qui omnes circumſtantias conſiderabit.

205 Ad fundamentum oppoſitę ſententię reſpondetur: concedendo ſequelam: nam licèt ſumptio ſpecierum ſacramentalium non frangat ieiunium naturale; tamen ſi in magna quantitate ſumantur vt in caſu in argumento propoſito, poſſunt frangere ieiunium Eccleſiaſticum, & diſparitas in vtroque caſu eſt: nam vt benè notat Diana dicta part. 11. tract. 6. reſolut. 159. quòd in caſu de ieiunio naturali ſumptio particulæ conſecratæ non eſt contra finem præcepti, qui eſt reuerentia debita tanto Sacramento; ſed in caſu de ieiunio Eccleſiaſtico ſumptio magnę quantitatis formularum eſt contra finem pręcepti, qui eſt maceratio carnis per vnicam tãtùm commeſtionem conceſſam in die ieiunij, vt communiter docent DD. quia per illam ſumptionem formularum in magna quantitate in die ieiunij quis nutriretur, & viueret ſi tantum particulas conſecratas comederet: ergo frangeret ieiunium Eccleſiaſticum abſq; fractione ieiunij naturalis.

206 Pater Antoninus Diana: quamuis nobiſcum ſentiat ſũptionem ſpecierum ſacramentalium ieiunium naturale non violare: nihilominus conuinctus vi fundamenti contrariæ ſententiæ in illam maximè ſe inclinat: nam poſtquam aſſignauit, ſtando in opinione Patris Hurtadi diſparitatem à nobis ſuperius relatam inter ieiunium naturale in ordine ad ſumptionem ſpecierum Sacramentalium; & ieiunium Eccleſiaſticum immediatè proſequitur. Sed ſi tibi non arridet hæc reſponſio: dicam cum Fagundez, quod per ſumptionem particulæ conſecratæ frangitur ieiunium naturale. Ergo & per ſumptionem magnę quantitatis formularum frangitur etiam ieiunium Eccleſiaſticum, vt ſupra à nobis probatum eſt. Ita Diana vbi ſupra.

207 Sed hęc doctrina mihi non placet, quia ſequeretur omnia inconuenientia, quę in fundamentis noſtrę ſententię aſſignauimus: ſi particulę conſecratę ſumptio frangeret ieiunium naturale: ergo cum nullum ſit inconueniens aſſerere, quod in dicto caſu in argumẽto aſſignato frangatur ieiunium Eccleſiaſticum abſque violatione ieiunij naturalis; probabilior eſt reſponſio à nobis data.

RE-

Digitized by Google

RESOLVTIO DECIMA QVINTA.

Vtrum ille, qui eadem die ex deuotione communicauit, aut ſacrum celebrauit, & poſtea eodem die incidit in mortis periculum; itaut moraliter iudicetur eodem die è vita diſcedere, aut timeatur, quod die ſequenti non poſſit ſacram Euchariſtiam per modum viatici accipere, liceat illi in ipſo die vlterius ſacram Euchariſtiam per modum viatici accipere?

108 IN hac difficultate, vt certa ab incertis diſcernamus. Supponendum eſt primo cum Diuo Thoma 3. part. queſt. 80. art. 11. dari preceptum diuinũ de ſumenda Euchariſtia, quod commune eſt laicis, & clericis. Quod docet D. Thomas in dicto art. 11. in corpore his verbis. Reſpondeo dicendũ, quod (vt ſupra dictum eſt) dupplex eſt modus percipiendi Sacramentum, ſcilicet ſpiritualis, & ſacramentalis: manifeſtum eſt autem, quod omnes tenentur ſaltem ſpiritualiter manducare, quia hoc eſt Chriſto incorporari, vt ſupradictum eſt. Spiritualis autem manducatio includit votum, ſeu deſiderium percipiendi hoc Sacramẽtum, vt ſupra dictum eſt: & ideo ſine voto percipiendi hoc Sacramentum, non poteſt homini eſſe ſalus: fruſtra autem eſſet votum, niſi impleretur, quando opportunitas adeſſet; & ideo manifeſtum eſt, quod homo tenetur hoc Sacramentum ſumere, non ſolum ex ſtatuto Eccleſię, ſed ex mandato Domini, dicentis Lucę cap. 22. hoc facite in meam commemorationẽ: ex ſtatuto autem Eccleſię ſunt determinata tempora exequendi Chriſti preceptum. Ideoq; Angelicum Preceptorem ſecuti fuerunt Durand. in 4. diſtint. 9. queſt. 2. num. 7. Caietanus ſuper dictum art. 11. & alij. Ratio huius notabilis efficax aſſignari nõ poteſt; ſed ad manifeſtandam eius veritatem, recurrere opoꝛtet ad loca Sacrę ſcripturę, quę clarè hanc doctrinam inſinuãt. Primus locus ſit ex Ioann. cap. 6. vbi loquens de hoc Sacramẽto, vt patet ex Concilio Trid. ſeſſ. 20. cap. 1. ſic dicitur: niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Vbi ſine dubio, vt conſtat ex particulà illa, niſi, continetur preceptum Euchariſtię, ſicut in illis verbis, Ioan. 9. niſi quis renatus fuerit ex aqua, & & Spiritu ſancto, continetur preceptum baptiſmi. Secundus locus ſit ex Lucę 22. & ex Diuo Paulo 1. ad Corintheos cap. 11. vbi poſtquam dixerat Chriſtus Dominus in nocte Cœnę ſuis Apoſtolis, Accipite, & comedite, & bibite; ſubditur Chriſtum Dominum dixiſſe. Hoc facite in meam commemorationem. Vbi omnibus in vniuerſum fidelibus, vt notarunt acutiſſimè Vaſquez tom. 3. in 3. part. diſp. 213. cap. 2. & Suarez eod. tom. diſp. 69. ſect. 1. precipit, vt paſſionem ſuam memorarent in hoc Sacramento, vnuſquiſque ſuo modo, laicus recipiendo tantum hoc Sacramentum, & Sacerdos illud conſecrando; ideoque Tridentinum Concilium ſequendo in hoc Sanctos Patres, quos ibidẽ citat Suarez interdum ſequitur ſecundum ſenſum de Conſecrationis pręcepto impoſito ſacerdotibus, vt ſect. 2. cap. 1. per hæc verba

Epi-

Epiſcopos vero, & quoſcumq; alios in ordine Sacerdotali cõſtitutos, AEcumenicũ Concilium in ea Ciuitate celebrantes, vt aſſiduè in Dei laudibus incumbere, Hoſtias, laudes, & preces offerre, ſacrificium miſſæ quolibet ſaltem die dominico, in quo Deus lucem condidit, & à mortuis reſurrexit, ac Spiritum ſanctum in diſcipulos infudit, peragere ſatagant &c. Interdum verò ſequitur primũ de præcepto laicæ communionis lato fidelibus, vt ſeſſ.13.cap. 2. his verbis. Ergo ſaluator noſter diſceſſurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc inſtituit, in quo diuitias diuini ſui erga homines amoris, voluit effudi, memoriam faciens mirabilium ſuorum: & in illius ſumptione colere nos ſui memoriam, præcipit, ſuamq; annuntiare mortem, donec ipſe ad iudicandum mundum veniat. Sumi autem voluit Sacramentũ hoc tamquam ſpiritualem animarum cibum, quo alantur, & confirmentur viuentes vita illius, qui dixit: qui manducat me, & ipſe viuet propter me, & tamquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus preſeruemur.

209 Secundo ſupponendum eſt contra Caietanum in ſumma verbo Communio ſacramentalis, & alios, eſſe pręceptum diuinum ſumendi Euchariſtiam in articulo mortis, vt docent Durandus in 4.diſt.9. quæſt. 2. Gabriel quæſt.2.art.2.concl. 3. Sotus diſt.12.quęſt.1.articul.11. Valentia diſp.6.quæſt.8. pun.4. Vaſquez diſp. 213. Suarez diſp. 69. AEgidius quæſt. 80. art. 11. dub.3. Ochagauia de Sacramen. tract.2. de Eucharię effectibus, & vſu quęſt.14.numer. 5. Pater Gaſpar Hurtadus de Euchar. diſp.10.difficult.2. Pater Don Marcus Vidal in Arcauitali tractatu de Euchariſt. Inquiſit. 1. ſuppoſit.5.num.5. Don Carolus Malletus in auro Theologiæ moralis tom.1. de Sacramentis malleation. 4. de Sacramento Euchariſtię bracteà 9. Pater Leander à ſanctiſſimo Sacram. part.2.tract. 7. de Euchariſtia diſp. 2. quæſt.4. Pater Ioannes de di Caſtillo de euchariſtia tract.4.diſp.10.dub.2. num. 23. & alij. Ratio huius eſt, quia præceptum diuinum de accipiendo Euchariſtiæ Sacramento, eſt affirmatiuum; ergo debet in aliquo determinato tempore, obligare; atqui nullum commodius tempus ad illius obligationem inducendam, reperitur, quam articulus mortis; ergo in dicto mortis articulo obligat præceptum diuinum de ſumenda Euchariſtia. minor ſubſumpta colligitur ex Concilio Tridentino ſeſſ.13.cap 2. vbi notat, quod Chriſtus ſumi voluit ſacramentum hoc, tamquã ſpiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viuentes vita illius, qui dixit, qui manducat me, & ipſe viuet propter me, & tamquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus pręſeruemur, vt ſupra retulimus ex eodem Concilio; qui effectus maximi in articulo mortis ſunt neceſſarij.

210 Tertio ſupponendum eſt, eſſe pręceptum eccleſiaſticum de ſumenda euchariſtia in mortis articulo. Quod ſtatutũ fuit in Concilio Araucicano canon. 22. ſi homicida voluntarius, & idem ſtatuit circa publicos pęnitentes Concilium Carthagi-

nenſe

nenſe 4. canon. 77. quod à Leone IV. approbatum fuit, dum abſolutè, & abſque vlla limitatione precipitur eis, qui in infirmitate (ſubintellige periculoſa) ſint vt viaticum accipiant; & nõ leuiter deducitur ex Cõcilio Niceno 1. cap. 12. quod refertur in Decreto part. 2. cauſa 26. quęſt. 6. cap. de his vero. vbi ſic dicitur. De his vero, qui recedunt ex corpore antiquę legis, regula obſeruabitur, etiam nunc ita ut ſi forte quis recedit ex corpore, neceſſario vitę ſuę viatico non defraudetur. Quod ſi deſperatus aliquis recepta communione, ſurrexerit; ſit inter eos, qui ſola oratione communicant. De omnibus enim his, qui à corpore recedunt, in tradendo eis communionem, cura, & probatio ſit Epiſcopi. Nec valet dicere quod in Concilio Niceno ſolum fit ſermo de Sacerdotibus, & Epiſcopis, quibus imponitur hoc pręceptum miniſtrandi: nam contra hoc eſt, quod ſi Euchariſtię Sacramentum, & illius ſumptio non eſſet neceſſaria ex pręcepto populo, non ita ſtrictè adminiſtratio pręciperetur Sacerdotibus. Tũ quia Concilium Nicenum Euchariſtiam vocat viaticum neceſſarium, quod ſi non eſſet impoſitum ſub pręcepto populo, non diceretur neceſſarium viaticum; nam hęc neceſſitas non eſt, niſi reſpectu populi, cui dicitur viaticum: Dicitur autem viaticum hoc Sacramentum datum in articulo mortis, quia parat viam ad gloriam, & dat vires ad labores patienter tolerãdos, qui in diſceſſu ex hac vita ſe ſe offerre poſſunt, & iſtos effectus producit Euchariſtia, licet nõ ſumatur cum intentione viatici; viaticum vero eſt id, quod datur ad labores itineris ſuſtinendos.

211 Quibus ita ſuppoſitis. Titulus Reſolutionis inquiri poteſt ex dupplici capite. Primo ſiquis dum ſanus erat ex deuotione communicauit, & poſtea ſubito & inopinatè eadem die incidit in euidens periculum mortis. Secũdo cum iam eſſet infirmus manè ex deuotione tãtũ ſumpſit euchariſtiam, & poſtea eadẽ die morbo ingraueſcente incidit in manifeſtum mortis periculum: an in his caſibus, aut in aliquo ex illis poſſit iſte talis, aut etiam teneatur eodem die vlterius ſacram euchariſtiam ſumere per modum viatici ad adimplendum diuinum pręceptum de ſumenda euchariſtia per modum viatici in mortis articulo? In qua difficultate tres inuenio ſententias; duas ex Diametro oppoſitas, & aliã quaſi mediam viam tenentem. Prima ſententia abſolutè negat eum, qui ſiue in ſalute, ſiue in infirmitate non periculoſa eodem die ſacram euchariſtiam pro ſua deuotione accepit, ſi contingat eodem die incidere in mortis periculum: ita vt prudenter iudicetur dicto die è vita migraturum; non poſſe, nec teneri iterum eodem die ſacram accipere *Euchariſtiam* per modum Viatici. Ita Suarez *3.* parte tomo 3. diſput. *69.* ſect. 3. §. rogabis. Coninch de Sacramentis quęſt. 80. art. 11. dub. 3. n. 100. Fagundez in 3. pręcept. *Eccleſ.* lib. 1. cap. 3. nu. 7. *E*minẽtiſſimus Cardinalis de Lugo de euchariſtia diſput. 16. ſection. 3. num. 52. Fauſtus de *Euchariſtia* lib. 1. quæſt. 247. Granadus in 3. parte Diui Thomæ controuerſ. 6. tract. 10. diſput. 3. nu. 9. Mœratius in Diuum Thomam

tom.3.diſput.35.ſect.2.num.4. Michael Zambranus de Sacramenti adminiſtratione tempopore mortis cap.3. dub.1.num. 1.& 6. Piticianus in 4. ſentent. tom.1.diſtin.9.quæſt.3. artic.7. Mercerus in 3. partem quæſt. 80. artic. 11.Quam ſententiam ſecutus fuit Diana part.3.tract. 4.reſolut.40. licet in alijs partibus oppoſitum doceat, rem maturius conſideratam, vt poſtea videbimus. Pater Thomas Tamburinus in methodo expeditę communionis cap.5.§.6.

212 Prima pars huius ſententię ſcilicet quod, qui ſemel in die communicauit deuotionis cauſa, ſiue in ſalute, ſiue in infirmitate non periculoſa, non poſſit eodem die iterum communicari per modum viatici adueniente euidenti mortis periculo in dicto die, probatur, quia prohibitum eſt in iure canonico bis in die communicare, vt conſtat ex cap. conſuluiſti de celebratione miſſarum, vbi ſic dicitur: Reſpondemus, quod excepto die Natiuitatis Dominicæ, niſi cauſa neceſſitatis ſuadeat, ſufficit ſacerdoti ſemel in die vnam miſſam ſolummodo celebrare; ergo ille, qui in eodem die ſacram ſumpſit Euchariſtiam, etiam deuotionis cauſa; non poterit in dicto die etiã adueniẽte mortis periculo iterũ ſacrã Euchariſtiã accipere. Antecedens eſt certũ, & cõſequentia cõſtabit ex probationibus pro 2.part.dictę ſentẽtię.

213 Secunda pars huius ſententię. Probatur, quia qui ſacram Euchariſtiam in vno die accepit antequam incideret dicto die in periculum mortis, ſatisfecit Diuino pręcepto de accipienda Euchariſtia in mortis articulo: ergo non tenetur dicto die iterum Euchariſtiam ſumere per modum viatici ob eminenti mortis periculo. Patet conſequentia, quia ſi ob aliquam rationem liceret alicui bis in die communicare, maxime eſſet, vel ad implendum diuinum pręceptum de accipiendo diuino viatico in mortis articulo, vel ratione extremę neceſſitatis in quantum per ſecũdam communionem per modum viatici infirmus acquirit maiores gradus gratię, diuina dona, & priuilegia cęleſtia, atq; robur, & fortitudinem ad vincendas vehementes tẽtationes, quas in dicto mortis articulo accidere ſolent; atqui ex nullo ex his capitibus oritur talis obligatio; ergo numquam licet bis in die communicare ob periculum mortis, quod euenit in eodem die poſt acceptam ſacram Euchariſtiam. Minor quoad primam partem poſtea conſtabit ex probatione antecedentis: Quoad ſecundam verò probatur; nam ſi liceret in dicto caſu iterum ſacram Euchariſtiam ſumere, vt infirmus in mortis articulo conſtitutus acquirat maiores gradus gratię dona cęleſtia &c. ſequeretur poſſe etiam ſanum, & bene valentem bis in eadem die communicare, vt quid melius eſt, & perfectius, dum etiam ipſe per ſecundam communionẽ acquirit maiores gradus gratię, maxima auxilia, & dona diuina; atqui hoc nullo modo eſt affirmandum, ergo nec affirmandum eſt, quod ille, qui ſemel in die cõmunicauit deuotionis cauſa, teneatur iterũ dicto die cõmmunicare, ſi incidat in mortis periculũ. Antecedens vero principalis argumẽti probatur à Pat. Thoma Tamburino vbi ſupra §.2.

Digitized by Google

§.2.num.5.quia præceptum accipiendi Euchariſtiam in mortis articulo non obligat, niſi circumcirca periculum vitæ, ſiue ignoratum, ſiue ſitum ab homine, ſi quidem obligat vt prope mortem homo ſe inueniat ſacra Euchariſtia refectus: ergo ille, qui in vno die accepit ſacram Euchariſtiam deuotionis gratia, ſatis adimpleuit præceptũ diuinum ſacræ Communionis, ſi in illo die incidat in euidens periculum mortis, abſque eo quod teneatur in dicto die iterum communicare, vt adimpleat diuinum præceptum de Communione accipienda in mortis articulo. Quod confirmatur à dicto Patre Thoma Tamburino dicto num.5.quia plura inueniuntur huius generis præcepta, quibus ſatisfit, ſi paulo ante quam vrgeat præceptum, adimpleantur. Sic ſi Nouitius, vel Clericus recitet officium mane antequam profeſſionem emittat, vel ordinetur in ſacris, non eſt obligandus eodem die poſt emiſſam profeſſionem, vel ordines ſuſceptos, iterum recitare: ſic ſacerdos, qui celebrauit mane in loco vbi non erat feſtum de præcepto, ſi poſtea eadem die ſe conferat in locum, vbi feſtum celebratur, non obligabitur ad audiendum iterum ſacrum, & idem de laico qui mane ſacro interfuit in prædicto loco non feſtiuo, & poſtea ad feſti locum acceſſit: ergo eodem modo dicendum eſt in caſu preſenti.

214 *Secunda* ſententia in alio extremo affirmat illum, qui ſacram Euchariſtiam in vno die accepit deuotionis cauſa, ſiue in ſalute, ſiue in infirmitate nõ periculoſa, ſi eodem die incidat in euidens mortis periculum, ſiue violentæ, ſiue naturalis, & adeo vrgens, vt prudenter timeatur eodem die moriturum, aut quod tranſacto nõ poſſit communicari, non ſolum poſſe iterum pro viatico eodẽ die communicare, ſed ad hoc teneri ex præcepto diuino. Ita Eruditus Pater Gaſpar Hurtadus de Sacramentis diſp.10. de Euchariſtia difficultat.2. citans Patrem Vaſquez in quibuſdam manuſcriptis, & hanc eſſe ſententiam plurimorum Doctorũ Societatis Ieſu, & aliorum Doctorum Academiæ Complutenſis, & Salmaticenſis, & aliarum prouinciarum; & quod hanc ſententiam ſecuti fuerunt in praxi Reuerendiſſimus Generalis Aquauiua Societatis Ieſu Romæ, qui poſt celebrationem miſſæ incurrit maximum periculum mortis, & Matriti Pater Vega eiuſdẽ Societatis Rector illius Collegij, & Pater Aualus in eodem Collegio. Ochagauia de Sacramentis tract.2. de Euchariſtiæ effectu, & vſu quæſt. 14.nu.7. Cheliſonius in 3.part. tom.2.quæſt.80.art.11.notabil. 2.Martinus de Sancto Ioſeph in monita confeſſariorum tom. 1.lib.1.de Euchariſtia, tract. 9. num.16.Pellizarius in manuali regularium tom.1.tract.5. cap. 3.num.70.Quintanadueñas in Theolog.moral.tom.1.tract.4. ſingul.9.num.6.Ludouicus de San Iuan in ſua parua ſumma tract.4.de Communione infirmorum.Zambellus in repertorio caſuum conſcientiæ verb. Euchariſtia.Pater Antonius de Scobar, & Mendoza in libro reſolut.moral.taact.7.exam. 6. cap.5. num. 62. Pater Leander à ſanctiſſimo Sacramento tom. 2.tract.7.de Euchariſtia diſp.2. quæſt.6. Pater Antoninus Diana

Digitized by Google

na part.4.tract.4.reſolut.197.& part.5.tract.3.reſol.33. & part. 8.tract.1.reſol.87. §. ſecundus caſus erit, & part. 10. tract. 11. reſol. 11. §. ſed quia hic ſermo accidit de Viatico, & vt probabilem eam defendit Eruditiſſimus Pater Ioannes de di Caſtillo de Sacramentis tom.1.tract. 4.diſp.10.dub.3. nu.56. & eam admittit P. Franciſcus Amicus tom.7.diſp.29.ſect.4. nu.37. in caſu quo quis mane communicauit, & veſpere incidit in articulum mortis, & habeat conſcientiam peccati mortalis, nec adſit copia Confeſſarij, cui poſſit illud confiteri; adſit tamen Diaconus, qui poſſit illi Euchariſtiam miniſtrare, vt saltē per ſuſceptionem huius Sacramenti fiat de attrito contritus.

215 Prima pars huius ſententię manifeſte ſequitur ex ſecunda; nam ſi in tali caſu infirmus tenetur vlterius in eodem die communicare per modum viatici, potiori iure poterit hoc facere. Secunda autem pars huius ſententiæ, ſcilicet, quod teneatur in dicto caſu vlterius ſacram Euchariſtiam ſumere in eodem die, probatur, tum quia in eo caſu, nempe quando quis in vno die Euchariſtiam ſumpſit deuotionis cauſa, ſiue in ſalute, ſiue in infirmitate non periculoſa, non ſumpſit Euchariſtiam tamquam viaticum; quia hoc tantum datur proficiſcentibus ex hac vita; atqui ille, qui in ſalute, ſumpſit Euchariſtiam ex deuotione non dicitur proficiſci ex hac vita: ergo ſi in eodem die incidat in periculū mortis, ſiue violentæ, ſiue naturalis, & prudenter timeatur, quod in dicto die moriatur, aut quod nō poſſit alio die ſacram Euchariſtiam ſumere, tenebitur ex præcepto diuino, & Eccleſiaſtico iterum eodem die communicare per modum viatici. Tum etiam, quia ſi ille, qui in vno die ſacram Euchariſtiam ſumpſit in ſanitate deuotionis cauſa, ſi eodem die incidens in euidens periculum mortis non teneretur iterum eodem die communicare per modum viatici, ſequeretur quod ille, qui die antecedenti in ſalute ſacrā Euchariſtiam ſumpſit ex deuotione, & die ſequenti incidit in euidens mortis periculum non teneretur dicto die ſacram Euchariſtiam ſumere per modum Viatici; atqui hoc eſt falſum: ergo, & quod non teneatur in noſtro caſu in eodem die iterū ſe communicare per modum Viatici poſtquam incidit in euidens periculum mortis ad adimplendum diuinum præceptum de ſacro viatico accipiēdo. Sequela manifeſte ſequitur ex doctrina oppoſitæ ſententiæ cum aſſerat, quod præceptum de Euchariſtia ſumenda ſolum obligat paulò ante mortis articulum, ſiue ſcitum, ſiue ignoratum, & ſic qui paulò ante mortem inſtantem Euchariſtiā ſumpſit, videtur implere præceptum quoad ſubſtantiam de communione in mortis articulo; ex eo quod ratione parui temporis intercedentis cenſetur illa communio facta inſtante morte, & habere rationem viatici. Falſitas autem minoris probatur, quia inauditum eſt pręcepta impoſita tamquam onera alicuius diei ante illum precise tempus impleri poſſe, ſicut pręceptum ieiunij craſtini, neque obligat, neq; impletur hodierno ieiunio; & pręceptum cràs recitandi horas canonicas, non impletur hodierna

diurna recitatione horarum; atqui præceptum diuinum de ſumenda Eucharistia in mortis articulo impoſitum eſt tamquam onus illius temporis, in quo euidenter inſtat mors, & homo eſt proximus proficiſcẽdi ex hac vita: ergo dictum præceptum communicãdi in mortis articulo non poteſt impleri tempore proximè antecedenti, neque habet vim obligandi dicto tempore antecedenti.

116 Nec valet, ſi cum auctoribus primæ ſententiæ reſpondeas cõceſſa ſequela noſtri Argumenti, negando minorem; quia præceptum ſumendi Euchariſtiam in mortis articulo non eſt onus impoſitum pro tempore phyſico in quo, quis incidit in mortis periculum, ſeu articulum; ſed onus impoſitum pro tempore morali, in quo quis incidit in dictum articulum; itaque cum tempus valde proximum eſt periculo mortis, quando quis die antecedenti ad mortis articulum ſe communicauit, iam periculũ mortis imminet, & ita eo tempore videtur poſſe impleri præceptum obligationis in periculo, ſeu articulo mortis; quare exempla allata de ieiunio, & recitatione horarum, non videntur ad rem præſentem facere. Hoc, inquam, non valet, quia licet tempus proximè antecedens articulum mortis moraliter dicatur periculum mortis, ſeu quod idem eſt, quamuis tempore proximè antecedenti periculum mortis moraliter dicatur periculum mortis imminere; hoc tamen non ſufficit vt eo tempore obliget præceptum Euchariſtiæ, quia hoc præceptum tantum obligat præciſè in periculo, ſeu articulo mortis phyſicè conſiderato, & non moraliter, quemadmodum præceptum recitandi horas Canonicas præciſè; & phyſicè loquendo obligat à media nocte vnius diei, vſque ad aliam mediam noctem eiuſdem diei.

217 Tertia ſententia media via procedit affirmat enim poſſe illum, qui in vno die miſſam celebrauit, aut ſacram communionem ſumpſit, ex deuotione, ſiue in ſalute, ſiue in infirmitate non periculoſa, ſi eodem die poſt ſacrum celebratum, aut ſumptam communionem incidit in mortis periculum, & prudenter timeatur eadem die diſceſſurum è vita, aut alio die non poſſe communicare, quod licet ei ob ſui conſolationem, & ad imploranda diuina auxilia in tanto periculo, iterum eodem die ſacram Euchariſtiam ſumere, per modum viatici. Negat tamen ad hoc teneri ex præcepto diuino, aut Eccleſiaſtico. Ita Don Marcus Vidal in arcauitali tract. de Euchariſtiæ Sacramento Inquiſit. 1. nu. 43. Don Carolus Malletus in aureo Theologiæ moral. tom. 1. de Sacramentis, malleat. 2. bractea 16. & alij.

218 Primam partem huius ſententiæ probat dictus P. Don Marcus Vidal vbi ſupra nu. 47. quia ab Eccleſia prohibetur communio bis in eadem die ob maiorem Sacramenti reuerentiam; atqui in noſtro caſu nulla irrogatur Sacramento irreuerentia: ergo nulla etiam in tali caſu Eccleſiæ prohibitio habetur. Patet conſequentia, quia ceſſante fine legis, ceſſat etiam omnis obligatio. Maior autem probatur, nam in caſu propoſito in hac reſolutione tractatur de perfectiori animæ ſalute,

ſalute, ac de preſtandis infirmo maioribus donis, & auxilijs diuinis: ergo licitè id operatur; maximè, quia Christus Dominus omnia Sacramēta inſtituit ad fidelium ſalutem, & vtilitatem animarum: ergo nulla irreuerentia irrogatur Sacramēto in caſu propoſito cum decēter, & reuerenter ſumatur.

219 Secundo eamdem partem probat num.48. quia præceptū Eccleſiaſticum ieiunij naturalis ante ſumptionem ſacroſanctæ Euchariſtiæ non obligat in infirmitate periculoſa, quando commode præmitti nō poteſt: ergo neque etiam ſi pluries ſumatur Euchariſtia abſquè ieiunio, vt communiter docēt Auctores: ergo neque etiam præceptum de communicando bis in die eadem obligabit in caſu propoſito. Probatur hæc vltima conſequentia, quia eędem rationes in caſu propoſito militant, quę militant de non ſeruando ieiunio naturali pro ſumenda Euchariſtia in periculoſa infirmitate, cum habeatur eadem neceſſitas grauis, & Communio moraliter loquendo differri non poſſit, & ſimiliter militet eadem maioris diſpoſitio, nempe, vt licitè poſſit bis communicare, maxime quia hoc pręceptum non communicandi bis in die deſumitur in ſententia aliquorum Doctorum ſolum ex conſuetudine, non vero ex lege aliqua poſitiua, ſicuti eſt pręceptum de ieiunio naturali ſeruando ante communionem: ergo ſi hoc diſpēſatur ratione neceſſitatis, multo magis illud.

220 Tertio eamdem partē probat num.49. quia interdum ratione neceſſitatis licitum eſt ſacerdotibus bis vel ter in eadem die celebrare, vt deducitur ex cap. conſuluiſti de celebratione miſſarum, vbi dicitur, quod excepto die Natiuitatis Dominicę niſi cauſa neceſſitatis ſuadeat, ſufficit Sacerdoti ſemel in die vnam miſſam ſolum celebrare: ergo etiam infirmus poterit in eadem die bis communicare. Antecedens communiter accipitur à Doctoribus, vt teſtantur Paludanus, Durandus, Nauarra, *Suarez*, *Enriquez* Coninch, Scorcia, & alij apud Laiman lib.5.tract.8.cap.5. n.6. Conſequentia vero probatur, quia eadem ratio neceſſitatis proxime habetur, quę currit ad hoc, vt ſacerdos bis in die celebret, nempe, vt infirmus ſumat viaticum, quod in alium diem prudenter differri non poteſt: ergo ſi Sacerdoti conceditur licentia ab Eccleſia, etiam ſaltē implicitè, & tacitè conceditur infirmo ratione extremę neceſſitatis.

221 Vltimo probat eamdem partem num.50. quia hęc opinio, quoad hanc partem ſine vllo ſcrupulo deducitur ad praxim apud viros religioſos ſecūdum occurrentes caſus, vt teſtatur *Eminentiſſimus* Cardinalis de Lugo vbi ſupra nu. 51. affirmans in eius religione pluries fuiſſe in vſu maximè in infirmitate Patris Claudij Aquęuiuę Generalis Societatis, qui mane communicatus ex deuotione, eadem die deſumpſit Viaticum, quod etiam factum fuit (inquit dictus Don Marcus Vidal) in noſtra Theatina Cōgregatione me preſente in mortali infirmitate Patris noſtri Don Alexandri Maffęi, doctiſſimi, & pijſſimi viri: ergo ſignū eſt, vt id liceat, & ab Eccleſia approbetur, & tacitè ſaltem con-

Digitized by Google

concedatur. Quod confirmat, quia hęc opinio quoad hanc partem eſt multum fauorabilis, & conſolatoria animarum, dum infirmi in illis anguſtijs, & erroribus mortis poſsūt iterum per modum viatici ſe ſacra Eucharistia munire contra diabolicas tentationes, & recipere maiores gratię gradus, & auxilia diuina cum omnibus indulgētijs, quę requiruntur in illo ſtatu ſumendo ſacrum viaticum: ergo id omnino licet.

122 Secundam vero partem, ſcilicet non teneri infirmum in hoc caſu ex pręcepto diuino, aut Eccleſiaſtico iterum in eodem die ſacram Euchariſtiam per modum viatici accipere. probat dictus P. Don Marcus Vidal dicta Inquiſit. 1. num. 39. quia pręceptum de euchariſtia ſumenda ante mortem inſtantem, moraliter videtur impletum per primam communionē factam in illo die, quamuis facta fuerit in ſalute, quoad ſubſtantiam pręcepti: ergo non tenetur, qui poſt dictam primā communionem factam ex deuotione incidit in eodem die in mortis periculum euidens, iterum in dicta die per modum viatici communicare, licet hoc ei liceat facere ob maiorem ſui conſolationem, & ad implorāda diuina auxilia in tanto periculo. Deinde, quia talis communio ratione parui temporis intercedentis cenſetur facta inſtante morte, & habere rationem viatici: ergo in tali caſu nō obligat pręceptum de ſumenda Euchariſtia iterum per modum viatici. Patet conſequentia, & Antecedens probatur, quia pręceptum de ſumenda Euchariſtia in articulo mortis ſolum obligat ad illam recipiendam paulò ante mortem, ne quis moriatur ſine auxilio tanti Sacramēti proximè accepti; atqui totum id habetur per illam cōmunionem factam in illo die, paulò ante mortis periculum: ergo per illam iam ſatisfactum fuit pręcepto.

223 Dicendum tamen eſt, veriorem, & probabiliorem eſſe ſecundam ſententiam ſuſtinentem, quod ille qui in vno die ſacrum celebrauit, aut ſacram Communionem ſumpſit, ſiue in ſalute, ſiue in infirmitate nō periculoſa, & dicto die poſt miſſæ celebrationem, aut ſuſceptam communionem deuotionis cauſa, incidat in mortis periculum; itaut prudenter iudicetur, quod eodem die erit moriturus, aut quod nō poſſit alio die ſacram euchariſtiam ſumere, poſſe iterum in eodem die communicare per modum viatici, imo, & ad id teneri ex præcepto diuino, & Eccleſiaſtico. Prima pars huius aſſerti ſatis conſtat ex rationibus adductis pro prima parte tertiæ ſētentiæ. Secunda vero pars etiā conſtat ex fundamento adducto pro ſecunda ſententia pro eius ſecunda parte, & deinde ſuadetur, quia ſi adimplendum præceptum de ſumenda Euchariſtia in mortis articulo ſufficeret quod paulò ante mortem quis ſacram acciperet Euchariſtiam, ex eo quod moraliter dicatur periculum mortis imminere, in tali caſu, & conſequēter videatur impletum præceptum de ſacro viatico accipiēdo in mortis articulo, ſequeretur quod qui paulo ante mortis periculum octo vel decem diebus Euchariſtiam ex deuotione ſumpſit, non teneretur in eo articulo rurſus Sacramentum acci-

accipere per modum viatici, ſi poſt dictos dies incideret in infirmitatem mortalem; atqui hoc eſt falſum; ergo & illud ex quo ſequitur. Sequela communiter admittitur à Doctoribus primæ ſententiæ. Falſitas autem minoris probatur, quia ſi dicta ſequela eſſet vera daretur caſus, in quo aliquis numquam teneretur ad ſacrā communionem accipiendam conſtitutus in mortis articulo, quod eſt falſum, & ſcandaloſum: ergo falſum eſt aſſerere, quod pręceptum de ſacra communione accipienda non obliget precisè in periculo mortis phyſicè cōſiderato, & non moraliter tantum. Probo Antecedens quoad primam partem, nam ponamus aliquem fidelem habuiſſe conſuetudinem, poſt quam ad ſtatum diſcretionis peruenit, ſacram Euchariſtiam ſumere omnibus diebus Dominicis Anni, & quod in illa perſeueret vſq; ad finem vitæ, iſte talis in ſententiæ oppoſita numquam teneretur ſacrum viaticum recipere conſtitutus in mortis articulo; ſiquidem, vt docent DD. contrarię ſententiæ, ille qui paulò ante mortis periculum octo, vel decem diebus Euchariſtiam ex deuotione ſumpſit, non tenetur in eo articulo rurſus Sacramentum accipere per modum viatici: ergo dabitur caſus, in quo aliquis in tota vita ſua non teneatur accipere ſacram communionem per modum viatici phyſice cōnſtitutus in mortis articulo; quæ Doctrina ſi in praxi ſequeretur, maximum abſque dubio generaret ſcandalum, videndo moribundum in articulo mortis conſtitutum noli accipere ſacrum viaticum, ex eo, quod ad hoc non teneatur propter communionem ab ipſo factam paulo ante mortis periculum octo, vel decem diebus: ergo abſolute dicendum eſt, quod licet tempore proximè antecedenti articulum mortis moraliter dicatur articulum, ſeu periculum mortis imminuere, tamen non ſufficere, vt eo tēpore nō obliget præceptum Euchariſtiæ, cum hoc præceptum probabilius ſit, quod obliget præciſe in periculo mortis phyſicè conſiderato, & nō moraliter, vt optimè docuit prima ſententia: ergo probabilius eſt aſſerere, quod ille, qui mane celebrauit, aut ſacrā communionē ſumpſit in ſalute, aut in infirmitate nō periculoſa deuotionis cauſa, & poſtea eadem die incidit in manifeſtum periculum mortis, nō ſolum poteſt, ſed tenetur ex præcepto diuino, & eccleſiaſtico iterum in illa die ſacram Euchariſtiam ſumere per modum viatici, ſiquidem per illam Cōmunionem factam ex deuotione, non adimpleuit præceptum de ſacro Viatico ſumendo in mortis articulo, eo quod ille, qui nihil cogitans de morte, ſumit hoc Sacramentum, non ſumit illud, vt viaticum (*vt bene docet Diana dicta parte 5. tractat. 3. reſol. 33.*) hoc enim tantum datur proficiſcentibus ex hac vita; ille autem, qui benè valet, non dicitur proficiſci ex hac vita, ſi quidem nullus ſatisfacit alicui præcepto, antequam obligatio illius incipiat: ergo morbo adueniente, & periculo mortis inſtante, tenetur iterū Euchariſtiam, & viaticum ſumere.

224 Nec valet, ſi dicas, quod ille, qui in conſuetudinē habuit pro toto vitę ſuę diſcuſſu ſemel in

in hebdomada ſacram euchariſtiam ſumere ex deuotione, licet non teneatur cõſtitutus in mortis articulo ſacram Euchariſtiam per modum viatici accipere ex vi diuini, aut eccleſiaſtici præcepti, tenebitur tamen ſacram accipere communionẽ per modum Viatici ad vitandũ ſcandalum, quod poteſt generari, videndo Catholicum conſtitutum in mortis articulo ſacrum viaticum in illa hora non recipere, ex quo non ſequitur ipſum ex pręcepto teneri ad recipiendam ſacram communionem per modum viatici in mortis articulo conſtitutum, cum iam præceptũ ſit ab ipſo adimpletum per communionem ab ipſo factam paulo ante periculum mortis octo diebus; nam bene ſtat aliquem non eſſe obligatum ad faciendam aliquam actionem ex vi alicuius præcepti, & eſſe obligatum ad illam faciendam ad vitandum proximorum ſcandalum. Hoc inquã, non valet, nam falsò ſupponitur præceptum diuinum, & eccleſiaſticum accipiendi ſacram Euchariſtiam in mortis articulo, ſeu periculo incipere fidelibus obligari paulò ante quam incidant in dictum mortis articulum, ſeu periculum, quod ab ipſis ignoratur, nam obligatio huius præcepti eſt propria illius temporis, quo adeſt tale præceptum, nec orta fuerat quamdiu periculum non imminebat: ergo ille ſatisfacere non potuit per communionem prius paulò ante periculum mortis factã, ſicut è contra ſi exiſtente periculo mortis homo peccaret, omittendo communionem, & poſtea periculum euaderet, nõ teneretur priorem obligationẽ implere, quia iam ceſſauit.

225 Ad fundamentum primæ ſententiæ pro prima eius parte reſpondetur diſtinguendo antecedens prohibitum eſt iure Canonico bis in die communicare extra caſum neceſſitatis concedo antecedens; in caſu neceſſitatis nego antecedens; cum autem, qui conſtitutus eſt in mortis articulo, ſit in magna neceſſitate, & dona pro illa periculoſa hora mortis ſint neceſſaria; ideo licet ꝓhibitũ ſit alicui bis in die cõmunicare extra mortis articulũ, ſeu extra caſũ neceſſitatis, non autem hoc prohibitum eſt in noſtro caſu, vt optime probat tertia ratio allata pro prima parte tertię ſententiæ. Deindè quia quando concurrunt duo præcepta, maius pręponderat, & eſt anteponendum; atqui in noſtro caſu cum concurrat pręceptum Eccleſiaſticum de non ſumenda Euchariſtia bis in die, & pręceptum diuinum de communicando tempore mortis, hoc poſterius pręceptum pręualere debet, tamquam maioris ponderis, vt recte obſeruat Thomas Sãchez in ſumma tom.1.lib.1.cap.10.nu.17. Nec valet ſi dicas, quod hoc pręceptum de accipienda communione in articulo mortis nõ eſt diuinũ teſte Alexand. 4.par. q.11.membr.2.art.4. Bonauent. in 4.diſt.12.part.2.diſt.5.art. 1. qu.1. Ferrar. lib. 4. contra gẽtes cap. 61. Silueſt. verb. Euchar. 3. D.Tho. in 4.diſt.6.quęſ. vlt. art. 1. Gabriel. in can. miſſ. & alijs. Hoc, inquã, nõ valet, nã contrariã ſententiã ſuſtinet D. Thom. 3.par.q.80.art.11. quẽ ſequũtur cõmuniter expoſitores, vt Tander. Silu. Nugn. Valen. Coninch Cheliſon. Suar. & alij, quos citat & ſeq. Io. Præpoſ. in 3.par.q.80. art.11.dub.1.n.5. P. Mag. Marc. Serra in 3.p.q.80. art.11.dub. vnico. Nec valet, ſi vlterius dicas, ꝙ

noſtra opinio imponit onus moriētibus,ſeu in articulo mortis conſtitutis aſſerendo, quod qui pauló ante mortem imminentem ſacram ſumpſit Eucharistiam nō ſolum poſſit, ſed etiā teneatur iterū ſacrāEucharistiā per modū viatici accipere. Hoc inquam,non valet; nā reſpōdeo cum Diana dicta par. 5. tract. 3. reſol. 33. illos letāter hoc onus ſuſcipere, etſi cōtraria ſentētia eſſet vera, & tenēda magnā eis, & merito afflictionem afferret.

226 Ad fundamentum pro ſecūda parte eiuſdem ſententiæ reſpondetur, negando antecedēs, nam vt bene docet ſecūda ſententia,quam nos ſequimur; cum præceptum recipiēdi Eucharistiā in articulo mortis impoſitū ſit tamquā onus illius temporis, aperte ſequitur tempore proximo antecedenti,neq; impleri poſſe, neque habere vim obligandi; vnde licet tempore proximè antecedenti periculū, vel articulum mortis dicatur moraliter periculum mortis imminere, non tamen hoc ſufficit,vt eo tempore obliget pręceptum ſumēdi eucharistiam, quia hoc pręceptū tantū obligat pręciſè in periculo mortis phyſicè cōſiderato. Nec alicuius roboris eſt recurrere ad intentionē virtualem, quam cenſetur habere ille, qui pauló ante imminens periculū mortis communicauit adimplendi præceptū,ſumendi Eucharistiā in mortis articulo; nam vt bene docet Vaſquez to. 3. in 3. part. queſ. 80. art. 11. diſp. 214. cap. 2. nu. 13. & 14. vt quis impleat pręceptū ſumendi Eucharistiā in mortis articulo, nō ad intentionem implendi illud, ſed ad ſubſtātiam operis, quod pręcipitur,& tēpus in quo obligat, attendēdum eſt,& cū obliget pręciſe in periculo mortis phyſice conſiderato, & nō moraliter non ſufficit ad eius impletionem intentio virtualis illud adimplēdi per communionem factam antequam dictum periculum phyſicè immineat, quia tunc pręceptum non incipit obligare, ſed ſolum incipit obligare adueniente phyſicè mortis periculo. Nec ſufficeret ad adimpletionem talis pręcepti,vt quis haberet expreſſam,& explicitam voluntatem illud adimplendi per communionem factam ante aduentum mortis periculum, vt ibidem obſeruat idem Vaſquez: nam non eſt in noſtra voluntate anticipare tempus adimpletionis dicti pręcepti, ſicut nec in noſtra volūtate eſt anticipare tēpus adimpletionis pręcepti audiendi ſacrum, & ſic ſicut quis nō adimpleret pręceptū audiendi miſſam in die feſto, nec dicto præcepto ſatisfaceret ſi pridie illā audiret, & per illam tali pręcepto vellet expreſſe ſatisfacere ita nec ſatisfaceret pręcepto accipiendi euchariſtiam in mortis articulo, ſi ante aduētum ipſius articuli ſacram eucharistiam ſumeret, etiam cum intentione expreſſa, & explicita dictū pręceptum adimplendi.

227 Ad probationē autē antecedentis reſpondetur,negādo antecedens; nam vt ſupra diximus præceptum accipiendi euchariſtiā in mortis articulo nō obligat, nec incipit obligare circūcirca periculū vitę ſiue ignoratū, ſiue ſcitū ab homine catholico,ſed incipit obligare pręciſe in periculo mortis phyſice cōſiderato. Ad illud autē ꝙ in eadē probatione dicitur pro ſuppoſitione veritatis cōſequētię principalis, ſcil. ꝙ ſi aliquis teneretur ad ſumēdū viaticū ob eminēs mortis periculū adueniēs alicui poſt-

poſtquam ſe in eodem die ex deuotione cõmunicauit adimploranda diuina auxilia, ſequeretur, quod etiam liceret homini ſano bis in die communicare ad imploranda eadem diuina auxilia,& dona diuina reſpondeo, quod nos non aſſerimus cauſam totalẽ, & adæquatam obligantem accipiendi iterum ſacram Euchariſtiam in eodem die per modum viatici ob eminens mortis periculum, eſſe adimplorãda ſolum diuina auxilia, ſed pręcipuam cauſam dictæ obligationis eſſe ad adimplendum præceptum diuinum, & Eccleſiaſticum ſumendi ſacram Euchariſtiam per modum viatici in mortis articulo, quod præceptum incipit obligare, & obligat ſolum pro tempore phyſico, in quo periculum mortis aduenit, vt ſupra diximus. Deinde, quia etiamſi aſſeramus poſſe infirmum in mortis articulo conſtitutum poſt primam Communionem eiuſdem diei factam ex deuotione eodem die ſe iterũ communicare per modum viatici ad imploranda diuina auxilia in tanto periculo, inde non ſequeretur, quod liceret homini ſano bis in die communicare ad eadem diuina auxilia à Deo impetranda; nam non currit paritas in vtroque caſu. Primo, quia ſanus non eſt in neceſſitate pręſẽti ſicut infirmus. Secũdo, quia poteſt æque bene differre communionem ad diem ſequentem, vt acquirat illa maxima dona, non autem ſic infirmus. Tertio ille non communicat per modum viatici, ſicut infirmus: ergo iſte licite bis in die ſumere poteſt Euchariſtiam, non vero ille.

228 Ad confirmationem adductam à Patre Thoma Tamburino, reſpondetur eſſe diſparem rationem in exemplis ab ipſo allatis, ac reperitur in noſtro caſu; nam præceptum deſumẽda Euchariſtia in mortis articulo non incipit obligare circumcirca periculum vitæ ſiue à me ignoratum, ſiue ſcitum, vt ſupponit dictus Pater Tamburinus ſed incipit obligare præciſe in periculo mortis phyſice conſiderato, vt ſupra diximus, & ſic non poteſt adimpleri ante aduentum phyſicum ipſius periculi per communionem antecedenter factam, nam ſicut nõ incipit obligare tale præceptũ ante aduentum periculi mortis phyſice conſideratum; ita nec poteſt adimpleri per communionem factam ante phyſicum aduentum eiuſdem periculi. Ad exempla allata in eadem confirmatione reſpondeo ad primum concedo, quod ſi Nouitius, vel Clericus recitet officium mane ante profeſſionem ſollemniter ab ipſo faciendam, veſpere eiuſdem diei, vel Clericus antequam ordinetur in ſacris, non eſt obligandus poſt emiſſam profeſſionẽ, vel ſacros ordines ſuſceptos iterum recitare, quia obligatio recitandi erit obligatio illius diei, & non alterius; & ita præuiſa obligatione incurrenda per profeſſionem in illo die poteſt optime ante profeſſionem recitare diuinum offitium, cum intentione adimplendi obligationem illud recitandi in illo die, quod nihil facit contra noſtram doctrinam; nam obligatio cõmunionis in mortis articulo, cum ſit onus obligans in phyſico, & reali mortis periculo iam adueniente, non poteſt incipere obligare, niſi poſt phyſicum aduentum eiuſeem periculi, &

conſequenter, nec poteſt adimpleri per communionem factã ante aduentum phyſicũ, & reale eiuſdem periculi, cum prædicta obligatio communicãdi ſit onus ſolum in dicto tempore obligans, vt ſupra diximus, ſicut qui tenetur mane horas Canonicas recitare, aut ratione profeſſionis, aut ordinis ſacri, ſi recitet illas die antecedenti, cum intentione adimplendi obligationem diei ſequentis, non ſatisfacit dictæ obligationi, quia talis obligatio incipit obligare in die ſequenti, & non in die antecedenti, & ita non poteſt adimpleri per recitationem horarum Canonicarum in die antecedẽti etiam ſi talis recitatio horarum in die antecedenti fiat cum intentione adimplendi obligationem, quæ inſtabit die ſequenti. Sic ſimiliter in noſtro caſu cum præceptum communicandi per modũ viatici in mortis articulo non incipiat obligare, niſi præciſe in periculo mortis phyſice conſiderato, & non moraliter tantũ: ideò non poteſt adimpleri, niſi adueniente phyſice ipſo periculo, & non ante eius aduentũ phyſicũ, & realem. Ad ſecundum exemplum allatum in eadem confirmatione, concedo quod Sacerdos, qui celebrauit mane in loco, vbi non erat feſtum de præcepto, ſi poſtea eadem die ſe conſerat in locum vbi feſtum celebratur, nõ tenebitur ad audiendum iterum ſacrum, ſicut nec laicus, qui mane ſacro interfuit in prædicto loco non feſtiuo, & poſtea ad feſti locum acceſſit, tum quia eo ipſo, quod obligatio in alio loco ſeruandi talem diem eſt obligatio ipſius diei, & non alterius, poterit optime quis habens ſciẽtiam de ſuo acceſſu ad locum vbi feſtiuè talis dies celebratur, audire miſſam, aut illã celebrare in loco, à quo exit, vbi talis dies non eſt feſtiuus, cum intentione adimplendi obligationem, quæ inſtat in illo alio loco, in quem ſe conferre vult. Tum etiam quia ſecundũ ſententiam aliquorum Doctorum ille, qui habet domicilium in aliquo loco vbi vnus dies nõ celebratur feſtiue, ſi eodem die ſe conferat in alium locum, vbi talis dies feſtiue celebratur; ad aliquod negotium proprium, non tenetur ad obſeruationem feſtiuam illius diei in tali loco, vbi domicilium non habet, & conſequenter nec ad audiendũ ſacrum illa die in tali loco, niſi ex hoc oriatur aliquod ſcandalum, ſicut nec, qui ſeceſſit in aliquod locum ad aliquod negotium in die, in quo in tali loco ſeruatur ieiunium obligans ad mortale habitantibus in tali loco, non tenetur ad obſeruationem talis ieiunij, ſi hoc poſſit fieri ab ipſo abſq; ſcandalo, & ita nego conſequentiam dictæ confirmationis; nam non currit eadem ratio in hoc caſu, ac in præcepto de communione ſacramẽtali per modum viatici in mortis articulo.

229 Ad probationem ſecundæ partis tertiæ ſententiæ, in qua ſolum opponitur noſtræ ſentẽtiæ reſpondetur, negando antecedens; nam ſicut præceptũ de communione ſacramentali ſumenda in mortis articulo ſolum obligat in periculo mortis phyſicè conſiderato, & non moraliter, vt ſupra diximus, nõ poteſt intelligi impletum per primam communionem factam in illo die ante aduentum phyſicum periculi mortis. Ad id autem

autem, quod in eadem probatione additur, quod talis Communio ratione parui temporis intercedentis cenſeatur facta inſtante morte, & per modum viatici, negandum eſt hoc antecedens, & ad eius probationem, nego ſimiliter antecedẽs: nam præceptum de ſumenda Euchariſtia in mortis articulo, non obligat, nec incipit obligare paulò ante mortem, ſed præcisè obligat in periculo mortis phyſicè conſiderato, & non moraliter tantum, vt ſupra diximus reſpondendo ad ſimile fundamentum primæ ſententiæ.

230 Aduerto tamen cum Ochagauia vbi ſupra num. 8. & cum Patre Gaſpare Hurtado dicta diſp. 10. difficul. 9. quod ille, qui in articulo mortis conſtitutus ſemel communicauit per modum viatici, amplius eo præcepto non teneri, quamdiu in hoc eodem periculo perſeuerat, quamuis poſt ſumptionem ſacri viatici, peccet mortaliter: nam maxime conſideranda eſt differentia, quæ reperitur inter Sacramentum Euchariſtiæ, & Sacramentum pęnitentiæ: nam ſi quis in articulo mortis conſtitutus ſemel ſuſcepit abſolutionem ſacramentalem, vt ſatiſfaciat pręcepto illius temporis, & poſtea peccet mortaliter in eodem articulo, tenetur iterum accipere abſolutionem ſacramentalem, quia talis abſolutio eſt neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem æternam conſequẽdam, pro omni tempore, quo quis lapſus fuit in peccatum mortale; quare toties quis in periculo mortis conſtitutus iterum poſt confeſſionẽ peccat mortaliter, quia confeſſio obligat pro conſequenda prima gratia habituali, quæ eſt ad ſalutem æternam neceſſaria neceſſitate medij: ideò quoties prima gratia per peccatũ mortale amittitur, toties reuiuiſcit obligatio confeſſionis. At vero ſi quis in articulo mortis recipit Euchariſtiam; ideò non tenetur eam iterum in eodem articulo recipere, licet poſtea inciderit in graue peccatum, quia Euchariſtia non eſt neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem æternam conſequendam, ſed ſolum neceſſitate præcepti, quod præceptum imponitur in articulo mortis, vt Euchariſtia ſumatur tamquam viaticum, & in memoriam paſſionis Chriſti; quod cum ſemel iam pręſtitum ſit præceptum, iam deinde non obligat pro illo articulo mortis ſed pro alio mortis articulo.

RESOLVTIO DECIMA-SEXTA.

Vtrum vnica Communione ſacramentali, poſſit quis duplici pręcepto Cõmunionis ſatisfacere, ſcil. Anni pręteriti, & præſentis, caſu quo Anno præterito non adimpleuerit præceptum cõmunionis, & illud adimpleat initio anni præſentis?

231 LEgerunt Illuſtriſſimum, & Reuerendiſſimum Don Ioannem Caramuel in ſua Theologia fundamentali fundamento 31. §. 2. de Confeſsion. & Commun. annua num. 751. Reuerend. P. Franciſcus Bonæ ſpei Ordin. Reformatorum B. Mariæ de Monte Carmelo, & Illuſtriſs. & Reuerendiſſimus Dominus D. Ludouicus Creſpinus à Borgia; & in eo ſic ſcripſiſſe inuenerũt. Præcepit Eccleſia, vt ſingulis annis confitearis

&

Digitized by Google

& ſanctam Euchariſtiam recipias, & determinat tempus, nimirum à Dominica Palmarum ad Dominicam. Quaſi modo: ergo his diebus poterit petrus cõmunicare, vt ſatisfaciat præcepto anni elapſi: ergo his etiã diebus poterit, vt ſatisfaciat pręcepto anni futuri: ergo ſi bis communicet ſemel pro anno priori, & ſemel pro poſteriori, duobus præceptis, & pro duobus annis ſatisfaciet. Admittuntur iſtę tres conſequentiæ communiter; ſed quid ſi ſemel tãtum communicet; an nè vnica ille communione pro duobus annis ſatisfaciet? probabiliſſima eſt aſſertiua ſententia iudicata Louannij à Domino Guillelmo ab Angelis S. Theologiæ Doctore, & poſſeſſore, qui illam in publica diſputatione me præſente defendit. Hæc Caramuel dict. §. 2.

232 Ex quibus verbis collegerunt dictus Reuerendus P. Frãciſcus Boneſpei in ſua Noctua Belgica ad Aquilam Germanicam Reuerendiſſimi, ac eximij Domini D. Caramuelis dub. 17. §. 2. de confeſſ. & commun. Annua, & Illuſtriſ. & Reuerendiſs. D. Don Ludouicus Creſpinus à Borgia in ſuis quæſt. ſelect. moral. contra Caramuel. quęſt. 10. caſu 1. §. 1. de annua confeſſ. & commun. Illuſtriſsimum, & Reuerẽdiſsimum Caramuel ſaltem, vt probabiliſſimum defendere, poſſe aliquẽ vnica Sacramentali communione duobus pręceptis annuę communionis ſatisfacere. Quo ſuppoſito dictam doctrinam (vt dicunt) Caramuelis acriter impugnãt. Pater Franciſcus Bonæ ſpei loco ſuperius citat. reſol. 3. vbi ſic ait. Dico 3. ex eo quod eodem tempore, & eadem actione duobus pręceptis ſatisfieri poſſit, ſi ad diuerſum tempus rei faciendæ ſeruandum non obligent, abſurdè infertur vna communione, & confeſſione annua duorum annorum obligationi; vnica confeſſione menſtrua, duorum menſium; vnica horarum diurna lectione, duorum dierum ſatisfieri poſſe. Quod totum iudicat Pater Franciſcus Boneſpei affirmari à Caramuele, vt teſtatur dicto dub. 17. §. 2. 3. & 4. eumque ſic impugnat dict. reſol. 3. quia iuxta communem totius Eccleſię ſenſum, & praxim. pręcepta illa ceſſentur de obligantibus ad determinatum tempus rei faciendę ſeruãdum, non enim confeſſio, communio, horarum lectio &c. pręciſe pręcipitur; alioquin vnica in vita ſufficeret, ſed vt iſta ſaltem ſemel in anno; hęc ſemel in die, &c. fiat. Vnde annua diurna &c. dicitur; nec alioqui talis dici deberet, ſed biennis, bidua, &c. aut potius ſemel ſaltem in vita ſeruanda, quod nullus ſine errore aſſeret: ergo &c.

233 Confirmatur hoc à dicto Patre Boneſpei, quia non eſt ratio, cur inde potius inferatur vnica confeſſione annua, duorum annorum, vna lectione diurna duorum dierum obligationi ſatisfieri poſſe, quam cęterorum dierũ totius vitę obligationibus; atqui id eſt erroneum ſtatim diximus: ergo &c. probatur maior, quia ſicut obligatio Anni B. concurrit in tẽpus, & obligationem Anni A. & ideo per Dom. Caramuelem huic ſatisfaciendo, ſimul iſti ſatisfacit, ita obligatio Anni C. concurrit in tempus, & obligationem Anni B. ac conſequẽter huic per eamdẽ ſatisfaciẽdo ſimul

ſimul ſatisfieri poteſt obligationi Anni C. & ſic de ceteris (loquere proportionaliter de obligatione confeſſionis menſe. A. B. C. & cęteris, item lectionis horarum die. A. B. C. & cęteris) ergo &c.

234 Illuſtriſſimus autem, & Reuerendiſſimus Dom. D. Ludouicus Creſpinus à Borgia, aliter Dominũ Caramuelẽ impugnat dict. quęſt. 10. caſu 1. §. 1. nu. 3. vbi ſic ait: ſed pace tanti viri mihi non videtur ita probabilis hęc doctrina reſpectu communionis, ac reſpectu confeſſionis, quicquid enim ſit de cõfeſſione (de qua poſtea) reſpectu communionis conſequentias illas veras non eſſe credo. Nam pręceptum cõmunionis in hoc differt à pręcepto confeſſionis, quod præceptum cõmunionis alligatum eſt tempori paſchatis, nec ſatisfacit quis pręcepto communicandi, ſi in die ſancti Petri, vel die Natalis Domini communicet; at præceptum confeſſionis quocumque die anni impleri poteſt; quod patet ex ipſis verbis pręcepti, quæ ſequuntur. Omnis vtriuſque ſexus fidelis poſtquã ad annos diſcretionis peruenerit, omnia ſua ſolus peccata cõfiteatur fideliter ſaltem ſemel in anno proprio Sacerdoti. & iniunctam ſibi pęnitentiam, ſtudeat pro viribus adimplere. Suſcipiens reuerenter ad minus in paſcha Euchariſtię Sacramentum. Quibus verbis ſatis clare diſcernitur ad confeſſionem totum anni tempus deſignari. Ad communionem vero tempus paſchatis pręfixi, & hęc eſt probabilior ſententia. Hęc Illuſtriſſ. Epiſcopus Oriolenſis.

235 Numero autem 4. pręd ...

§. loquendo de annua communione probat nõ poſſe ſatisfieri præcepto duorum annorum vnica communione ſic. Nam Paſcha anni quinquageſimi ſexti, ſiue habeat tres dies, ſiue quindecim, non eſt, nec eſſe poteſt paſcha anni quinquageſimi ſeptimi. Paſcha enim anni quinquageſimi ſeptimi eſt poſt annum Paſchę quinquageſimi ſexti, & habet alios quindecim dies. At Concilium expreſsè docet, vt ſingulis annis communicemus in paſchate: ergo ſingulas communiones pro ſingulis paſchatibus requiri. Hoc mihi tam euidens eſt (inquit prędictus Illuſtriſſimus Dominus) vt nulla alia probatione indigere videatur; libet tamẽ pro maiori declaratione ſupponere ſolum primum diem paſchatis pręfixũ eſſe communioni. poſſet quis in Dominica Reſurrectionis vnica communione ſatisfacere pro paſchate anni 57. & 58. minime, at illi quindecim dies pro vno reputantur in ordine ad pręcepti impletionem; eſt enim priuilegium eccleſiæ, vt nemo poſſit ſe excuſare à communione, dare illud tempus, & priuilegium, non debet extendi in fraudem pręcepti: ergo nemo ſiue ſemel, ſiue bis communicet illis quindecim diebus, excuſatur à communione anni ſequẽtis, quia eſt aliud paſcha; & aliud pręceptum, reſpicit illos dies; ſicut auditio ſacri: non enim poſſet auditione miſſę in illa die ſatisfacere pro auditione miſſæ in die paſchatis anni currentis, & futuri; numquam enim poſſet dici, quod illi dies ſunt duorum paſchatum, ſed vnius: ergo ſimiliter in communione.

236 Numero autem 6. ſuum pro-

proſequitur intentum per ſequentia verba. Quod ſi inſiſtere velis in hoc quod præceptũ communionis non ſit alligatũ tempori paſchatis, ſed habeat pro tempore habili, ad ſui adimpletionem totum annum; atq; adeo in quolibet die anni poſſit Chriſtianus eius obligationi ſatisfacere, ſicut in præcepto Cõfeſſionis. Vt tibi morem geram hoc ſupponere volo. Vnde quod de confeſſione dixerim, hoc de communione dictum volo in hac parte. Suppono etiã quæſtionem eſſe inter DD. an annus iſte ſit terminus exequutioni præfixus, ne ſcilicet vltra differatur Confeſſio, ex quo fit vt etiam elapſo anno teneatur quis confiteri ex præcepto anni elapſi? an vero ſit onus anno ita affixum, vt anno elapſo iam quis confiteri non teneatur, quamuis culpabiliter omiſerit confeſſionem, & communionem, ſicut qui omiſit auditionem ſacri die Dominica, non tenetur die ſequenti audire miſſam pro Dominica.

237 Numero autẽ 7. notat etiã quæſtionem eſſe inter Doctor. an annus confeſſionis computandus ſit à paſchate in paſchatem, an à prima die Ianuarij ad vltimum Decembris? alij vno modo, altero alij annum computant. Sed pro noſtra quæſtione ſupponendum eſt ab Eccleſia dari octo, vel quindecim dies poſt paſcha v. g. vel poſt vltimum diem Decembris ad implendum præceptum annuæ confeſſionis, & communionis, vt in vtraque ſententia locum habeat quæſtio præſens; ex hoc autem, quod iſti octo, vel quindecim dies concedantur illis, qui non ſunt confeſſi, non debent auferri illis, qui confeſſi, & communicati ſunt; ex quo ſequitur, quod ſi quis in vltima die Decẽbris vel in die paſchę anni 57. confiteatur, & communicet, ſatisfacit præcepto anni 57. & ſi primo die Ianuarij anni ſequentis, vel die ſecundo Paſchæ, qui iam eſt anni ſequẽtis in rigore confiteatur, ſatisfacit anno 58. ex quo inſurgit difficultas, an vnica confeſſione, & communione cenſeri poſſit ſatisfeciſſe præcepto vtriuſq; anni? nam illa confeſſio vere eſt moraliter anni elapſi, & phyſice anni currentis. Vnde videtur poſſe pro vtroque anno valere.

238 Numero autem 9. proponit negatiuam ſententiam eſſe omnium Theologorum, qui ſequuntur confeſſionem eſſe onus anni, ſicut auditio ſacri eſt onus diei, quia ſi ſupponatur illud tempus eſſe anni phyſice elapſi, dicunt iam non poſſe deſeruire pro anno ſequenti; ſi vero dicantur fieri pro anno currenti, dicunt non ſufficere pro anno elapſo, ex eo quod licet illi dies ſint ſeorſim deputati pro quolibet anno ſeorſim, non tamen pro duobus annis ſimul. Sic Suarez, & alij.

239 Vltimo in num. 10. *ſic inquit.* In ſententia vero aſſerente non eſſe onus anni, ſed habere annum pro termino ne vltra differatur, licet multi negẽt poſſe deſeruire pro duobus annis, nihilominus pars affirmatiua videtur reddi probabilis ex doctrina, quam nonnulli DD. & pręcipue Cardinalis de Lugo diſp. 15. de pœnit. ſect. 7. num. 180. probat. Dubitans enim, an ille qui toto anno non fuit confeſſus teneatur ſtatim elapſo anno confiteri? affirmatiuè reſ-

Digitized by Google

reſpondet, eo quòd onus confeſſionis habet annum pro termino, ne vltra differatur; non tamen pro termino affixo, quo tranſacto, tranſit obligatio. Qua doctrina ſuppoſita iterum dubitat, an ille, qui confeſſus fuit poſt annum elapſum v.g. 58. in principio anni 59. teneatur iterum confiteri dicto anno 59. ipſe contra Coninch, & alios docet, non teneri, quia ille vere fuit confeſſus anno 59. quia aliàs ſequeretur, quod ſi ille, qui vno anno omiſit, teneretur in ſequentibus confiteri, ille qui tres, aut quatuor, vel decem annis omiſerit, teneretur quater, vel decies in vno anno. Ex qua doctrina recte colligitur, quod ille, qui confeſſus eſt ſtatim lapſo anno ſatisfeciſſe præceptis duorum annorum, quia ex ſententia Lugonis, & aliorum cum ipſo ſentientium, tenebatur id facere ex pręcepto anni 58. & ei ſatisfecit: ex alio capite deobligabitur à confeſſione anni 59. ergo illi etiam ſatisfecit. Licet autem mihi cōtraria ſententia magis placeat neque ex ea ſequi putem, eum, qui tribus, aut quatuor annis, omiſit, teneri in vno vel ter, vel quater confiteri, vt dicam poſtea num. 19. Concedo probabilitatem huius ſententiæ, vt ad alios caſus, quos ex hac doctrina vult deducere Caramuel, nos transferamus.

240 Audiuimus Reuer. Patrem Franciſcum Bonę Spei, & Illuſtriſſimum Epiſcopū Oriolenſem cōtra Dominum Caramuelem, videamus nunc quid Caramuel ſentiat in hac difficultate dicto fundam. 31. ibi enim §. 1. cuius titulus eſt. De præcepti partibus, ſic inquit: ſi me amas lector, & doctrinę conſequentiam ſectaris; reſponde obſecro mihi; an ne poſſim ſimul eodem tempore duabus eiuſdem præcepti partibus ſatisfacere? aſſerunt omnes, qui tenent me poſſe ſimul tempore audire duas miſſæ partes. Vide Dianam par. 2. tract. 17. reſol. 18. infero: ergo ſicut de duobus præceptis, ſic de duabus eiuſdē partibus philoſophandum eſt: ergo ſi eodem tempore poſſumus etiam eadem actione. Concedis ne omnia? ergo proſequere rere, & reſponde ſequentibus. In ſecundo autem §. eiuſdem fundamenti. 31. cuius titulus eſt de Confeſſione, & Communione annua, an vnica duorum annorum obligationi ſatisfaciat? inquit præcipit Eccleſia &c. vt ſupra relata ſunt. In 3. vero §. de confeſſione menſtrua an duobus menſibus vna ſatisfaciat? Inquirit, & ſic loquitur: doctrinę conſequentia me promouet, ſunt Regulares Ordines, in quibus præcipitur, vt Religioſi ſinguli, vt minimum ſemel in menſe confiteantur poteſt religioſus hos menſes à die quocūque computare: ergo ſuſcipit à decima Ianuarij, & ſic inquit, decima Februarij confitebor. ergo ſi faciat, ſatisfaciet pro elapſo menſe; ſed eadem dies quę eſt vltima antecedentis mēſis, eſt ſubſequentis prima: ergo ſi confiteatur illa die bis (iterū pro priori menſe, & iterum pro poſteriori) ſatisfaciet obligationi duorum menſium; concedis? ſed quid ſi ſemel confiteatur? an non vnica confeſſione duorum menſium obligationi ſatiſfaciet? qui dicunt Chriſtianū vnica confeſſione, aut communione, poſſe pro duobus annis ſatisfacere, aut debebūt in cōſequēter loqui; aut teneri religio

ſum vnica confeſſione, poſse ſatisfacere pro duobus menſibus. Deniq; §. 4. cuius titulus eſt de lectione diurna; vbi inquirit an vnica lectione aliquis duorum dierum obligationi ſatisfaciat? ita diſcurrit Dom. Caramuel. Multum debent dialecticę cęterę facultates, & Theologia moralis plurimum; multę enim opiniones in illa ſola rationis paritate probantur. peto igitur vtrum ille qui Veſperę Matutinas, & laudes recitat duorum dierum ſatisfaciat obligationi? Ante quęſtionis reſolutionem ſuppono 1. poſse eccleſiaſticos Veſperę ſine mortali culpa legere matutinas, & laudes diei pręſentis, ſequentiſque &c. Deinde in eodem §. num. 754. 2. ſupponit dari duos immediatos dies, in quibus officium ſit, aut poſſit eſse de Communi Martyrum, aut Confeſsorum; & quod in vtriuſque officio ad dictas horas eoſdem pſalmos, & Antiphonas legere debeant, & omnes lectiones in vtriuſque officio ſint de Communi, aut Martyrum, aut Confeſsorum. 3. Supponit poſse ſine peccato graui mutari officium canonicum ex feriali in ſollemne, aut è contrario. quibus ſuppoſitionibus factis concludit dictum §. ſequentibus verbis. His poſitis dubiũ proponitur ſunt feria ſecunda, & tertia duobus martyribus dicata, aut cõfeſsoribus ſacrę authoritate publica (hoc eſt pręſcripro Rubricarũ Breuiarij,) aut ſaltem priuata (nempe ſi petrus duobus illis diebus decreuit legere officium eiuſdẽ martyris, aut Confeſsoris) petitur igitur an Philippus ſi ſub veſperũ ferię legat matutinas, & laudes diei, vtriuſque obligationi ſatisfaciat, ita ſaltem, vt nõ peccet mortaliter, nec feria tertia teneatur iterum eaſdem horas legere? cõſulto dixi ita ſaltem, vt non peccet mortaliter, quoniam ſi mutet officium ſine cauſa non poteſt non cenſeri hęc actio venialiter peccaminoſa, & quia varia ſunt ingenia hominum, forte illum aliqui de mortifero, alij de veniali arguent. in §. 5. proponit fundamenta ſententię affirmatiuę. In §. vero 6. ſententię negatiuę fundamenta ponit. In 7. deniq; rationi pro prima ſententia militãti ſatisfacit; in 8. pręterea §. occurrit rationibus negatiue ſententię; vſque ad §. 11. incluſiue. In 12. tamen reſoluit omnes pręfatas difficultates, & proprium iudicium fert. Sic enim in dicto §. decimoſecundo loquitur.

241 Voluimus exercere ingenium, & pro vtraque parte diſputare. Tempus eſt, vt controuerſiam reſoluamus, & ſententiam diffinitiuam pronunciemus. Sit igitur concluſio prima. Non licet vnica matutinorum, & laudium lectione duorum dierum obligationi ſatisfacere. Quam concluſionem probat Caramuel clariſſimè, quia conſuetudo, & vſus communis eccleſię eſt quędam certiſsima, & ſecuriſſima legis interpretatio; atqui omnes legunt bis matutinas, & laudes, vt ſatisfaciant duobus diebus, & omnes iudicant ſe teneri adhoc ſub peccato mortali: ergo iſte eſt verus ſenſus eccleſiaſticę legis, nec contrarius poteſt dici probabilis.

242 Poſtea ponit ſecundam cõcluſionem, ſic. Secunda nõ licet vnica confeſſione, aut vnica communione duorũ annorum obligationi ſatisfacere. eſt certa (inquit

(inquit Caramuel) & ſi res bene examinetur non erit contra Guillelmum ab Angelis Doctorem Louanienſem de Eccleſia Romana benemeritum, & propter labores, quos contra hęreſim Anſenianam ſuſcepit ab Hiſpaniarum Rege Epiſcopali dignitate honoratum, tam & ſi propter hetorodoxorum molimina vix tandem ad pacificam poſſeſſionem peruenerit.

243 Et poſtea conſtituit tertiam concluſionem ſic tertia. Religioſi qui ſingulis menſibus confiteri tenentur non poſſunt vnicà confeſſione duorum menſiũ obligationi ſatisfacere. Idem dicendum eſt de Parochis, ſeu Sacerdotibus, qui à ſuo Epiſcopo ſingulis menſibus confiteri iubentur; poſito hoc pręcepto (inquit Caramuel) de illo debebimus, ſicut de annuo philoſophari, & dicere non illud excidere elapſo menſe, ſed eum, qui menſe Ianuario non fuit confeſſus, teneri vi præcepti menſis Ianuarij, menſe etiam ſequenti confiteri. Quód ſi februario confiteatur, poſſumus ad mentem Guillelmi ab Angelis diſcurrere, & aſſerere illum, tam etſi peccauerit, diſferendo, vnica nihilominus cõfeſſione menſis precedentis, & currentis (Ianuarij, & Februarij) præcepto ſatisfacere. Hæc eſt doctrina Dom. Caramuelis.

244 Videant ergo Pater Franciſcus Bonęſpei, & Illuſtr. Epiſcopus Orioleníis, vbi Domin. Caramuel aſſerat vnica confeſſione, aut vnica communione aliquem poſſe duobus pręceptis ſatisfacere, cum ipſe oppoſitum, vt vidimus, doceat: ergo nõ recte impugnant Caramuelem; ſiquidem ei tribuunt doctrinam, quam non ſubſtinet, & ſupponũt ipsã à Caram. defendi.

245 Quare dicendum eſt non poſſe aliquem vnica Communione Sacramẽtali duplici pręcepto anni videlicet pręteriti, & pręsẽtis, aut pręsẽtis, & futuri ſatisfacere, quia pręceptũ Cõmuñionis in hoc differt à pręcepto cõfeſſionis, quod pręceptũ Cõmunionis alligatum eſt tempori paſchatis; præceptum vero confeſſionis quocumque die anni impleri poteſt, quod clare colligitur ex capit. omnis vtriuſque ſexus de pœnitentia, & remiſſione; vbi ſic habetur omnis vtriuſque ſexus fidelis poſtquã ad annos diſcretionis peruenerit omnia ſua ſolus peccata confiteatur fideliter ſaltem ſemel in anno proprio Sacerdoti, & iniunctam ſibi pœnitentiam ſtudeat pro viribus adimplere. Suſcipiens reuerenter ad minus in paſcha Euchariſtię Sacramentum; ex quibus verbis, vt bene notat Epiſcopus Orioleníis vbi ſupra ſatis clarè diſcernitur ad Confeſſionem totum anni tempus deſignari, ad communionem vero tempus Paſchatis pręfigi.

246 Ad fũdamentũ P. Bonæſpei quatenus aſſerit nõ poſſe aliquẽ vnica cõfeſſione duobus præceptis anni pręteriti, ſcil. & præſentis ſatisfacere, ſatis conſtat ex à nobis dictis par. 1. tract. 1. de Sacram. pœnitent. reſol. 31. vbi de hoc puncto late tractauimus, & explicauimus in quo sẽſu poſſit aliquis vnica cõfeſſione ſacramẽtali duorũ annorũ pręcepto ſatisfacere; pręcipuè à n. 498. vſq; ad fin. dict. reſ. Nũc aũt in particulari ad dictũ fũdamẽtũ P. Bonęſpei reſpõdetur eſse maximum diſcrimẽ inter pręceptum annuę cõfeſſionis, & pręceptum annuę communionis,

nam Annus aſſignatus ab eccleſia pro adimplendo confeſſionis precepto, non eſt terminus exequutioni prefixus, ne ſcilicet vltra differatur confeſſio, ex quo fit vt etiam elapſo anno teneatur quis confiteri ex præcepto anni elapſi, modo à nobis explicato dict. 1. part. loco ſuper citato. Quare vt ibi diximus, qui diſtulit confiteri in anno preterito, vſque ad initium anni ſequentis, tenetur confiteri initio anni præſentis ad adimplendum præceptum confeſſionis anni præteriti; & ſi in dicta confeſſione ſolum confiteatur peccata mortalia cõmiſſa in anno præterito; & nullũ commiſſum in anno præſenti, ex eo quod in dicto anno præſenti, nullum peccatum mortale commiſerit, adimplet preceptum confeſſionis anni preteriti tantum. Quare ſi poſt hanc confeſſionem factam in anno preſenti ad adimplẽdum preceptum confeſſionis anni preteriti mortaliter peccet, tenetur iterum in dicto anno preſenti confiteri, ad adimplẽdum preceptum Eccleſiaſticũ annue confeſſionis dicti anni præſentis. Attamen ſi in dicta confeſſione anni preſentis non ſolum confiteatur peccata mortalia commiſſa in anno preterito, ſed etiam aliqua mortalia commiſſa in anno preſenti, vnica illa confeſſione optime poteſt ſatisfacere vtriq; precepto annuæ confeſſionis anni preteriti, videl. & præſentis, abſq; eo ꝙ teneatur iterũ in dicto anno preſẽti cõfiteri, vt latè diximus in dicta 1. part. loco ſup. citato. Præceptum autem annuæ communionis cum ſit prefixum, & allegatum tempori Paſchatis, & non detur, vt terminus totus annus ad adimplendum precepтum communionis, ſicut datur annus confeſſionis, ideo qui nõ cõmunicat in tempore prefixo Paſchatis vnius anni, ex vi precepti anni elapſi, nõ tenetur elapſo anno communicare ad adimplendum preceptum anni preteriti, ſicut diximus de cõfeſſione annuali; quod quia annus nõ aſſignatur pro tempore prefixo ad adimplendum præceptum annue confeſſionis, ſed ſolum pro termino ad adimplendum dictum preceptum annue cõfeſſionis; ideo qui culpabiliter, aut inculpabiliter nõ fuit confeſſus anno preterito, tenetur confiteri initio anni ſequentis, ad adimplendum præceptum confeſſionis anni preteriti. Quæ ratio non militat reſpectu precepti annue communionis, quia tempus Paſchatis nõ aſſignatur pro termino, ſed pro tempore prefixo exequutione communionis ſacramentalis, & illi quindecim dies, aut octo, qui deſignantur ab Eccleſia poſt paſcha, vt fideles commodius poſſint preceptum communionis adimplere pro vno reputantur in ordine ad precepti adimpletionem; eſt enim priuilegium Eccleſiæ, vt nemo poſſit ſe excuſare à cõmunione dare illud tempus, & priuilegium (vt bene notat Epiſcopus Orioleſis loco ſupr. citato num. 5.) non debet extendi in fraudem precepti: ergo nemo ſiue ſemel, ſiue bis communicet illis quindecim diebus excuſatur à communione anni ſequẽtis; patet conſequentia quia in anno ſequenti eſt aliud Paſcha, & aliud preceptũ reſpicit illos dies ſicut auditio ſacri: non enim poſſet auditione miſſe in illa die quis ſatisfacere pro auditione

ditione miſſę in die Paſchatis anni currentis, & futuri; numquam enim poſſet dici, quod illi dies ſunt duorum paſchatũ, ſed vnius; ergo ſimiliter in cõmunione.

147 Ad confirmationem argumẽti Patris Franciſci Boneſpei reſpondetur negando poſſe quem vnica confeſsione ſatisfacere pro pręceptis annuę confeſſionis totę vitę ſuę; ſicut poteſt vnica confeſſione duorum annorum obligationi ſatisfacere modo à nobis ſuperius explicato; quia omnibus annis tenemur ex eccleſiaſtico pręcepto ſemel ad minus confiteri peccata mortalia commiſsa in illo anno, & in tantum cõcurrit obligatio cõfitendi initio anni v.g. B. ad adimplendum pręceptum confitendi anni. A. ſuppoſito quod quis in illo nõ fuit confeſsus, quia Annus A. non fuit aſſignatus ab Eccleſia, vt terminus pręfixus exequutioni pręcepti, & ita tranſacto anno. A remanet obligatio initio anni B. adimplendi pręceptum confeſſionis Anni A. & cũ quis confitetur initio anni B. peccata mortalia commiſsa in anno. A. & in anno B. adimplet pręceptum confitendi Anni A. quia verè fuit confeſsus peccata mortalia commiſsa in Anno A. & adimplet pręceptum cõfitendi in anno B. quia vere, & realiter confeſſionem facit in anno B. & confitetur ſimul cũ peccata commiſsa in anno A. peccata mortalia commiſsa in anno B. quę ratio non currit reſpectu anni futuri C. D. &c. quia non poteſt in anno B. cõfiteri peccata committenda in anno C. & D. & ita non concurrit in anno B. obligatio cõfitendi in anno C. & D. &c. ſicut cõcurrit obligatio in anno. B. confitendi in anno A. & in anno B. & ita confirmatio Pat. Bonæſpei ruit; non ſolum reſpectu confeſſionis annualis, ſed etiam reſpectu confeſſionis menſtruæ: nam idem quod dicimus de confeſſione annuali, dicimus ſeruatis ſeruandis de confeſſione menſtrua, vt notaui in dict. 1. part. dict. reſol. 31. num. 507. §. ex dictis infero.

248 Nec valet ſi dicas, quod ſi quis nõ fuit cõfeſſus anno præterito, teneretur initio anni ſequentis confiteri ad adimplendum præceptum anni præteriti, ſequeretur, quod qui nõ fuit confeſſus in decem annis, teneretur in vno anno decies confiteri, ſed hoc non eſt dicẽdum: ergo nec quod teneatur in anno ſequenti confiteri ad adimplendum pręceptum confeſſionis anni pręteriti, ac per cõſequens annus confeſſionis erit tempus præfixum exequutioni pręcepti, & conſequenter, nec tenebitur anno ſequenti ad adimplendum pręceptum cõfeſſionis anni præteriti, nec vnica confeſſione poterit duplici pręcepto confeſſionis ſatisfacere, ſcilicet anni præteriti, & præſentis. Hoc inquam non valet; nam reſpondetur negando ſequelam; quia vt bene notat Illuſtriſs. Epiſcopus Orioleñſis dict. queſt. 10. ſupra citata caſu 3. §. 3. nu. 20. verſu hinc iã. iſte talis qui non fuit confeſſus per decem annos, ſatisfacit vnica confeſſione primo facta pro decem annis, quia in prima cõfeſſione tenetur omnia decem annorum peccata confiteri: ergo ſi bonam cõfeſſionem faciat, iam non poteſt obligari ad aliã confeſſionem; quia iam non habet peccata, quæ confiteri te-

teneatur. Eodem modo dicimus in noſtro caſu, de eo, qui per vnũ annum integrum non confitetur, & poſtea immediatè primo, vel ſecundo die anni ſequentis confitetur; nam per vnam confeſſionem confitetur peccata vtriuſque Anni, & iam caret peccatis, quæ confiteri teneatur, & per conſequens nõ tenebitur pręcepto anni ſequẽtis, quia in illo confeſſus eſt.

249 Sed occaſione huius difficultatis inquires, an ſicut vnica Confeſſione poteſt quis duorũ annorum præcepto ſatisfacere, poſſit etiam auditione vnius miſſæ homo catholicus duorũ dierum obligationi ſatisfacere? Difficultatem proponit Dom. D. Ioannes Caramuel dict. fundamen. 31. §. 3. hunc in modum occurrit mihi hoc dubium in libro Eminentiſsimi Cardinalis Lugonis diſp. 15. ſect. 2. (nõ ſect 7. nu. 55. vt inuenies apud Caramuelem dict. §. 13.) num. 55. legenti agit ibi Sapientiſſimus vir de nocte Natiuitatis, quomodo in ea obſeruetur ieiuniũ naturale inquirit, & ait; dubitari poſſet de nocte Natiuitatis Domini, in qua videtur de facto diſpenſare pro Cardinale celebrante primam miſſam poſt matutinum in Sacello Pontificio coram eodem Pontifice, nam reuera ſolet miſſa tota abſolui ante mediam noctem, vt poſſint Cardinales opportune cõuenire ſequenti die ad tertiam miſſam, quam celebrat ſollemniter Pontifex in Baſilica S. Petri. Vnde tacite videtur Pontifex diſpenſare cum Cardinale, vt celebret ante mediam noctem non ieiunus, nam intra eamdem diem hora ſolita pranſus eſt, alioquin cogeretur aliquando per biduum ieiunare, quando v. g. vigilia Natalis eſt in Dominica, tunc enim debe-ret ieiunare à prandio ſabathi, in quo fuit ieiunium vigiliæ, vſq; ad feriam ſecundam poſt tertiam miſſam natalis, quod quidem de facto non fit. Hoc ſuppoſito occurrit difficultas, an ſi dies Natiuitatis in feriam ſecũdam incidat, tam ipſe Cardinalis, qui celebrat, quam fideles, qui audiunt, poſſint licite nullam aliam miſſam audire illa Dominica, nec teneantur aliam miſſam audire in die Natiuitatis, ſed illa vnica miſſæ auditione adimpleant præceptum audiendi miſſam in die Dominica, & præceptum audiendi miſſam in die Natalis Domini, itaut duplici pręcepto vnica illa miſſa ſatisfaciant?

250 Hęc difficultas maximè dependet ex alia, an ſcilicet Summus Pontifex in dicta Vigilia Natiuitatis diſpenſet in ieiunio naturali cũ Eminentiſſimo Cardinale celebrante, an vero non diſpenſet cum illo in ieiunio naturali, ſed ſummus Pontifex anteponat in illo loco, ſcilicet in Sacello Pontificio diem Natalis Domini per duas circiter horas? quod poſſe facere nemini dubiũ eſt, cum aſſignatio initij diei ſequentis, quod incipiat ſcilicet poſt mediam noctem diei antecedentis ex libera hominum voluntate dependet; vnde optime poterit Summus Pontifex diem Natiuitatis per duas horas in ſacello Pontificio anteponere, & ſic Cardinalis celebrans tunc miſſam in tali loco non celebrat miſſã in Vigilia Natiuitatis cum iam ſit finita, vt ſupponitur, ſed in die Natalis Domini, & ſic celebrat ieiunus ieiunio naturali.

251 Ad hanc difficultatem reſpon-

pondet Zacharias Paſqualigus in ſuis deciſ. mor. deciſ. 311. nu. 4. & ſequētib. Summum Pontificem quotannis diſpenſare cū Cardinale celebraturo, vt poſſit non ieiunus celebrare, expediens ſuper hoc ſpeciale Breue ac proinde in hac Paſqualigi ſententia ſupponitur, quod ſit celebraturus intra diem precedentem diem Natiuitatis; & quod hoc ſit dicendum probat, quia aſſerere, quod Summus Pontifex in ſuo Sacello Pontificio anticipet quotannis per duas circiter horas diem Natiuitatis Domini non habet aliquod fundamentum: ergo aſſerendum eſt, quod diſpenſat Summus Pontifex cum Cardinale celebraturo, vt poſſit in ſupradicto loco non ieiunus celebrare. Antecedens probatur, quia quod celebretur miſſa ante mediam noctem non magis facit, quod anticipetur dies, quam quod Pontifex cenſeatur tacitè diſpenſare cum celebrante, imo hoc potius colligitur, quia diſpenſatio cadere poteſt ſupra ſpecialem perſonā & ſpecialem locum, & eſſe ex ſpeciali occaſione, quia eſt priuilegium, quod reſpicit priuatam perſonam, & anticipatio diei ex natura ſua eſt vniuerſalis, quia debet eſſe ſecundum naturam temporis, quod eſt omnibus cōmune, & proinde ſi admitteretur tacita diſpenſatio in caſu, in quo non eſſet expreſſa, eſſet iuxta naturam diſpenſationis; ſi autem admittatur anticipatio diei eſſet contra naturam temporis, & ideo non poſſet admitti; niſi de hoc expreſſe conſtaret. Deinde quia ſi adeſſet anticipatio diei pro illo loco, poſſet aliquis alius in eodem loco celebrare ante mediam noctem, quia iam eſſet inceptus dies, quod tamen non cenſetur licitum.

252 In qua ſententia Paſqualigi videtur ſequi, quod ſi vigilia Natalis Domini incidat in Dominica, poſſit quis per præfatā miſſam adimplere præceptum miſſæ audiendæ in Dominica, quia illa miſſa vere in dicta ſententia celebratur in die Dominica, & pro die Dominica, non autem in die natiuitatis Domini, & pro natiuitatis die: ergo optime infertur, quod quis poſſit præceptum audiendæ miſſæ pro die Dominica adimplere auditione prędictæ miſſę.

253 Contrarium docet Eminētiſſimus Cardinalis de Lugo de Sacramentis diſp. 15. de Sacramento Euchariſtiæ ſect. 2. num. 55. (nō ſect. 7. vt inuenies apud Caramuelē dicto §. 13. & apud Epiſcopum Orioleſem in ſuis ſelect. quęſt. moral. contra Caramuel. quæſt. 10. caſu 3. §. 4. num. 25.) Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus D. Ioannes Caramuel in theolog. fundamentali fundam. 31, §. 13. num. 772. Quæ ſententia mihi verior, & probabilior videtur. Quare in hac ſententia, qui audit in Vigilia Natalis Domini ſi incidat in Dominicam, miſſam, quæ celebratur in ſacello Pontificio, non poteſt adimplere pręceptum audiendi miſſam in die Dominica; bene tamen adimplet præceptum audiendi miſſam in die Natiuitatis Domini; & ratio eſt manifeſta, quia illa miſſa non celebratur in vigilia Natiuitatis, cum iam ſit finita in illo loco reſpectu Cardinalis celebrantis, & eorum, qui miſſam audiunt, ex eo quod Summus Pontifex anteponit in dicto loco diem natiuitatis Domini

mini per duas circiter horas ante mediam noctem Vigiliæ natiuitatis, & ita ibi quoad hoc intelligitur finita Vigilia, & inceptus dies natiuitatis, in quo & pro quo dicta miſſa coram Summo Pontifice celebratur: ergo non poteſt quis adimplere prçceptum audiendi miſſam in die Dominica per auditionẽ prædictæ miſſæ, cum non celebretur in die Dominica, ſed in die natiuitatis Domini. Ex quo infert, & bene Dom. Caramuel vbi ſupra concluſ. 2. quod ille Cardinalis præter hanc miſſam, quam coram Põtifice celebrat, non poteſt tres alias celebrare in die natalis Domini; quod clariſſime oſtenditur, quia in natali Domini tres poteſt celebrare miſſas nõ quatuor; atqui ſi poſſet celebrare alias tres miſſas non tres, ſed quatuor celebraret miſſas in die natalis Domini: ergo &c. His ita prænotatis.

254 Dicendum eſt, quod neq; in vna, neque in altera ſentẽtia poteſt verificari, quod ſi vigilia natiuitatis Domini incidat in Dominica, & feſtum Natalis Domini in feria ſecunda, poſsit quis vnica illa miſſa duplici prçcepto audiendi miſſam ſatisfacere, nempe præcepto audiendi miſſam in die *Dominica*, & præcepto audiendi miſſam in dia natalis *Domini*. Quod ſic oſtendo; quia vel ſupponitur, quod illa miſſa celebratur in Vigilia natalis *Domini*, & pro ipſa vigilia diſpenſante ſummo Pontifice in ieiunio naturali cũ Cardinale celebrante, & ſi hoc ſupponitur, non poteſt quis præcepto audiendi miſſam in die natalis *Domini* auditione dictæ miſſæ ſatisfacere, quia præceptum obligat audire ſacrum in die natalis *Domini*; atqui miſſa, vt ſupponitur non dicitur in die natalis *Domini*, quamuis pro die natalis *Domini* celebretur: ergo ad plurimum poterit adimplere præceptum audiendi miſſam in die *Dominica*, non autem adimplere prçceptum audiendi miſſam in die natalis *Domini*, ſi quidem dies Natalis *Domini* non eſt inceptus, vt ſupponitur.

255 Non me latet ſententia P. *Leandri* à ſanctiſſimo Sacramẽto part. 3. tract. 2. *diſp.* 1. quæſt. 27. affirmantis, quod ſiue dicta miſſa celebretur in die Natal*is* *Domini*, ſiue celebretur in vigilia ipſius Natalis Domini, qui illam audit, adimplet præceptũ audiendi miſſam in die Nat*alis* *Domini*; ſic enim inquit dictus Pater Leander. Ego vero abſolute reſpondeo dicendũ quod (ſiue illa miſſa dicatur celebrari in ipſo die Nat*alis* *Domini*, eo quod exiſtimat Lugo, eccleſiã pro illa vice anticipare diem ſequẽtem per aliquas horas, ſiue non cenſeatur celebrari in die ipſo natalis *Domini*, vt Paſqualigus loco citato, & dedi Caſtillus de Sacram. tract. 4. diſput. 9. num. 404. volunt) qui miſſam prædictam celebratam coram Pontifice ante mediam noctem audierit, vere ſatisfaciet præcepto audiendi miſſam in die Natalis, quia ſi dicamus cũ Lugo, quod illa miſſa celebratur in ipſo die Natalis manifeſtum eſt quod audiens illam, adimplet præceptum audiendi miſſam in die Natalis *Dñi*. Si vero dicamus cũ dedi Caſtillo, & *Paſqualigo*, quod illa miſſa non celebratur, niſi veſpere Natalis, adhuc dicendum eſt, quod audiẽs illam ſatisfaciat, eo quod prudenter cenſendum ſit hanc eſſe men-

Digitized by Google

mentem Pontificis, & Eccleſię, à quibus dimanauit præceptũ. Sic ille.

256 Sed certè ex hac ſententia ſequeretur id, quod arguit Eruditus Domin. Caramuel vbi ſupra num. 773. non ex propria ſententia (vt male iudicat Epiſcopus Oriolenſis dict. quæſt. 10 ſupra citata num. 27. & 31.) ſed diſputandi gratia, ſcilicet quod iſte talis, qui miſſam audit corã Pontifice in vigilia natiuitatis Domini, quę in dicta vigilia celebratur, vt ſupponit Leander, ſi feſtum natalis Domini incidat in feria 2. & vigilia incidat in Dominica, poſſet, qui dictã miſſam audit non ſolum ſatisfacere præcepto audiendi miſſam in die natiuitatis, ſed etiam ſatisfacere pręcepto audiendi miſſam in die dominica, & cõſequẽter auditione vnius miſſæ duplici præcepto audiendi miſſam ſatisfaceret; atqui hoc nõ eſt dicendum, nec hoc concedit Leander, Imo contrarium aſſerit dict. diſp. 1. quæſt. 28. vbi affirmat, quod per auditionem dictæ miſsæ in dicto caſu, non adimpleret quis pręceptum audiendi miſsam in Dominica: ergo &c. Probatur ſequela, quia in tali caſu iſtę propoſitiones eſsent verę, nempe petrus audiuit miſsam in vigilia Natiuitatis Domini, cum miſsa in vigilia Natiuitatis celebretur, vt ſupponitur; petrus audiuit miſſam in die Natiuitatis, cum miſſa celebretur ex intentione Põtificis pro die Natiuitatis Domini: ergo illa miſsa poterit ſatisfacere duplici præcepto audiendi miſſam in die Dominica, & in die natiuitatis, quod non eſt dicendum, vt pote ex ſe manifeſte falſum: ergo aſſerendum eſt prædictam miſſam non celebrari in vigilia natiuitatis, ſed in Natiuitatis die anticipante summo Pontifice diem Natalis Domini in ſuo ſacello pontificio pro tali effectu modo ſuperius explicato. Vnde qui audit miſſam, non vigiliæ præceptum, ſed diei natalis adimpleuit, quia dies quoad auditionem, & celebrationem incepit ea hora, & finita fuit, quoad hanc actionẽ vigilia, vt bene docet Epiſcop. Oriolenſis, dicta q. 10. §. 4. n. 30.

257 Vel ſupponitur, quod miſſa celebretur in die Natalis Domini, & pro ipſo die, etſi hoc ſupponitur etiã falſum eſt quod poſſit vnica illa miſſa vtrique obligationi audiendi miſſam in die Dominica, & in die Natalis Domini ſatisfacere: nam præceptum audiendi miſſam in die feſtiuo eſt pręceptum affixum ipſo die; atqui vt ſupponitur dies vigilię Natiuitatis, quando miſſa celebratur, eſt tranſacta, cum miſſa dicatur celebrari nõ in vigilia Natiuitatis, ſed in ipſo Natiuitatis die, ergo qui dictam miſſam audit, non poteſt auditione illius ſatisfacere obligationi præteritæ audiendi ſacrum, quę finiuit finita die vigiliæ Natiuitatis; caſu quo dicta Vigilia ſit dies Dominica: ergo ſolum poteſt ſatisfacere præcepto audiendi miſſam in ipſa Natiuitatis die: ergo nullo modo poteſt verificari, neque in vna, neque in altera opinione circa celebrationem miſſæ in ſacello pontificio in vigilia Natiuitatis Domini, quod vnica miſſę auditione poſſit quis duplici pręcepto audiendi miſſam ſatisfacere.

258 Nec contrarium conuincit argumentum ſupra allegatum contra Patrem Leandrum in noſtra opinione, quæ vt longe

probabilius ſentit cum Eminē-tiſſimo de Lugo Summum Pō-tificem non diſpenſare in ieiunio naturali cum Eminentiſſimo Cardinale celebrante in vigilia Natiuitatis in ſacello pontificio, ſed anteponere per aliquas horas diem Natiuitatis Dominicę. Itaque ille duę propoſitiones, ſcilicet, petrus audiuit miſſam in vigilia Natiuitatis: petrus audiuit miſſam in die Natiuitatis, non ſunt ſimul verę, & ideo conſequentia eſt omnino falſa, ſcilicet petrum vnius miſſę auditione duorum dierum obligationi ſatisfeciſſe; cuius rationem reddit Domin: Caramuel 1. quia duobus titulis debebat petrus audire ſacrum: ergo ſtando rigori ſcholaſtico, niſi praxis, & conſuetudo Eccleſię diſpenſet in hac lege, duo ſacra, audire tenetur, vnū in die Dominica, & aliud in die Natalis Domini, ſed vt ſupponitur in die Dominica miſſam non audiuit, in qua dicitur eſſe vigilia natalis Dñi: ergo illa propoſitio non eſt vera, petrus audiuit miſsā in vigilia Natalis Dñi, quod nō audierit miſsam in vigilia natalis *Domini*, patet, quia ſolum ſupponitur audiuiſſe miſſam celebratam in pręſentia Summi Pontificis in dicta Vigilia; atqui dicta miſſa in ſacello pontificio, licet celebretur ante mediam noctem dictę vigilię non dicitur celebrari in dicta vigilia, ſed in die Natalis Domini, ex eo quod Pontifex antepoſuit pontificia auctoritate diem Natiuitatis Domini per duas circiter horas: ergo non eſt verum dicere in dicto caſu Petrum audiuiſſe miſſam in Vigilia Natalis Domini, ſed vera erit altera propoſitio Petrum audiuiſſe miſſam in die Natalis Domini; qua miſſę auditione non potuit ſatisfacere pręcepto audiendi miſſam in die Dominica, quia tunc, quando illam audiuit, dies Dominica in dicto ſacello Pontificio ſupponitur tranſacta. Et licet Eccleſia (inquit Caramuel) ratione praxis ipſius Eccleſię vnica ſacri auditione, ſit contenta die Dominica, in qua incidit Sancti Petri ſollemnitas; non tamen eſt cōtenta auditione vnius ſacri in pontificio ſacello celebrati, etiam ſi celebraretur pro die Dominica, in qua incidit pro feſtum Natiuitatis, & pro die Lunę, in qua incidit feſtum ipſius Natiuitatis: ergo licet ibi vnica ſacri auditione duobus pręceptis (alteri de audiendo ſacro in die Dominica, alteri de audiendo die Principis Apoſtolorum ſacro) ſatisfaciat, hic non ſatisfiet duabus obligationibus, quia conſuetudo, & praxis militat in contrarium. Secūdo quia ſi ſtemus etiam ſententiæ probabili Patris Leandri à ſanctiſſimo Sacramento, adhuc argumentum non conuincit, quia illud ſacrum, ſiue dicatur in vigilia Natiuitatis Domini, ſiue in feſto Natiuitatis, ſeu in tempore tam feſto, quam pro feſto communi, eſt nihilominus ſacrum, quod ex mente Pontificis (ad quem pertinet de huiuſmodi rebus abſolutè diſponere) nec dicitur, nec auditur pro vigilia Natiuitatis Dominicę, ſed pro feſto ipſius Natiuitatis; ſic ad argumentū reſpondet Caramuel, & bene. Quare ignoro qua ratione illuſtriſſimus Epiſcopus Orioleſis vbi ſupra dict. quęſt. 10. §. 4. nu. 30. aſſerat Caramuelem affirmare, quod in caſu propoſito poſ-

ſit

ſit petrus auditione illius miſſę duplici præcepto ſatisfacere, cum Caramuel, vt vidimus, cõtrarium aſſerat, & reſpondeat ad argumentum modo ſupra relato, licet illud apponat, nõ ſub nomine Petri, ſed ſub nomine Anſelmi, ideoque immerito Epiſcopus Orioleníis ad prædictum argumentum reſpondet, tamquam ſi eſſet argumentum ſententiæ Caramuelis per hæc verba. Ad primam ergo Caramuelis conſequentiam dicendum eſt vigiliam Natiuitatis durare vſq; ad horam 12. diſtingo quoad officij lectionẽ concedo, quoad miſſæ auditionẽ nego. Vnde nego illas duas propoſitiones veras eſſe, nam Anſelmus, qui in die Dominico, qui fuit Vigilia Natiuitatis, non audiuit aliam miſſam, niſi illam, quam dicit Cardinalis nõ audiuit miſſam die Dominico, ſed die Natalis, vnde non eſt vera illa. Anſelmus audiuit miſſam in pro feſto Natiuitatis. Si enim Caramuel, vt vidimus, neget Anſelmum auditione vnius miſſæ duorum dierum obligationi ſatisfeciſſe, ſiue ſtãdo in opinione aſſerente miſſam celebrari in pro feſto Natiuitatis, ſiue ſtando in opinione, quod illud ſacrum dicatur in pro feſto, ſeu in feſto, ſeu in tempore, tam feſto, quam pro feſto communi, quomodo potuit Caramuel contrarium affirmare, vt vult illuſtriſſimus Epiſcopus Orioleníis. Habeamus ergo vt certum, quod in quacumque opinione ex ſupra relatis ſi ſtamus, numquam poteſt verificari; quod ſi feſtum Natiuitatis Domini incidat in feria ſecunda, & profeſtum in Dominica aliquis poteſt auditione miſſæ, quæ in pro feſto Natiuitatis celebratur in Sacello Pontificio, ſatisfacere duplici pręcepto audiendi ſacrum, ſcilicet in die Dominico, & in die Natiuitatis Domini.

259 Sed quia vt ſupra diximus probabiliorem iudicamus ſententiam affirmantem ſummum Pontificem non diſpenſare in ieiunio cum Eminentiſſimo Cardinale, qui celebraturus eſt ſacrum in ſacello Pontificio in vigilia Natiuitatis Domini, ſed quod ſua pontificia auctoritate anteponit quotannis per aliquas paucas horas diem Natiuitatis Domini, ad dictum effectum dumtaxat neceſſe eſt, vt ad argumenta in contrarium P. Zachariæ Paſqualigi reſpondeamus, vt omni ex capite ſoluta maneat præfata difficultas. Reſpondeo ergo ad fundamentum Paſqualigi negando antecedens, & ad eius probationem dico, quod eo ipſo quod ſummus Pontifex diſponit, in vigilia Natiuitatis miſsam in ſuo Pontificio Sacello ab Eminentiſs. Cardinale celebrari eo ipſo intelligitur anteponere per aliquas horas diem Natiuitatis in dicto loco reſpectu Cardinalis celebrantis, & eorum, qui miſsam audiunt ad hunc effectum dumtaxat, quia miſsa eſt celebratura de die natiuitatis, & non eſt miſsa votiua dictæ diei natiuitatis, & ideo optime habet locum antepoſitio prædicti diei natiuitatis per dictas paucas horas, quam antepoſitionem optime poteſt facere Summus Pontifex iuxta, & legitima exiſtente, vt tũc exiſtit, cauſa. Et ita non tam intelligitur diſpenſare in ieiunio cum dicto Cardinale celebraturo, quam anteponere diem Natiuitatis Domini, ad prędictum effe-

Digitized by Google

effectum; & licet verũ ſit quod diſpenſatio poteſt cadere ſupra ſpecialem perſonam, & ſpecialem locum, tamen non poteſt negare, quod anticipatio diei poſſit etiam cadere ſupra ſpeciale tempus,& locum,& ſupra ſpecialem perſonam iuſta,& legitima adhoc exiſtente cauſa. Et miror, quod Paſqualigus hanc anticipationem poſse facere neget ſummum Pontificẽ, cum ipſe concedat, quod in die ieiunij Eccleſiaſtici poteſt quis per vnam circiter horam anteponere diem ſequentem, quæ non eſt ieiunij, & comeſtionem facere abſque ieiunij fractione, non obſtante quod anticipatio temporis diei ex natura ſua ſit vniuerſalis, vt dicemus tractatu de Ieiunio *Ec*cleſiaſtico: ergo ſi hoc concedit voluntati libere cuiuſcumq; priuatæ perſonæ in dicto caſu, potiori iure debet concedere ſummum Pontificem poſse anteponere diem Natiuitatis Domini per aliquas paucas horas ante mediam noctem vigiliæ Natiuitatis. Ad id autem quod in dicto argumento additur à Paſqualigo, ſcilic. quod ſi adeſſet anticipatio diei pro illo loco, poſset aliquis alius in eodẽ loco celebrare ante mediam noctem, quia iam eſset inceptus dies; reſpondeo hoc eſse falſum, quia dicta anticipatio ſolum fit in illo loco pro Cardinale celebraturo in dicta hora, & non pro alijs Sacerdotibus generaliter, & vniuerſaliter loquendo, & ſic dies natalis dicendus eſt iam inceptus pro miſsę auditione, & celebratione, quoad Cardinalem celebrãtem tantum, & dumtaxat.

FINIS TRACTATVS QVARTI.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATVS QVINTVS

DE AVTHORITATE CAPITVLI GENERALIS REGVLARIVM.

RESOLVTIO PRIMA.

Vtrùm Capitulum Generale Regularium habet authoritatem condendi leges, & ſtatuta obligantia totam religionem.

RESPONDEO, & dico 1. quod Capitulum Generale Regularium habet omnimodam authoritatem, & poteſtatem faciendi ſtatuta in ſpiritualibus & temporalibus pro conſeruatione regulæ, quę quidem ſtatuta illicò omnes obligant, & cenſentur confirmata à Sede Apoſtolica, ita Rodoriquez tom.1.quęſt.regular. quęſt.41. art.2.Suarez to. 4. de religion. tract.10.lib. 19.cap. 1. Lezana tom.1. ſumm. regular. cap. 18. num.90.& tom.2.cap.12. nu.6. D.Marcus Vidal. in arca vitali tract. de ſubdito inquiſit.1. nu. 5. & eſt expræſſa doctrina Diui Thomæ in 2. ſententiarum diſtint.44. quæſt. vltima art. 3. & & alij: probatur hæc concluſio quoad primam partem, quia poteſtas condendi leges, & ſtatuta pro obſeruatione regulæ reſidet in Capitulo generali regularium tum ex iure communi, quia repræſentat totam Religionem, tum ex priuilegijs ſummorum Pontificum diuerſis religionibus conceſſis præſertim Innocentii 8.Ciſtercienſibus Martini 5. Eugenij 4. & Leonis 10. in extrauaganti Camandulenſibus, vt refert Rodriquez, & ex eo Lezana locis ſuperius citatis: ergo Capitulũ generale habet authoritatem condendi leges, ſeu Cõſtitutiones totam religionem obligantes in ſpiritualibus, & temporalibus pro conſoruatione regulæ. Quoad ſecundam vero partem; ſcilicet, quod ſtatuta facta à Capitulo Generali cenſeantur approbata à Sede Apoſtolica, probatur, quia ſic conceſſit Iulius 2. Congregationi Montis Oliueti, vt refert Rodoriquez loco ſuperius citato.

2 Dico 2. Capitulum Generale Regularium non poteſt facere ſtatuta regulam non concernẽtia, aut ſtatuta, quæ ſint ſuper regulam religionis, & ſi illa faciat, & præcipiat obſeruare non

non tenentur Religioſi profeſſi illa ſtatuta obedire, aut obſeruare: ita Diuus Thomas in 2. diſtint.44.quæſt.vltima artic.3. & quodliueto 10.articul. 10. & ſecunda ſecundæ quæſtio. 104. art. 5.ad 3. quem ſecuntur Leſſius lib.2.cap.40.dub. 9. nu. 76. Molfeſius tract.9.cap.5. nu.62. Nauarrus in conſilijs lib. 3. de regularibus Conſil. 17. num.6. Bonacina de legibus diſputat. 1.quęſt.1. punt.3. num. 16.Angel. verbo religio nu. 30. Salas de legibus diſp.8.ſect.12.nu.57. in fine Vaſquez prima ſecundæ diſput.154.cap.4. num. 24. Valentia.ſecunda ſecundę diſput. 10. quęſt.4. punt. 3. verſo nec vero. Sanchez in ſumma lib. 6. cap. 2. n.15. 17. &22. Azorius prima parte lib.13.cap.11. quęſt. 19. Peyrinus tom. 1. de religioſo ſubdito quęſt.1. capite 8. concl. 2. *Zaccharias* Paſqualigus in quęſtionibus moralibus centuria 1. quęſt.81. numer. 2. Miranda in manuali regulariũ tom.1. quęſt.26.art.10. Lezana tom. 1. ſummę regularium cap. 4.num. 13. vbi hanc concluſionem limitat: niſi in regula dicatur obediendum eſſe ſuperioribus etiamſi ſuper regulam aliquid pręcipiant; quia tunc ſubditus tenetur obedire eò quod in tali caſu, id quod præcipitur eſt conforme regulę Petrus Velaſius in prontumptuario regulari verbo Capitulum numer. 8. D. Marcus Vidal. in arca vitali tract. de ſubdito num.nu 21. & 43. probatur hęc concluſio quoad primam partem, quia ſi Capitulum Generale haberet poteſtatem, & authoritatem condendi leges, & ſtatuta non concernentia regulam, quam profitetur à Religioſis illius Religionis, aut ſupra regulam ſequeretur, quod poſſet Capitulum Generale addere Religioſis noua, & grauiora onera iis, quę tempore profeſſionis erant in dicta Religione; atqui hoc eſt falſum: ergo Capitulum Generale, Regularium non habet authoritatem condendi leges, aut ſtatuta obligantia totã Religionem, quę non ſint concernentia regulę, quam in ipſa religione profitetur, aut ſupra ipſam regulam. Probatur minor quia auſteritas de nouo impoſita (vt notat Peyrinus dict.tom. 1.de ſubditoquęſt.1.cap.8.§.2.) tangit omnes de Religione non vt vniuerſos, ſed vt ſingulos: ergo adhoc, vt obliget ordinatio ſuper regulã facta, aut non concernens regulam debet ab omnibus, & vt ſingulis de Religione approbari, vt habetur regul. 29. iuris de regulis iuris in 6. quod omnes tangit debet ab omnibus approbari facit etiam Abbas in cap. cum omnes de conſtitutionibus, vbi habet, quod in re communi pluribus, vt ſingulis, non valet quidquid facit maior pars; ſed oportet, quod omnes conſentiant, quibus fit pręiuditium: ergo quãuis Capitulum Generale habeat authoritatem cõndendi *leges*, & ſtatuta, quę ſint concernentia regulę, quę in *Religione* profitetur: tamen non habet authoritatem condendi nouas leges, & noua onera, quę ſint ſupra regulam.

3 Secunda pars concluſionis, ſcilicet, quod ſi Capitulum Generale regularium ordinet, & ſtatuat nouas leges, quę ſint ſupra regulam, quàm in Religione profitetur non tenentur Religioſi ſubditi illas prędictas leges obedire, & obſeruare probatur 1. ex Clementina exijt, qui

qui ſeminat ex 6. Decret.lib.5. de verbor.ſignificat.tit.12.cap. 3.vbi declaratur,quod Religioſi non ſolum obligentur ad obſeruanda tria vota eſſentialia Religionis: ſed etiam teneantur ad ea omnia implenda, quę ſunt iuxta regulę obſeruātiam, & quę ſpectant ad ea in regula contenta vltra quę omnia amplius non obligantur: & ſimiliter Gloſſa in Canone geſta diſtint.74. in verbo creſcere, ait quod Monachis, vel Canonicis inuitis diſtrictior vita non poſſit imponi: ergo ſi Capitulum Generale Regularium leges condat, & ſtatuta non cōcernentia regulam religionis, aut ſupra illam non erunt obligati Religioſi profeſſi illius Religionis dictas leges, & ſtatuta obſeruare.

Secundo probatur eadem ſecunda pars concluſionis: quia quamuis in Summo Pontifice reſideat primo poteſtas condendi leges Eccleſiaſticas immediatè à Chriſto Domino collata, vt probat perpetua traditio Eccleſię, quę à temporibus Apoſtolorum vſque nunc in omnibus Cōcilijs ſtatuit aliquas leges, & Canones ad componendos mores ſuorum fidelium: atqui ita extat definitum in Concilio Conſtant.vbi damnatur error Vuicles abnegantis: nihilominus ex communi Doctorum ſententia, vt refert Sanchez de ſtatu Religionis Religioſi profeſſi non poſſunt cogi à Summo Ponthifice ad profitendam aliam nouam, & arctiorem regulam cum obligatio viuendi ſecundum inſtitutum alterius Religionis inſurgere, & deſumi debeat ex perfectè libera, ac voluntaria ipſius vouentis promiſſione: ergo cū Religioſus profeſſus numquam viuere promiſiſſet, quidquid ſupra regulam profeſſam pręcipitur, ſequitur quod ad illud implendum cogi non poſſit à Capitulo Generali Religionis. Patet conſequentia; nam aliàs obligaretur inuitè, & coactè ſeruare id, quod ex libera electione non promiſit: atqui hoc affirmari non debet: ergo nec etiam, quod obedire teneatur, & obſeruare leges, & ſtatuta facta à Capitulo Generali, quæ ſint ſuper regulam religionis.

5 Dico 3. Capitulum Generale regularium non poteſt facere ſtatuta contra ius commune vel ſacros Canones. Ita Nauarrus lib.3.Conſiliorum de regularibus conſil.26. nu.4. Panormitanus in cap. quod ſuper his de maior.& obed. lib.1.decret. tit.30.aap.9.& cap.inſtitutionis 25. quęſt. 2. Ioannes Andreas cap.fin.de appellat.in 6.num.9. & cap. finali de officio Archipręsbyteri num 7.Lezana tom. 2.ſummę regularium cap. 12. num.3. Duardus in bullā Cęnę lib.1.cap.1.quęſt.1.nu. 2. Tambur. de iure Abbat.to. 3.diſp.3. quęſt. 2.& eſt deciſum à Rota coram Ludouiſio deciſ. 267.& alijs ab eo allegatis in deciſion. 103.num.7. par.2.diuerſorum. Probatur concluſio, tum ex dicto cap. ſuper his de maior. & obedien. vbi ſic habetur, quod ſuper his, & inſ. Abbates, & Sacerdotes Diœceſana ibi lege ſubditos, qui ad tuam Synodum venire contemnūt (dummodo in ipſa Synodo non ducas aliquid ſtatuendum, quod Canonicis obuiet inſtitutis) per cenſuram Eccleſiaſticam ad Synodum ipſam venire compellas, & debitam tibi obedientiam, & reuerentiam exhibere. Ex qui-

quibus verbis manifeſtè conſtat non poſſe Capitula quęcumq; illa ſint ſtatuere aliquid, quod ſit contra ius commune, vel Sacros Canones: tum etiam quia Capitula Generalia Regularium cum ſint inferiora Papæ non poſſunt aliquid ſtatuere contra prædictum ius cōmune, aut Canonicum, quod conditum eſt a Papa pro omnibus, vt notant Nauarr. tom. 1. conſiliorum titul. de Conſtitut. conſil. 9. num. 14. Suarez de legibus lib. 4. cap. 19. Caſtellinus de elect. Canonum Prælatorum cap. 1. num. 3. & caſu quo Capitulum Generale regularium ſtatuta aliqua conderet contra ius commune illa eò ipſo eſſent nulla, & irrita niſi ex ſpeciali priuilegio Sedis Apoſtolicæ facta fuiſſent; cum ſolùm Sedes Apoſtolica poſſit iuri communi derogare.

6 Aduerto tamen quod quamuis Capitulum Generale Regularium non poſſit ſtatuere aliquid contra ius commune: aut Canonicum, vt ſupra probauimus poteſt tamen dictum Capitulum Generale Regularium conſtitutiones iuris communis declarare, & innouare, & vbi pœna deficit opponere, vel augere, quia hoc potius eſt adiuuare ius commune, quod licitũ eſſe dicitur in cap. 1. de nouo opere: ita tenent Peyrinus to. 1. priuilegiorum regularium in conſtitutione vnica Pyrrhi §. 4. pagina mihi 3. vbi ſic ait, noto quod nullus Superior neque etiam Capitulum Generale poteſt facere ſtatuta contra ius commune, & cætera. & poſtea addit paucis interpoſitis poſſet tamen dictum Capitulum Generale conſtitutiones iuris cō-munis declarare, & innouare; & vbi pœna deficit apponere, vel veterem pro aliqua rationabili cauſa augere, quia hoc non eſt ius commune ſubuertere: ſed illud adiuuare. Lezana tom. 2. ſummæ regularium cap. 12. nu. 6. Petrus Vellaſius in prontuali regular. verbo capitulum num. 9.

RESOLVTIO SECVNDA.

Vtrùm Capitulum Generale Regularium poſſit diſpenſare in conſtitutionibus factis ab ipſo Capitulo Generali pro tota religione, confirmatis tamen à Summo Pontifice, & an poſſit eas derogare, aut abrogare ſaltem quoad aliquam partẽ abſq; Summi Pontificis licentia, & facultate.

7 PArs affirmatiua ſuaderit poteſt primo ex priuilegio ampliſſimo Eugenij 4. dato anno Dom. 1432. quod incipit ex ſollicitudinis debito, & etiam ex alio conſimili, & maiori Adriani 6. Datum anno 1501. quod incipit inter cæteros religionis Monaſticę profeſſores, qui duo Summi Pontifices concedunt Diffinitoribus Capitulũ generale repræſentantibus, non ſolum facultatem inſtituendi, ordinandi, interpręrandi, declarandi omnia, & ſingula, quæ ad regulæ ſtatum obſeruantiã, & idemptitatem tàm in ſpiritualibus, quam temporalibus concernunt; verum etiam ſic inſtituta ordinata, vel interpræata, aut declarata in toto, vel in parte prout rerum, aut temporum qualitas exigerit alterandi, & amouendi abſque tamen ipſius regulę variatione ſubſtantiæ. Ex quibus verbis manifeſtè videtur inferri dicto Capitulo

pitulo Generali facultatem cōcedendi, diſpenſandi in his, quę pertinēt ad ſtatum regulę qualia ſunt conſtitutiones religionum, cum debeant eſſe de his, quæ in regula directè, aut indirectè cōtinentur, vt diximus reſolut. præcedenti, & docent cōmuniter DD. hæc enim omnia ſignificantur in illis verbis alternandi, & amouendi, quæ hæc important, cum diſpenſatio nihil aliud ſit: quam quædā legis alteratio, & amotio illius, quoad obligationem: ergo Capitulum generale Regularium optimè poteſt in conſtitutionibus religionis confirmatis à Summo Pontifice diſpenſare, aut eas quoad aliquam partem derogare, & abrogare prout rerum, aut temporum qualitas exigerit.

8 Secundo ſuaderi poteſt, quia quicquid ſit de prædicta diſpēſatione: aut derogatione ſtādo in vi priuilegiorū, nihilominus ex vi iuris communis conceditur Capitulis generalibus regularium authoritas diſpenſandi in Conſtitutionibus ſui ordinis etiam ſi ſint Apoſtolica authoritate confirmatæ, imò, & authoritas abrogandi ipſas quoad aliquam partem, quod ſic oſtēditur. Quia conſtitutiones, quæ à Sede Apoſtolica confirmātur in fauorem alicuius religionis, fuerunt factæ ab ipſa religione, ſeù à Capitulo generali nomine totius religionis, & præſentatę Summo Pontifici vt ab ipſo approbatę, & confirmatę haberent maiorem authoritatem, perpetuitatem, & firmitatem, & Pontifex eas confirmat, vt factas ab ipſa religione, ſed in iure communi declaratur poteſtatem diſpenſandi in legibus competere legislatoribus ipſarum: quia obligatio legis humanæ inducitur pro voluntate legitimi ſuperioris pręcipientis iuxta illud res per quas cauſas naſcitur per eaſdem diſſoluitur quod habetur ex Canone omnis 27. quæſt. 2. & ex cap. omnis res de reg. iuris & tenent communit. DD. ſpecialiter Vaſquez de legib. diſp. 178. cap. 2. Azor. to, 1. lib. 5. cap. 15. Caſtropalaus part. 1. tract. 3. diſp. 6. pun. 4. n. 1. ergo cum capitulum generale religionis conſtitutiones cōdiderit poterit ſtando in iure cōmuni in illis diſpenſare; aut illas abrogare ſaltem quoad aliquā partem ipſarum.

9 Tertio ſuaderi poteſt: quia dicta confirmatio Apoſtolica conſtitutionum regularium nō habet vim præcepti, aut mādati Apoſtolici, ſed ſolùm eſt gratia, fauor, & priuilegium factū à Papa illis, qui dictas conſtitutiones fecerunt: ſcilicet Capitulo generali: ergo ſi eſt gratia, ſeù priuilegium poteſt Capitulum Generale illud renūciare: generaliter enim quilibet poteſt priuilegium, quod in ſui fauorem fuit conceſſum renunciare cap. ſi terra cap. accidentibus de priuileg. ergo cum cōceſſum ſit capitulo generali poterit prædictum Capitulum tale priuilegium renuntiare, & diſpenſare in ſuis conſtitutionibus, ac ſi non eſſent à Sede Apoſtolica confirmatæ.

10 Quarto ſuaderi poteſt, quia poteſt contingere, vt in corpore conſtitutionū alicuius religionis cōcedatur Generali Capitulo authoritas diſpēſandi in ipſis conſtitutionibus imò, & facultas abrogandi eas ſaltem quoad aliquam partem: ergo in tali caſu poterit Capitulum generale talis Religionis in ſuis

Gg con.

Digitized by Google

conſtitutionibus diſpenſare, & aliquam, aut aliquas illarum derogare; quantumuis confirmatæ ſint authoritate Apoſtolica. Conſequentia eſt legitima: nam Summus Pontifex confirmans prædictas Conſtitutiones etiam confirmat, quod Capitulum generale habeat authoritatem diſpenſandi in illas, & derogandi, aut abrogandi, eas, ſaltem, quoad aliquam partem. Antecedens verò videtur certum in noſtro Excalceatorum Ordine Beatæ Mariæ de Mercede: cum in noſtris conſtitutionibus confirmatis à Sede Apoſtolica videatur concedi Diffinitoribus, & Capitulo Generali prædicta authoritas diſpenſandi in ipſis Conſtitutionibus, prout ab ipſis Diffinitoribus, & Capitulo videatur expedire. Sic videtur debere intelligi, quod in dictis Conſtitutionibus dicitur diſtinctione 2. cap. 1. vbi habentur hæc verba: *Diffinitores autem omnes in Generali Capitulo Congregati, in omnibus, & ſingulis, quæ pro toto Ordine fuerint ordinanda, approbanda, & cõfirmanda, ita ſe habeant, quod ea omnia liberè ordinent, conſtituant, definiant, approbent, & decernant, & quidquid per eoſdem fuerit ſtatutum, & ordinatum vniuerſaliter, & inuiolabiliter in toto ordine ſeruetur.* In quibus verbis manifeſtè apparere videtur Conſtitutionem concedere Diffinitoribus in Capitulo generali congregatis facultatem, & authoritatem diſpenſandi in ipſis Conſtitutionibus cum eis in ipſis Conſtitutionibus; concedatur abſolutè, & ſine limitatione authoritas non ſolùm conſtituendi, & ordinandi ea, quæ ad bonum Religionis videbitur expedire, ſed etiam mutandi ea, quæ iam fuerunt ordinata ſi in executione earum; quæ ordinata iam fuerunt experientia adinuenerint inconuenientia non modica. Cum enim authotitas mutandi non limitatur ad certum, & determinatum genus ordinationum abſolutè in omnibus cenſenda eſt ex Aſſiomatibus iuris iuxta illud proloquium cõmune; *prohibitum, quod nõ inuenitur per legem conceſſum cenſetur.* l. nec non 28. poſt principium: ibi ſed ſi lex non prohibeat. Item aliud ſimile: *præmiſſa eſſe cenſentur omnia, quæ non ſunt prohibita.* Accedit etiam quod indefinita locutio æquiparatur vniuerſali in fauorabilibus. Deindè in eadem Conſtitutione, dicta diſtinctione 2. capite 4. habentur hæc verba: *quoties in Capitulo Generali quinque ex vocalibus poſtulauerint, aut iudicauerint expedire, quod aliquid proponatur ex ijs, quæ ad Capitulum pertinent. Præſes teneatur illud proponere, vt in Capitulo decidatur; niſi ad mutationem, vel additionem legum, vel Conſtitutionum ſpectet, quia vt hoc in Capitulo cõferatur maior pars Capituli id petere debet*, vbi notanda ſunt illa verba *niſi ad mutationem legum, aut Cõſtitutionum ſpectet.* Ex quibus videtur inferre, quod ſaltem maior pars Capituli põt proponere aliqua expedire, vt mutentur ex ijs, quæ in ipſis Cõſtitutionibus ordinantur, vt in Capitulo conferatur ſi conueniẽs fuerit prædicta mutatio

ergo

ego Capitulũ Generale examinata maturius cauſa poterit ea quę ad Cõſtitutionem pertinẽt mutare, & præcipere, vt deinceps; non obſeruetur, quod eſt in Conſtitutione diſpenſare, & eam in ea parte abrogare.

11 Pro maiori declaratione huius reſolutionis noto 1. quod conſtitutio aliqua regularium duplici modo poteſt à Summo Pontifice confirmari, ſcilicet, vel in forma communi, de qua in capit. quia diuerſitatem de conceſſ. præbendæ 2. vel in forma ſpeciali, & ex certa ſciẽtia, & de plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis de qua in capite ſicut graue de tranſact. & notat Gloſſa in cap. veniens eodem titulo verbo confirmatam, & aduertendum eſt, quod iſta ſcientia, quæ dicitur certa de qua loquimur intelligitur de ſcientia facti: nam ſcientia iuris ſemper ſupponitur in confirmatione cum Princeps dicatur habere ius in pectore cap. primo de conſtitut. iur. in 6. confirmatio in forma communi eſt illa, quæ fit à Summo Pontifice cum ſola cognitione confuſa priuilegij, quod ſimpliciter proponitur, vt antea conceſſũ ſine alio examine, vel diſtrictiori notitia illius. Confirmatio vero in forma ſpeciali, & ex certa ſcientia eſt illa, quando confirmatur priuilegium cum perfecta notitia illius, & tenoris eius, & omnium illius circumſtantiarum: vnde quando in ipſa confirmatione adducũtur aliqua verba, quibus ſufficienter ſignificatur præceſſiſſe examen, ſeu cognitionem perfectam, erit ex certa ſcientia. Quando vero in cõfirmatione nihil ſpeciale inuentum fuerit, erit in forma communi, ſigna autem, quod fuerit cõfirmatio facta cum exacta cognitione ſunt hæc, primum ſi inſtrumẽto confirmationis inſeratur totus tenor prioris priuilegij: nã tunc conſtat Summum Pontificem perfectam illius cognitionem habere, & patet ex cap. venerabiles de confirmat. vt il. vel inutil. vbi Gloſſa ſecundum ſi in confirmatione dicatur ex certa ſcientia, ſeu de plenitudine poteſtatis, vel non obſtante lege diſponente in contrarium. Nam tunc, licet non inſeratur tenor priuilegij confirmatio erit ex certa ſcientia, quia cum per tale verbum affirmet Papa, ſe ita confirmare illi credendum eſt. Omnis itaque confirmatio, in qua non erit vna ex prædictis particulis, vel illis ſimilis, & æquiualens, erit in forma communi, ita Suarez lib. 8. de leg. cap. 14. num. 4. & ex eo Peyrinus tom. 1. priuileg. regular. conſtitut. 2. Siſti 4. §. 6. n. 4. Hæc autem eſt diuerſitas inter confirmationem conſtitutionum regularium in forma communi, vel in forma ſpeciali, quod confirmatio in forma communi nullum ius nouum confert, nec dat valorem priuilegio ſi erat inualidum, nec vllum præiudicium infert tertio, vt notat Panormitanus in cap. dudum de decimis num. 8. ſed eſt ſolùm pura roboratio, vt ſumitur ex cap. quia diuerſitatem de conceſſ. prębend. & ex cap. 1. de confirmatione vtili, vel inutili, atque ita parum valet iſta confirmatio, vt dixit Gloſſa in illo cap. 1. de confirmat. vtili vel inutili, & Panormitanus par. 1. Conſilior. conſil. 102. num. 3. ſed adijcit ſolum robur authoritatis, quia Papa confirmando v. g. Acta capitularia

laria in forma communi, de nõ ſuis facit ſua, vt dicitur in lib.1. C.de ver.iur.enucl. vbi habetur ſuperiorem id facere ſuũ quod authoritate ſua confirmat, & habetur etiam in cap. ſi Apoſto licæ de præbendis in 6.et docet Suarez loco citato nu.10.Confirmatio autẽ priuilegij ex certa ſcientia habet vim nouę conceſſionis, vt colligitur ex cap.1. et cap. veniens de tranſaction. habet enim vim validandi actum inualidum, vt docet Suar. vbi ſupra num.12.

12 Secundo noto. *Differentia*, quę eſt inter abrogationem, ſeu derogationem legis ex vna parte, et diſpenſationẽ ex alia, quod videlicet abrogatio eſt ceſſatio totius legis, tam quoad materiam, quam perſonas. *De*rogatio vero eſt ceſſatio legis pro aliquo tempore, vel pro aliqua parte communitatis, vel legis, quod conſtat ex l. derogatur 102. ff. de verb. ſignificat. et ex l. derogatur ff. de reg. iur. ibi derogatur legi cum pars detrahitur; abrogatur cum prorſus tollitur, quę abrogatio legis duppliciter fieri poteſt. Vno modo alia lege contraria inducente obligationem ad contrarium actum, vel ad abſtinendũ ab eo, qui per priorẽ legẽ erat imperatus. Secundo modo tollendo obligationem illius, & nullam aliam imponendo. At vero diſpẽſatio nullo pacto eſt ceſſatio legis neque in toto neque in parte, ſed relaxatio illius, ſeu eſſemptio ab ipſius obligatione. Sic colligitur ex cap. de multa de præbend. cap. neceſſaria cap. diſpenſatio cap. tanta in quibus locis vocatur diſpenſatio, relaxatio, ſeu moderatio Canonum, & in cap. ipſa pietas §. ſi inquirat 25. quæſt.4. vocatur à Diuo Patre noſtro Auguſtino vulnus contra integritatem ſeueritatis denotans ſane, quod per diſpenſationem ſolũ vulneratur lex non corrumpitur; relaxatur, non caſſatur, moderatur, non tollitur, vt bene Caſtropalaus part. 1. diſp.6. pun.1.num.2.

13 Tertio noto. Duplex eſſe genus conſtitutionum religionis regularium, aliæ ſunt factæ à Capitulo Generali Religionis in fauorem totius religionis illæ videlicet, quę ab omnibus religioſis illius religionis in ſollemni profeſſione profitentur ſimul cum regula, ſiue ab ipſa diſtinguantur, ſiue non, quæ ſunt veluti forma, & anima religionis, & iſtæ communiter confirmantur à Summo Pontifice in forma ſpeciali, ſcilicet ex certa ſcientia per modum decreti, & de plenitudine poteſtatis. Alię vero ſunt, quæ factę fuerunt à capitulo generali alicuius religionis nõ in fauorem totius religionis: ſed in fauorẽ ſtatuentium: nempè ipſius Capituli generalis; vt ſunt declarationes, aut interpretationes regulæ, aut conſtitutionum principalium religionis; & iſtæ ſemper confirmantur à ſummo Pontifice in forma communi, & per hanc clauſulam generalem. Conſtitutiones, & declarationes predictas in capitulo generali, vt petitur correctas, & declaratas dummodo tamen ſacris Canonibus, ac Concilii Tridentini Decretis, ac Conſtitutionibus Apoſtolicis non aduerſentur, nec ſint reuocatę aut ſub aliqua reuocatione cõpræhenſæ, vt factas à Capitulo Generali Apoſtolica authoritate tenore prẽſentium confirmamus, & approbamus illiſque

in-

inuiolabilis apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus &c. vt bene notat Lezana in ſuis Conſultationibus moralibus Conſultat.6. his ita notatis.

14 Dico 1. ſi conſtitutiones regularium fuerunt factæ à Capitulo generali in fauorem ipſorum ſtatuentium: ſcilicet ipſius Capituli generalis, & non in fauorem totius religionis; & fuerunt à Summo Pontifice confirmatæ in forma communi, & non in forma ſpeciali: ideſt ex certa ſcientia de plenitudine poteſtatis, & per modũ decreti poterit Capitulum Generale in dictis conſtitutionibus abſque Apoſtolica authoritate diſpenſare, & illas derogare, aut abrogare condendo ſtatutum illis contrarium, vel tollendo obligationem illarum nullam aliam legem imponẽdo; hanc concluſionem quoad primam eius partem tenent Lezana in ſuis conſultationibus moralibus dict. conſultat. 6. Pater Franciſcus Pellizarius in manuali regularium tom. 2. tract. 9. cap. 8. ſect. 2. quæſt. 11. quoad ſecundam verò partem eam defendunt Peyrinus tom. 1. priuilegiorum regularium conſt. 8. Iulij ſecundi §. 4. num. 3. vbi inquirit: an poſſit vnum capitulum generale contrauenire actibus alterius Capituli Generalis confirmatis à Papa, ſeu ab illis recedere, & reſpondet dico licitum eſſe capitulo generali ſtatuta edita in vno Capitulo generali, & confirmata à Papa remittere, & relaxare, ſi confirmatio fuit ſolùm in forma communi, ita ille Rodoriquez tom. 1. quæſt. regul. quæſt. 68. artic. 5. Anguianus lib. 6. de legibus cõtrouerſia 6. num. 5. Pellizzarius vbi ſupra, quamuis contrarium ſentiat Lezana dicto conſulto.

6. Probatur prima pars huius concluſionis: tum argumentis factis in principio huius reſolutionis, quæ nihil aliud probant, vt poſtea videbimus, tum etiã: quia bonum illud per ſtatutum capituli prætenſum non aliter eſt bonum; quàm quia ad ſingulos de capitulo ſpectat, qui ex eo commodum, & vtilitatẽ percepturi ſunt, nec alio fine à Papa confirmatur: ergo ſi ex illo ſtatuto temporũ conditione mutata, nõ ſolùm commodum, & vtile percepturi non ſint ſucceſſores: ſed incommodum, & damnum non ſunt cogendi inuiti illud ſubſtinere: ſed poſſunt ab eo reſilire patet conſequentia, quia quod ob gratiam alicui eſt conceſſum non debet in eius diſpendium retorqueri, vt dicitur in capite quod ob gratiam de reg. iur. in 6. regula 61. atqui confirmatio dictorum ſtatutorum gratia eſt vt patet, & habetur clare in cap. acceſſiſſent de conſtit. ergo optimè poteſt Capitulum Generale regularium diſpenſare: in conſtitutionibus, & ordinationibus factis ab ipſo Capitulo Generali, vel ab alio Preſidenti ipſius religionis in fauorem ipſius capituli: licèt dictæ conſtitutiones, ſeu ordinationes confirmatæ ſint à Summo Pontifice: dum confirmatio ſit facta in forma communi, & non in ſpeciali, & ex certa ſcientia.

15 Nec valet ſi dicas, quod omne, id quod Pontifex Summus confirmat authoritate Apoſtolica ex iure non ſuo facit ſuum & conſequenter non poteſt illud, quod eſt confirmatum à Summo Pontifice diſpenſari ab alio abſque eius authoritate; & facultate, vt conſtat ex 6.

de-

Digitized by Google

decretalium lib. 3. titul. 4. de prębend. & dignitatibus cap. 22. ſi Apoſtolicæ. Vbi ſic habetur ſi Apoſtolicæ Sedis legatus volens tibi ſuæ legationis authoritate incerta Eccleſia prouidere Canonicatum, & præbendam nulli alij de iure debitos, proximo in ipſa Eccleſia vacaturos collationi ſuæ reſeruat, & decernat irritum, & inane, ſi ſecus ſuper hoc contigerit attentari certis, qui eos tibi conferant cum vacabunt, executoribus per ſuas litteras deputatis: noſque poſtmodum plena de his facta narratione, quod ab ipſo legato factum extitit, ratum, & gratum habētes, id authoritate Apoſtolica confirmamus, & eiſdem executoribus, vel alijs noſtris damus litteris in mandatis, vt in huiuſmodi prouiſionis negotio authoritate noſtra procedant iuxta ipſius legati continentiā litterarum; certum eſt, quod cum ipſa prouiſio ipſius legati poſt impartitam à nobis authoritatem, noſtra cenſeatur effecta omnibus, quibus poſtea mandauimus in eadem Eccleſia prouideri, (etiam ſi Canonicatum ipſius Eccleſiæ duxerimus conferendum eiſdem) de iure præferri debebis in præbenda poſtmodum in ibi vacatura: ergo eò ipſo, quod conſtitutiones, aut ordinationes factæ à Capitulo Generali Regularium ſint authoritate Apoſtolica cōfirmatę non poterit Capitulum Generale dictorum regulariū, vel idem ipſum, vel aliud ſubſequens in ipſis conſtitutionibus, ſeu ordinationibus generalibus diſpenſare abſque Sedis Apoſtolicę authoritate, & facultate. Hoc inquam non valet, quia dictum Capitulum Sedis Apoſtolicę intelligitur, ſolū quoad effectum firmitatis, vt videlicet actus à Summo Pontifice confirmatus perindè firmus cēſeatur: ac ſi per ipſum ſummum Pontificem geſtus fuiſſet. Ex quo non ſequitur, quod illa ſtatuta ob confirmationem Summi Pontificis factam in forma communi deſerant, & omittāt ſuam naturam primordialem, ſed potius illa confirmatio eſt quid acceſſorium: vnde debebit ſequi illorum naturam, per regulam, acceſſorium naturam ſequi congruit *principalis* de regul. iur. in 6. regula 42. Vnde quia ſtatuta Capituli generalis ante confirmationem natura ſua erant reuocabilia, vel per ipſum capitulum, vel per aliud ſubſequens capitulum generale poterunt ſimiliter reuocari poſt confirmationem cū dicta confirmatio ſolum operetur vim, & firmitatem donec reuocentur per ipſum generale capitulum, aut per aliud.

16 Quoad ſecundam partem probatur concluſio tùm ex dictis reſolut. 1. quia qui poteſt facere legem poteſt etiam ſoluere; cum eiuſdem virtutis ſit ſoluere, ac ligare, atqui ſoluere legem nihil aliud eſt: quam illam reuocare; ergo Capitulū generale, quod authoritatem habuit, condendi prædictas leges poteſt illas reuocare, & cōdere leges illis contrarias. Probo conſequentiam, quia confirmatio Apoſtolica facta in forma communi non extrahit prędictas conſtitutiones, aut ordinationes ita confirmatas à Sede Apoſtolica à ratione legis municipalis, & religionis; ſed ſolum confert illis maiorem authoritatem, & firmitatem vt diximus in probatione primę

partis

Digitized by Google

partis huius concluſionis, & communiter docent Doctores ergo poterit capitulum generale non ſolum illas, diſpenſare: ſed etiam derogare, & abrogare condereque ſtatutum illis contrarium.

7 Secundo eamdem concluſionis partem probo contra Lezanam: nam ipſe fatetur in dicto conſulto 6. quod confirmatio Apoſtolica facta in forma communi in fauorem ſtatuentium aliquas conſtitutiones, aut ordinationes, ſeù leges ſolùm eſt fauor, gratia, & priuilegium, quod poteſt renunciari ab eo in cuius fauorem fuit factum, vt eſt communis omnium Doctorum cōſenſus; ex quo infert, & benè ipſe Lezana poſſe Capitulum generale regularium in conſtitutionibus ita confirmatis diſpenſare, ac ſi dictę conſtitutiones, ordinationes, aut leges non eſſent authoritate Apoſtolica confirmatę. Quo ſuppoſito ſic argumentor: Capitulū Generale Regularium poteſt diſpenſare in cōſtitutionibus, & ſtatutis à ſummo Pontifice confirmatis in forma communi; ac ſi non eſſent à Papa confirmatis; atqui ſi nō eſſent Apoſtolica authoritate confirmatę: ſed ſolum factę à Capitulo generali pręcedente, poſſet Capitulum generale immediatè ſequens pręd ictas conſtitutiones reuocare: imò & facere ſtatutum illis cōtrarium: ergo ex doctrina ipſius Lezanę manifeſtè ſequitur veritas ſecundę partis noſtrę cōcluſionis.

8 Nec valet id quod in ſui fauorem adducit Lezana nempè quod in quacumque bulla cuiuſcumque Apoſtolicę confirmationis: etiamſi confirmatio fiat in forma communi apponitur hęc clauſula generalis; pręd ictas Conſtitutiones confirmamus &c. atque conſtitutiones, & declarationes huiuſmodi in eadem religione; aut Congregatione perpetuò obſeruari ſicque per quoſcumque Iudices ordinarios, & legatos etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores iudicari; ac definire debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Ex qua clauſula infert Lezana dicto conſulto 6. nùm. 51. quod licèt confirmatio Pontificis facta in forma communi nō tollat facultatem diſpenſandi in dictis conſtitutionibus, ſeu ordinationibus à Capitulo generali; tollit tamen facultatem illas abrogandi, vt conſtat ex illis verbis irritum, & inane ſi ſecùs ſuper his &c.

19 Hoc inquam non valet: nam illa verba irritum, & inane ſi ſecus ſuper his &c. non cadunt ſuper illa verba perpetuo obſeruari; ſed ſuper illa immediatè antecedentia ſicq; per quoſcumque Iudides ordinarios, & Delegatos &c. vt tenent multi DD. tam Theologi, quàm iuriſtę, vt refert Lezana in eodē num. 51. & non ſequitur ex hac communiſſima dictorum verborum intelligentia, quod inquit Lezana, ſcilicet, quod licet in vna, vel altera conſtitutione hoc habebat locum nempè, quod Capitulum generale poſſit vnam, aut alterám ex dictis Conſtitutionibus abrogare diuiſiue: non autē omnes collectiuè: hoc inquam non ſequitur, quia non eſt maior ratio in hoc quod eſt abrogare vnam vel alteram diuiſiuè: quā om-

Digitized by Google

omnes collectiuè.

20 Fateor tamen libenter non expedire, vt paſſim talis reuocatio fiat ad quod facit illud dictum Alcibiadis apud Thucidinem eos hominum tutiſſimè agere, qui prȩſentibus moribus antiquis legibus etiamſi deteriores ſint minimum variantes Rempublicam adminiſtrant. Nequè moraliter eſt poſſibilis caſus in quo hoc facere conueniat, quia cum prædicta mutatio debeat fieri, ex iuſta, & legitima cauſa, & aliàs contigere non poſſit moraliter loquendo vt prȩdicta locum habeat in mutatione omnium conſtitutionum: ſequitur non poſſe cõtingere caſum in quo prȩdicta mutatio, aut abrogatio omniũ conſtitutionum prȩdictarum fiat. Hoc autem non tollit à capitulo generali authoritatem adhoc faciendum ſi de facto daretur iuſta, & legitima cauſa.

21 Dico 2. ſi conſtitutiones regularium fuerunt factæ à capitulo generali religionis in fauorem totius religionis, & confirmatȩ à Papa in forma ſpeciali, hoc eſt ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis non poteſt nec licitè, nec validè, Capitulum Generale in dictis conſtitutionibus diſpenſare, & multo minus illas, aut aliquam ex illis abrogare condendo ſtatutum illis contrarium ſiuè pro tota religione; ſiuè pro aliqua Prouincia, aut pro aliquo ſpeciali Conuentu ipſius religionis, abſque ſpeciali licentia, & priuilegio Sedis Apoſtolicȩ: ita tenent communiter Doctor. vt principium omninò certum, vt affirmant Lezana tom. 1. ſumm. regularium cap. 8. num. 22. & in conſult. mor. conſult. 13. dub. 7. n. 57. Pellizar. in manuali regul. tom 1. tract. 5. quȩſt. 2. num. 2. in fine, vbi ait conſtitiones ordinum à Pontificibus confirmatȩ (quomodo ſolent eſſe cõfirmatȩ ſi ſint religionũ approbatarum) ſine ſpeciali priuilegio mutari nequeunt, et ſi interueniat communis ordinis conſenſus. Ita ille, et magis ex profeſſo quȩſt. 5. num. 5. et to. 2. tract. 9. cap. 8. ſect. 2. quȩſt. 11. num. 71. Portel. in dubijs moralibus tom. 1. par. 2. caſu 18. n. 3. Pat. Zaccharias Paſqualigus in quȩſtionibus moralibus par. 1. quȩſt. 47. num. 4. centuria 1. et centuria 2. quȩſt. 106. nu. 6. et quȩſt. 108. num. 4. et quȩſt. 194. num. 3. et in deciſionibus moralibus deciſione 93. nu. 4. et deciſione 100. num 4. et 101 num. 4. nec aliquem Authorem inuenio contratium aſſerentem.

22 Probatur 1. concluſio, quia inferior non poteſt diſpenſare in legibus ſuperioris, nec mutare illas condendo ſtatutum illis contrariũ; atqui Capitulũ generale eſt inferior ſummo Pontifici, qui in forma ſpeciali, et ex certa ſcientia cõfirmauit dictas conſtitutiones, vt ſupponitur: ergo non poterit in eius legibus, ſeu conſtitutionibus, ita confirmatis, Capitulum Generale diſpenſare, et multo minus eas derogare, aut abrogare. Maior probatur ex capit. inferior 3. diſtint. 21. vbi ſic habetur, inferior ſedes ſuperiorẽ abſoluere non poteſt ſola ergo potior inferiorem conuenienter abſolui. Hinc liquido peruidetur; quia quem non poteſt abſoluere non poteſt in iudicio inferior potiorem ligare, vnde Propheta ait (numquid gloriabitur ſecuris contra eum, qui ſecat in ea, aut exaltabitur ſerra

contra

contra eum, qui trahit eam) his ita ex diuina ſcriptura, & probabilium patrum doctrina commemoratis ſole clarius exhibuimus, non poſſe quemquã, qui minoris authoritatis eſt, eum, qui maioris poteſtatis iudicijs ſuis addicere, aut proprijs definitionibus ſubiugare, ita ibi. & ratio eſt, quia inferior ſubijcitur ſuperiori; atqui ſi poſſet inferior facere contra legem Superioris non ſubijceretur illi: ſed potius ſibi illum ſubijceret: nam poſſe ire rationabiliter contra legem ipſius importaret poteſtatem ſupra leges illius: atq; adeò eminentiorem poteſtatem: ergo euidens eſt, quod inferior non poteſt diſpenſare in legibus ſuperioris: & multominus eas derogare, aut abrogare. Ergo cum Capitulum generale regularium ſit inferior Summo Põtifici, qui in forma ſpeciali cõfirmauit (vt ſupponitur conſtitutiones religionum non poterit Capitulum generale regularium cuiuſcumque religionis ſ[illegible]in dictis Conſtitutionibus à Summo Pontifice confirmatis in forma ſpeciali ex certa ſcientia, & de plenitudinis poteſtate diſpenſare, & multominus eas derogare, aut abrogare, abſque Sedis Apoſtolicæ priuilegio, & poteſtate. Probatur conſequentia, quia confirmatio ex certa ſcientia potius eſt noua conceſſio: quàm confirmatio, adeoquè reualidat actũ alioquin nullum iuxtà capitul. veniens de tranſactione: ergo conſtitutiones confirmatæ à Summo Pontifice ex certa ſcientia deſinunt eſſe leges municipales; & religionis, & incipiunt ex vi prædictæ confirmationis eſſe leges Papales, & Potificiæ, & conſequenter religio non poteſt in illis diſpenſare: aut illas mutare, & condere ſtatutum illis contrarium abſq; Sedis Apoſtolicæ facultate, aliàs factum erit ipſo iure nullum, vtporè factum à non habentibus iuriſdictionem, & facultatem.

23 Secundo probatur, quia ſi Capitulum generale regulariũ poſſet mutare, aut derogare aliquã ex ſuis Cõſtitutionibus principalibus preſertim, quæ à Religioſis in profeſſione ſollemni profitentur, & ſunt confirmatæ à Summo Pontifice in forma ſpeciali, & ex certa ſcientia poſſet derogare, aut abrogare plures, & plures imò & omnes conſtitutiones: cum non ſit maior ratio de vna: quam de alia, atqui hoc eſſet maximum inconueniens, & cederet in grauiſſimum nocumentum totius Religionis: ergo nullam ex prædictis conſtitutionibus modo dicto confirmatis poteſt Capitulum generale mutare, aut abrogare abſque Sedis Apoſtolicæ authoritate. Probatur minor, quia ſi Capitulum Generale regularium haberet authoritatem abſolutam mutandi, & abrogandi omnes, & ſingulas conſtitutiones religionis, quæ in religione ab omnibus profitentur, & ſunt confirmatæ, à Papa in forma ſpeciali, & ex certa ſcientia ſequeretur poſſe Capitulum Generale totum inſtitutum Religionis mutare, cum conſtitutiones principales religionis confirmatæ à Summo Pontifice in dicta forma ſpeciali, & ex certa ſcientia ſint veluti forma, & anima totius re-

religionis ; atqui hoc eſſet maximum inconueniens , & cederet in nocumentum grauiſſimum totius religionis : ergo non poteſt Capitulum generale regularium licitè, & validè mutare, aut abrogare aliquam ex ſuis conſtitutionibus, nec condere ſtatutum illis contrarium abſque ſpeciali priuilegio, & facultate Summi Pontificis.

24 Tertio probatur à ſimili de confirmatione maioratus authoritate regia, & Pontificia in quo caſu ſine authoritate Regia, & Pontificia (ſi facta fuit confirmatio Pontificis ex certa ſcientia) non poteſt fundator maioratus quidquam mutare, ſeu alterare, vt tenent communiter Doctor. apud Barboſam in praxi exigendi penſiones lib.2. voto.30. numer.7. & 8. & quantum ad facultatem Pontificiam in hoc caſu affert rationem numer.77. quia licet confirmatio pontificia facta in forma communi non operetur maiorem firmitatem inſtitutioni confirmatæ, quam antea habebat l. aurel. §. teſtamento ff. de lib leg. vt docet Menochius conſilio 70. à numero 36. Rota deciſione 111. num.2. & deciſione 555. numero 2. parte 2. recentior : tamen confirmatio ex certa ſcientia operatur maiorem firmitatem, & extrahit rem confirmatam ad diuerſum ſtatum firmitatis, quam antea habebat, vt non poſſit mutari ab aliquo abſque Apoſtolica authoritate : ergo dicendum eſt in noſtro caſu ſeruatis ſeruandis, ſcilicet, quod licèt Conſtitutiones confirmatæ à Papa in forma communi maneant poſt dictam confirmationem in ratione legum municipalium, & religionis, & ideo poſſit religio illas mutare & condere ſtatutum illis contrarium abſque authoritate Apoſtolica, tamen ſi confirmatio fuit facta ex certa ſcientia non poterit religio prędictam mutationem facere abſq; ſedis Apoſtolicę authoritate cum confirmatio Apoſtolica ex certa ſcientia extrahat conſtitutiones, ita confirmatas à ratione legum municipalium, & religionis, eleuetque eas ad altiorem ſtatum, vt iam cenſeantur leges Papales, & Pontificiæ.

25 Ad argumenta poſita in principio huius reſolutionis in fauorem partis contrariæ reſpondeo, quod tria priora ſolum probant noſtram primam concluſionem, nec aliud intendit probare Pater Lezana in dicto conſulto 6. ſupra citato, vt iam dixi, ſed maioris claritatis gratia ad ſingula ſigillatim in forma reſpondeam.

26 Ad primum deſumptum ex varijs priuilegijs Summorum Pontificum reſpondeo, quod dicta priuilegia ſolum concedunt Capitulis generalibus regularium authoritatem condendi leges totam religionem obligantes ; & etiam authoritatem interpretandi, & declarandi regulam, & conſtitutiones principales religionis, quæ ad ſtatum, & identitatem pertinent, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus, & ſimiliter concedunt, quod declarationes, interpretationes, & ordinationes factas ab vno generali Capitulo poſſint ab alio generali Capitulo in toto vel

in

Digitized by Google

in parte prout rerum, aut temporum neceſſitas indiguerit alterari, & ſi neceſſe fuerit amoueri abſque variatione ſubſtantiæ regulæ, & conſtitutionis religionis, vt conſtat ex verbis allatis in argumento, quæ hoc manifeſtè declarant: ſcilicet verum etiam ſic inſtituta, ordinata, & interprætata, vel declarata in toto, vel in parte prout rerum, aut temporum qualitas exegerit, alterandi, & amouendi abſque tamen ipſius regulæ variatione ſubſtantiæ, quæ priuilegia non ſolùm non aduerſantur dictis concl. 2. imo potius eam maximè confirmant, quod ſic oſtendi poteſt: ex vi dictorum priuilegiorum, ſolùm conceditur à Summis Pontificibus capitulis generalibus regularium poſſe condere leges totam religionem obligantes, & ſimul conceditur authoritas declarandi, & interpratandi regulam, & conſtitutiones religionis, quæ ad ſubſtantiam, & idemptitatem religionis pertinent; & denique, vt declarationes, interpræ tationes, & ſtatuta ab vno generali Capitulo facta poſſint ab alio Capitulo generali ex iuſta, & legitima cauſa alterari, etiam ſi dictæ ordinationes ſint à Sede Apoſtolica confirmatæ in forma communi: dummodo regulæ, & conſtitutionibus, quæ ad religionis ſubſtantiam pertinent non aduerſentur: ergo volunt Summi Pontifices dicta priuilegia concedentes vt non poſſit Capitulum generale regularium alterare: aut amouere propria authoritate aliquid expectans ad ſubſtantiã regulæ, aut conſtitutionis principalis religionis abſq; ſpeciali adhoc priuilegio Sedis Apoſtolicæ ſupponentes regulam, & conſtitutiones ad totam religionem pertinentes fuiſſe à Se de Apoſtolica confirmatas in forma ſpeciali ex certa ſcientia & de plenitudine poteſtatis.

27 Ad ſecundum argumentum reſpondeo, quod maior non eſt vniuerſaliter vera quoad omnes ſuas partes: nam licet generaliter loquendo conſtitutiones religionum fiant ab ipſa religione, non tamen ſemper eodem modo à Papa confirmantur, nam aliquæ confirmantur in forma communi, & aliæ in forma ſpeciali, & ex certa ſcientia præſertim eas, quæ pertinent ad bonum totius religionis, & ſunt de intrinſeca ratione monaſtici ſtatus: eas videlicet, quæ ab omnibus religioſis in ſollemni profeſſione profitentur, & ita licet conſtitutiones confirmatæ à Papa in forma communi poſſint diſpẽſari, & abrogari à religione, & ab eius generali Capitulo non tamen, quæ fuerunt à Papa cõfirmatæ in forma ſpeciali, & ex certa ſcientia, quia vt ſupra diximus talis confirmatio ex certa ſcientia extrahit prædictas conſtitutiones à ratione legis municipalis, & religionis, & facit eas eſſe leges Papales, & Pontificias.

28 Ad tertium argumentum facilè reſpondetur, quod licèt confirmatio Pontificia facta in forma communi tantum ſit gratia, & priuilegium: tamen cõfirmatio Summi Pontificis facta in forma ſpeciali, & ex certa ſcientia potius eſt noua cõceſſio: quam confirmatio, & ideo non eſt in vtroque modo confirmationis eadem ratio, vt docent DD. nam confirmatio in forma ſpeciali, & ex certa

ſcientia induit rationem decreti, & mandati, & ita diſpenſatio, derogatio, aut abrogatio conſtitutionum in dicta forma confirmatarum pertinent ad Summum Pontificem, vel ſi ad Capitulum generale religionis; non niſi ex ſpeciali Summi Pontificis priuilegio, & facultate.

20 Ad quartum argumentum, vt reſpondeamus ſuppono, vt certum conſtitutiones noſtri Ordinis Scalceatorum Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum fuiſſe confirmatas ab Vrbano 8. felicis recordationis in forma ſpeciali ex certa ſcientia, & de plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis, quod ſiç oſtendo, quia quotieſcumque Summus Pontifex in bulla confirmationis legum, ac conſtitutionum vtitur principaliter verbo approbamus cōſtituendo prędictum verbum, ſeu præmittendo ante verbum confirmamus; talem confirmationem facit in forma ſpeciali, & ex certa ſcientia; atqui ita ſe habet confirmatio noſtrarū conſtitutionum facta ab Vrbano 8. 1629. vt conſtat ex ipſo breui confirmationis, imo (vt verius loquar) tota conſtitutio videtur eſſe pontificium breue cum ſit inſerta de verbo ad verbum in corpore ipſius breuis, ergo prædicta confirmatio dictarum conſtitutionum fuit facta in forma ſpeciali, & ex certa ſcientia à prædicto Summo Pontifice Vrbano 8. Maior probatur, quia vt benè notant Suarez tom. 4. de Religione lib. 1. tract. 10. cap. 4. num. 12. & Pellizarius tom. 1. Manualis Regularium tract. 5. cap. 2. quæſt. 4. num. 4. hæc differentia eſt inter hac duo verba approbamus, & confirmamus, quòd approbaré refertur magis ad intellectum pertinetque ad clauem ſcientiæ, confirmare autem magis ſpectat ad clauem iuriſdictionis referturque ad vim obligandi: intendit quidem Papa dare robur conſtitutionibus eo ipſo, quòd à religione, ſeu Capitulo Generali nomine totius religionis fuerunt factæ, non ideo tamen eas approbat, quando vel ſolum vtitur verbo confirmamus, aut quando prę ponitur verbum confirmamus ad verbum approbamus: nam tunc verbū approbamus intrat minus principaliter. Minor verò manifeſtè conſtat ex tenore ipſius bullę vbi Summus Pōtifex poſtquam refert ſupplicationem factam Suæ Sanctitati à Patre Fratre Alfonſo del Sanctiſſimo Sacramento nomine totius recollectionis circa cōfirmationem prędictarum conſtitutionum proſequitur. *Nos igitur, qui conſtitutiones huiuſmodi aliquibus Romanę Curię Prelatis pietate, prudentia, doctrina, & religionis zelo pręſtantibus diligenter examinandas, & vbi opus fuerit corrigendas commiſimus, fratres prędictos ſpecialibus fauoribus & gratijs proſequi volētes &c.* paucis interpoſitis proſequitur *huiuſmodi ſupplicationibus inclinati cōſtitutiones præinſertas huiuſmodi*, Apoſtolica authoritate tenore præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus illiſque inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus &c. & paulopoſt ſequitur, atque ab eiſdem fratribus nunc, & pro tempore exiſtentibus firmiter, & inuiolabiliter perpetuò obſeruari, & adimpleri &c. ex quibus clauſulis

ſulis manifeſtè apparet prædictam confirmationem factam fuiſſe à Papa ex certa ſcientia; vt conſtat ex notabili primo huius reſolutionis, & ita ſtando in vigore huius confirmationis non poteſt religio aliquam ex his conſtitutionibus mutare, aut alterare licitè, & validè, nec ſtatutum aliquod illis contrarium condere.

30 Deinde, quia etiam ſi prædicta Apoſtolica confirmatio eſſet facta ſolum in forma communi: nihilominus quamuis Capitulum generale poſſet im aliqua ex dictis conſtitutionibus diſpenſare non tamen poſſet aliquam mutare, aut abrogare, nec condere ſtatutum illis contrarium abſque facultate Sedis Apoſtolicæ: ergo ex omni capite ſtando in vi prædictæ confirmationis nō poteſt Capitulum generale aliquam ex dictis conſtitutionibus abrogare authoritate propria etiā ſi totum capitulum in tali abrogatione conueniat. Conſequentia eſt legitima antecedens vero probo, quia quotieſcumque aliqua conſtitutio facta fuit à Capitulo generali in fauorem totius religionis, & vt ab omnibus religioſis talis religionis in ſollemni profeſſione profiteatur, & talis conſtitutio poſtea fuit confirmata Apoſtolica authoritate in quacumque forma non poteſt poſt prędictam confirmationem Capitulum generale aliquam ex dictis conſtitutionibus mutare abſque facultate Sedis Apoſtolicæ, vt docet Suarez ſupra num. 19. atqui dato, & non conceſſo, quod confirmatio conſtitutionum noſtri excalceatorum ordinis Beatæ Mariæ de Mercede eſſet confirmata ab Vrbano 8. ſolum in forma communi negari non poteſt, quod prędicta conſtitutio ſpectet ad bonum totius religionis, & ſit de eius ſubſtantia, & quod prędicta confirmatio fuit facta à Papa in fauorem totius religionis, & non in fauorem ſtatuentium, ſcilicet, Capituli generalis, vt conſtat ex illis verbis, fratres prędictos ſpecialibus fauoribus & gratijs proſequi volentes cōſtitutiones prędinſertas huiuſmodi Apoſtolica authoritate tenore prędentium perpetuò approbamus, & confirmamus. Decernentes eaſdem conſtitutiones, et prędentes litteras, validas, firmas, et efficaces exiſtere, et fore ſuoſque plenarios et integros effectus ſortiri, et obtinere, atque ab eiſdem fratribus nunc, et pro tempore exiſtentibus firmiter, et inuiolabiliter perpetuò obſeruari. In quibus clauſulis manifeſtè declarat Summus Pontifex ſuam voluntatem eſſe, vt prędictę conſtitutiones firmas, ſtabiles, et permanentes perpetuò fore: ergo ex vi prędictę confirmationis caſu negato, et non cōceſſo, quod talis pontificia confirmatio ſolùm ſit in forma communi, et non ex certa ſciētia non poterit, nec licitè, nec validè Capitulum generale aliquam ex dictis cōſtitutionibus mutare condēdo ſtatutum illis contrarium.

31 Dices Capitulum Generale Regularium poteſt non ſolum diſpenſare: ſed etiam mutare, et abrogare omnia, et ſingula acta, et declarationes, aut interprętationes regulę, et conſtitutiones factas ab aliis Capitulis Generalibus pręcedentibus etiam ſi prędicta mandata, et declarationes, ſint cōfirmatę autho-

authoritate Apoſtolica, dum confirmatio ſit facta in forma communi abſque eiuſdem ſedis Apoſtolicę authoritate, vt diximus concluſione 1. huius reſolutionis: ergo etiam poterit mutare Capitulum Generale noſtri Ordinis Scalceatorum Beatę Mariæ de Mercede aliquam, vel aliquas ex ſuis conſtitutionibus condendo ſtatututum illis contrarium dato, quod ſint confirmatę à Papa ſolum in forma communi; cum in vtroque caſu videatur eſſe eadem ratio.

32 Reſpondeo conceſſo antecedenti, negando conſequentiã, et ratio diſparitatis eſt, quia acta, declarationes, et interpretationes regulę factę à Capitulis Generalibus Regulariũ ſunt veluti accidentia reſpectu regulę, et cõſtitutionum principalium, quę ſunt veluti forma, et ſubſtantia totius Religionis, et ſic poſſunt adeſſe, et abeſſe abſque ſubſtantię regulę et conſtitutionum variatione. At verò conſtitutiones prędictę noſtri Excalceatorum ordinis Beatę Marię de Mercede eo ipſo quod ab omnibus religioſis eiuſdem religionis in profeſſione ſollemni profitentur, et adhunc intentum fuerũt à Papa confirmatę vt ab omnibus fratribus dicti ordinis perpetuò, et inuiolabiliter obſeruarentur pertinet iam ad formam, et ſubſtantiam totius religionis, et ideo Capitulum generale non poteſt licitè, aut validè eas mutare neque in toto, neque in parte, nec condere ſtatutum illis contrarium, abſque Sedis Apoſtolicę authoritate, et facultate.

33 Quibus ſuppoſitis ad argumentum reſpondeo, et dico, quod ex conſtitutionibus ſacri Ordinis noſtri Diſcalceatorum Beatę Marię de Mercede non colligitur Capitulum Generale habere authoritatem diſpensãdi in conſtitutionibus quãtum ad actus in communi exercendos, et multominus derogãdi, aut abrogãdi aliquam ex dictis conſtitutionibus condendo ſtatutum illis contrarium: imò potius oppoſitum ex dictis cõſtitutionibus colligitur, quia Capitulum Generale Regularium tantùm poteſt quantum ei vniuerſa religio per ſuas cõſtitutiones concedit, vt docet Suar.tom.4. de religione tract. 8.lib.2.cap.8.num.10; atqui in conſtitutionibus Excalceatorũ Beatę Marię de Mercede ſolũ conceditur Capitulo Generali authoritas interpretandi conſtitutiones: ergo non poteſt in illis diſpenſare, et multominus illas derogare, aut abrogare authoritate propria condẽdo ſtatutum illis contrarium. Probatur minor ex cap. 3. diſtinctionis primę prędictarum conſtitutionum, vbi poſtquam denegat conſtitutio omnibus Prełatis, tam inferioribus, quã Superioribus poteſtatem diſpenſandi in conſtitutionibus, quantum ad actus in communi exercendos per hęc verba; ſtatuimus, et ordinamus; quòd nec Commendator in ſuo Cõuentu, neque vllus Superiorem etiamſi ſit Pater Vicarius Generalis diſpenſandi cum cõmunitate in regula, aut conſtitutionibus vllam poteſtatem habeat: hoc eſt quãtum ad actus in communi exercẽdos. Poſtea concedit in caſu vrgentis neceſſitatis authoritatem P. Vicario generali interpretandi prędictas conſtitutiones ibi: in caſu autem

autem, quod grauis vrgeat neceſſitas, aut impedimentum circa aliquod regulæ ad communitatem pertinens authoritatem habeat Pater Vicarius generalis non diſpenſandi, ſed interprętandi eam non obligare cum tanto diſpendio, aut difficultate propoſita, & cætera. Et denique concludit Capitulum his verbis interprętationes etiam regulę, aut conſtitutionum factæ à Capitulo generali vim conſtitutionis non habeant, niſi per tria Capitula approbentur: ergo ex vi huius conſtitutionis Capitulum generale ſolùm habeat authoritatem interpratandi dictas conſtitutiones non diſpenſandi, aut abrogandi illas. patet conſequentia, quia ſi conſtitutio intenderet concedere Capitulo generali authoritatem diſpenſandi in conſtitutionibus, hic tamquam in proprio loco hoc declararet: ergo dum affirmat Capitulum generale poſſe regulam, & conſtitutiones interpratare illi denegat facultatem diſpenſandi.

4 Iam ad argumentum in forma reſpondeamus dico igitur, quod ex verbis dictę conſtitutionis in argumento relatis nō conuincitur Capitulum generale Excalceatorum Beatæ Mariæ de Mercede habere authoritatem diſpenſandi in ipſis cōſtitutionibus quantum ad actus in communi exercendos, nec mutandi, aut abrogandi eas condendo ſtatutum illis contrarium: nam in primo textu conſtitutionis prędictę allegato ſolum intendit conſtitutio concedere Diffinitoribus in Capitulo generali Congregatis authoritatem condendi leges totam religionem obligantes, & ſimiliter facultatem approbandi eas leges, & ſtatuta, quæ in alijs Capitulis generalibus præcedentibus fuerunt ordinatæ, & definitæ, & ſi opus fuerit eas mutare, aut illis aliquid addere, aut diminuere. Ex quo textu ſolum infertur quod Capitulum generale noſtrę religionis poteſt ordinare pro toto ordine leges, & ſtatuta, quę illis videbitur expedire pro bono regimine, & gubernatione totius religionis, et confirmare, ſtatuta ab alijs Capitulis facta, et ſi opus fuerit iuſta exiſtente cauſa poterit prædicta ſtatuta in toto, vel in parte mutare condendo ſtatutum illis contrarium. Non tamen infertur, nec directè, nec indirectè poſſe diſpenſare in ipſis conſtitutionibus, aut eas mutare, aut abrogare condendo ſtatutum illis contrarium, quia hoc non pertinet ad Capitulum generale, vt ſupra probatum eſt.

35 Neque ex textu ſecundo ibidem allegato infertur Capitulum generale prędictam authoritatem habere, ſed potius oppoſitum: ſi verba attentè perpendantur, nam in illis conſtitutio diſtinguit ea, quę ad Capitulum pertinent ab illis, quę non pertinent ad dictum Capitulum generale, et determinat. quod ſi ex his, quę ad Capitulum pertinēt quinq; ex vocalibus poſtulauerint, aut iudicauerint expedire, quod aliquid in Capitulo proponatur præſes teneatur illud proponere, vt in Capitulo decidatur. Et ſtatim loquens de his, quę ad dictū generale Capitulū nō pertinēt; inquit niſi ad mutationē, vel additionem legum vel conſtitutionum ſpectet, quia vt hoc in Capitulo conferatur

ratur maior pars Capituli id petere debet. Vbi nota, quod cōſtitutio ordinat, et determinat quod ea, quę in Capitulo proponuntur ex his, quę ad Capitulum pertinent in ipſo Capitulo decidantur, et cum exceptio firmet regulam in cōtrariū, dum ait niſi ad mutationē, vel additionem legum, vel conſtitutionum ſpectet ſequitur manifeſtè, quod mutatio, vel additio conſtitutionum non ſunt ex his rebus quę ad Capitulum pertinent, vt in illo decidātur, et ideo conſulto conſtitutio poſuit, et ſtatuit, quod quotieſcumque maior pars Capituli poſtulauerit expedire, vt in Capitulo aliquid proponatur, quod ad mutationem conſtitutionum ſpectet, quod præſes teneatur illud proponere, vt in dicto Capitulo conferatur ſupponens, quod deciſio illius nō pertinet ad Capitulum abſque authoritate Apoſtolica, cum Capitulum generale non poſſit mutare, aut abrogare aliquam, vel aliquas ex conſtitutionibus confirmatis à Summo Pontifice, in forma ſpeciali ex certa ſcientia, et de plenitudine Apoſtolicę poteſtatis abſque ipſius Sedis Apoſtolicę priuilegio, et facultate.

RESOLVTIO TERTIA.

Vtrum Capitulum Generale Regularium poſſit *Prouincias* erigere nouas, et erectas diuidere, et an eamdem facultatē habeat Superior Generalis, eorumdē regularium per ſe ſolum abſq; conſortio Capituli generalis.

36 PRima ſententia negat poſſe Capitulum generale Regularium nouas erigere Prouincias, aut Superior generalis eorumdem regularium abſque Sedis Apoſtolicę facultate, et priuilegio: ita Miranda in manuali regularium tom. 2. quęſt. 7. artic. 11. Rodoriquez tom. 1. quęſtionum regularium quęſt. 23. art. 8. et tom. 3. quęſt. 43. artic. 1. Caſarub. in compendio priuilegiorum mendicantium verbo prouincia. Fernandes in examine Theologię moralis part. 1. cap. 5. §. 2. num. 1. Portel. in dubijs regulariū verbo prouincia, et al*ij*. Fundamentum huius ſententię eſt, quia mutationes Sedium Epiſcopalium, et diuiſiones Diœceſum non poſſunt fieri abſque facultate Sedis Apoſtolicę, nec Archiepiſcopus poteſt diuidere Prouincias; atqui eadem *ratio* eſt de erectione nouarum Prouinciarum, aut diuiſione earum reſpectu regularium: argo Capitulum generale regularium, aut eorumdem ſuperior generalis non poſſunt nouas erigere Prouincias, aut eas diuidere abſque Sedis Apoſtolicę facultate, et priuilegio. Maior probatur ex diuerſis textibus, in quibus ſtatuitur, vt erectiones, et mutationes Sedium Epiſcopalium diuiſiones Diœceſum non fiant abſq; facultate *Sedis* Apoſtolicę, vt in cap. *felix* cauſa 16. quęſt. 1. cap. 40. et capite mutationes diſt. 7. qu. 1. vbi ſic habetur. Mutationes Epiſcoporū ſcitoti cōmuni vtilitate atq; neceſſitate fieri licere; ſed non propria cuiuſquam voluntate, aut dominatione. Petrus Sanctus Magiſter noſter, et Princeps Apoſtolorum de Antiochia vtilitatis cauſa translatus eſt Romam, vbi vt ibidem potius proficere poſſet, Euſebius quoque de quadam parua Ciuita-

ta t.

Digitized by Google

tate Apoſtolica authoritate mutatus eſt in Alexandriam. Similiter felix de Ciuitate, in qua ordinatus erat electione Ciuium propter doctrinam, vitamque bonam, quam habebat (authoritate huius Sanctæ Sedis &c.) communi Epiſcoporum, & reliquorum Sacerdotum, ac populorum conſilio translatus eſt Epheſum. Non enim tranſit de Ciuitate ad Ciuitatem, nec transfertur de minori ad maiorem, qui hoc non ambitu, nec propria voluntate facit; ſed aut vi, à propria Sede pulſus, aut neceſſitate coactus, aut vtilitate loci, aut Populi nõ ſuperbè, ſed humiliter ab alijs translatus, & inthronizatus eſt & infra; nam ſicut Epiſcopi habent poteſtatem ordinare regulariter Epiſcopos, & reliquos Sacerdotes ſic quotiès vtilitas, aut neceſſitas coegerit, ſupradicto modo, & mutare; & inthronizare poteſtatem habent non tamen ſine ſacroſanctæ Romanæ Sedis authoritate, & licẽtia, & capit. temporis eadem diſtint. & quæſt. & cap. peruenit diſtint. 101. vbi ſic habetur peruenit ad nos, quod quidam præter Eccleſiaſticas ordinationes affectantes potẽtiam per pragmaticum ſacrum vnam Prouinciam in duas diuidant; ita vt ex hoc inueniantur duo Metropolitani Epiſcopi in vna eademque Prouincia eſſe: ſtatuit ergo Sancta Synodus deinceps nihil tali attentari à quolibet Epiſcopo eos vero, qui aliquid tale attentauerint cadere de proprio gradu, & cap. ſicut vnire de exceſſibus Prælatorum, & cap. niſi ſpecialis, vbi dicitur. Niſi ſpecialis illa dilectio, quam ad perſonã tuam habuimus, & habemus iuſtum motum animi noſtri temperaret pęna docente cognoſceres, quantum exceſſerit, quia ſpretis Canonicis ſanctionibus & conſuetudine generali proprio motu præſumpſiſti Troianuum Epiſcopum de Troiana Eccleſia ad Panormitanam de facto trãsferre. Et cap. quod translationem eodem titulo: ergo electiones, & mutationes Sedium Epiſcoporum diuiſioneſque Diœceſum non poſſunt fieri abſque Sedis Apoſtolicæ facultate, & licentia. Minor autem ex ſe videtur eſſe manifeſta cum eadem videatur eſſe ratio de mutatione Sedium Epiſcopalium, & diuiſionibus Diœceſum, ac de noua erectione Prouinciarum regularium, & earum diuiſione conſequentia verò probatur ex quadam bulla Nicolai quarti relata à Rodoriquez tom. 1. quæſtionum regularium quæſtion. 23. art. 8. & tomo 3. quæſt. 43. art. 1. in qua ſtatuit, & ordinauit, & ſtrictè prohibuit, atquè diſtrictè inhibuit ne in ordine Fratrum Minorum fiat diuiſio alicuius Prouinciæ, vel nouarum Prouinciarum multiplicatio abſque Romani Pontificis licentia ſpeciali per eius patentes litteras concedenda, faciente plenam, & expreſſam, de huiuſmodi ſtatuto, & ordinatione, ac inhibitione mentionem, decreuitq; irritum, & inane: ſi ſecus in hac parte cõtigerit attentari.

37 Secunda, & probabilior ſententia. Affirmat poſſe Capitulum generale regularium abſque ſpeciali Sedis Apoſtolicæ authoritate, & facultate nouas erigere Prouincias, & erectas

diuidere : non autem hoc poſſe fieri à Generali eorumdem Regularium ſine Capitulo Generali : ita Peyrinus tomo 3. priuilegiorum Regularium in addictionibus ad Conſtitutionem Iulij ſecundi capite tertio numero 24. Rebuffus in praxi beneficior. titulo de erectione Eccleſiarum parte 1. Mendoſa de ſignat. grat. de erection. Eccleſiarum Barboſa de poteſtate Epiſcopi allegatione 68. numero 1. Zaccarias Paſqualigus parte ſecunda quæſtionum Moralium Canonicarum Centuria 2. quæſtione 141. & alij. Probatur primo, quia erectio nouarum Prouinciarum, & antiquarum diuiſio debet fieri ſecundum Canones, quando adeſt aliqua neceſſitas, ſeu quia non poſſunt commodè viſitari, ſeu quia ob diuerſitatem Dominiorum ſæcularium non poteſt ſeruari pax inter ſubditos, & ex aliis huiuſmodi cauſis rationabilibus, vt docent Authores ſupra citati ; ergo exiſtentibus eiſdem cauſis ſeruatis ſeruandis poterunt etiam erigi, & diuidi Prouinciæ apud Regulares, quia vbi habet locum ratio legis, ibi habet etiam locum diſpoſitio ipſius legis. l. illud ff. ad leg. aquiliam, & lege ſi poſtulauerit §. 2. ff. ad legem Iuliam de adulter. & lege quidam numularios ff. de edendo, & illud Codice de Sacroſanctis Eccleſijs. Antecedens probatur ex capite Præcipimus 16. quæſt. 1. ibi *Pręcipimus*, vt iuxta Sacrorum Canonum ſtatuta, vbi multitudo excreuit fidelium, vt vigore Apoſtolicæ Sedis debeas ordinare Epiſcopos : pia tamen contemplatione, vt non vileſcat dignitas Epiſcopatus, & ex Concilio Tridentino ſeſſione 21. de reformat. cap. 4. ibi Epiſcopi etiam tamquam Apoſtolicæ Sedis Delegati, in omnibus Eccleſijs Parochialibus, vel batiſmalibus in qhibus Populus, ita numeroſus ſit, vt vnus Rector non poſſit ſufficere Eccleſiaſticis Sacramentis miniſtrandis, & cultui diuino peragendo, cogant *Rectores*, vel alios, ad quos pertinet, ſibi tot Sacerdotes ad hoc munus adiungere, quot ſufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum diuinum celebrandum. In ijs vero, in quibus ob locorum diſtantiam, ſiuè difficultatem Parochiani ſine magno incommodo ad *percipienda* Sacramenta, & diuina officia audienda accedere non poſſunt nouas Parochias, etiam inuitis Rectoribus iuxta formam Conſtitutionum Alexandri III. in quo ſenſu prædictos textus, & alios explicant, & intelligunt Rebuffus, Mendoſa, & Barboſa vbi ſupra. Conſequentia verò probatur, tum quia in vtroque caſu militat eadem ratio : tum quia à Clemente VIII. felicis recordationis fuit conceſſum *priuilegium* fratribus noſtri *ordinis* Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, ſub datum Romæ apud Sanctum Marcum die 25. Menſis Octobris Anno 1604. & habetur in tertio tomo bullarij Romani folio mihi 160. quę ſupradicta bulla incipit, decet Romanum Pontificem, vt capitulum Generale dicti ordinis poſſet erigere nouas prouincias, & erectas diuidere: vndè qui habēt communicationē priuilegiorū, poſſunt

poſſunt eadem facultate vti. Et quia bulla dicta nõ facilè in manibus haberi poteſt viſum mihi fuit aliqua verba ex illis, quæ ad intentum faciunt hic referre. in §. igitur 1. præfatæ bullæ, ſic habetur expoſitum ſi quidẽ nobis nuper fuit pro parte dilecti filij Bernardi de Vargas procuratoris generalis ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, nomine et iam dilecti filij Alphõſi de Monroy Magiſtri Generalis dicti ordinis, & infra ſcriptarum prouinciarum, quod in Capitulo prouinciali dicti ordinis in Oppido del Oliuar Cęſarę Aguſtanę Diœceſis die 16. Iunij anni 1603. celebrato vigore noſtrarum litterarum die 4. Martij eiuſdem anni in forma breuis ſpeditarum Prouinciæ Aragoniæ dicti ordinis de conſenſu vocalium in tres partes diuiſa fuit. Ex quatuor verò Regnis Hiſpanię, videlicèt, Aragonię, Valentię, Nauarri, ac Principatus Cathalonię duę Prouinciæ factæ fuerunt; altera Prouincia Valentiæ, quæ ſubiecta fuerunt Monaſteria eiuſdem Regni, nec non Monaſteria Tortoſæ, Tarraſonę, Teruel, Sarion, Maioricę, & vnam cum ſuis, attinentijs, & iuriſdictionibus: altera prouincia Aragoniæ, cui ſubiacerent Monaſteria eiuſdem Regni, & Nauarri, & Principatus Catalonię & §. 2. proſequitur, & vlterius pro ſalubri eiuſdem ordinis, & dictarum prouinciarum, ac etiã prouinciæ Italiæ cuius tertia prouincia fieri debebat, quod quamprimum executioni demandabitur directione, ac proſpero regimine nonnulla ſtatuta, conſtitutiones, & ordinationes per religioſos dicti ordinis perpetuò obſeruandæ cõdita, & conditæ fuerunt tenoris ſequentis videlicet. Et facta relatione in dicta bulla dictarum conſtitutionum, ordinationũ, & ſtatutorum poſtea §. 38. dictus Summus Pontifex Clemẽs octauus præinſertas dictas cõſtitutiones confirmat per hæc verba. Nos igitur dicti ordinis pro noſtra paſtorali ſollicitudine quantum cùm Domino poſſumus proſpicere valentes huiuſmodi ſupplicationibus inclinati ex voto Venerabilium fratrum noſtrorum Sanctæ Romanę Eccleſię Cardinalium ſuper conſultationibus, & negotijs Epiſcoporum, & regularium deputatorum, quibus ſtatuta, & ordinationes huiuſmodi videnda, & examinanda; ac nobis referẽda cõmiſimus prędicta ſtatutà, cõſtitutiones, & ordinationes, vt pręfertur inſerta, & inſertas authoritate Apoſtolica tenore pręſẽtiũ perpetuò confirmamus, & approbamus illiſque inuiolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adijcimus; ac omnes, & ſingulos tam iuris, quã facti defectus, ſiqui in eiſdem interuenerint ſupplemus, ac in prędictis prouincijs & ordine à ſuperioribus, & fratribus vniuerſis eiuſdem ordinis prout quempiam eorum concernunt perpetuò inuiolabiliter obſeruari debere ſtatuimus, & ordinamus.

38 Probatur ſecundò; quia Capitulum generale Regularium poteſtatem habet legiſlatiuam, vt diximus reſolutione 1. huius tractatus, atque adeo habet facultatem inſtituendi ordinẽ ſecundum quem tota religio dirigatur ſecundum ipſius exigentiam: ergo habet etiam facultatem erigendi de nouo, &

diuidendi prouincias. Probatur conſequentia, quia inſtitutio prouinciarum eſt pars ordinis ipſius religionis, & ſi quis Summus Pontifex poteſt diuidere, & inſtituere Diœceſes, & Prouincias, quia ad ipſum ſpectat vniuerſale regimen Eccleſię; ita etiam Capitulum generale idem poterit circa prouincias religionis, quia ad ipſum ſpectat vniuerſale regimen religionis.

39 Quod autem Generales Religionum non poſſint nouas erigere prouincias, aut erectas diuidere authoritate propria abſque Capitulo generali religionis, probatur contra Peyrinum, & Trimarchi in quadam lucubratione de hac re, apud citatum Peyrinum dicto tom. 3. priuilegiorum in additione ad Conſtitutiones Iulij ſecundi cap. 3. quia Generales regularium non habent poteſtatem legiſlatiuam, ita vt poſſint cōdere nouas leges, aut veteres abrogare, aut poteſtatem delegatam à Capitulo generali: ergo non poſſunt nouas erigere prouincias, aut erectas diuidere probatur conſequentia, quia erigere, & diuidere prouincias eſt actus ex maioribus, qui cōcernunt ordinationem regiminis, ergo requirit etiam maiorem poteſtatem, atque adeò poteſtatem legiſlatiuam cum cauſa non poſſit effectum producere, niſi ſecundum propriam menſuram, determinationem, & limitationem, l. in agris ff. de acquir. rer. dominio, & l. Cancell. ff. de ijs, quę in teſt. delen. et l. ex facto §. itē quęro ff. de vulgari, et pupillari ſubſt. et cap. Ea noſcitur de ſententia excommunicationis. Deinde quia Generales regularium accipiūt regimen religionum ſecūdum pręſcriptionem conſtitutionum, et ſtatutorū, et ordinationum exercendum: ergo facultas ipſorum eſt tantū in ordine ad executionem: non autem ad aliquam innouationē regiminis: ergo non poſſunt nouas erigere prouincias, aut erectas diuidere cum hoc ſit innouare ea, quę ad regimen pertinent.

40 Ad fundamentum oppoſitę ſententię reſpondetur concedendo maiorem, et negando minorem, et rationem diſparitatis aſſignat, ex Peyrino vbi ſupra Pater Zaccarias Paſqualigus dicta quęſt. 141. nu. 2. quia multum intereſt inter Epiſcopatus, et prouincias, ex eò quod Epiſcopi ſunt perpetui, et ideo ſi ab vno Epiſcopatu diuidatur portio Diœceſis pro erigendo alio Epiſcopatu erit in pręiudicium Epiſcopi. Secundo, quia diuiſio Epiſcopatuum cauſaret rumorem in populis. Tertio, quia Epiſcopi non fiunt abſque conſenſu Pōtificis. Quarto, quia Epiſcopus habet in Diœceſi ſedem Epiſcopalem, quam non poteſt mutare abſque conſenſu Sedis Apoſtolicę capite mutationes cap. temporis 7. quęſt. 1. ergo non ſunt extendendę leges circa inſtitutionem, et diuiſionem Epiſcopatuum ad prouincias religionum regularium, quia cum non ſit eadem ratio non adeſt fundamentum extēſionis: quarè neganda eſt conſequentia, et ad eius probationem dico, quod dictum Decretum Nicolaij Quarti, quod habetur in compendio priuilegiorum verbo prouincia §. 1. et refert Rodoriquez vbi ſupra, et Miranda tom. 2. manual. regular. quęſt.

Digitized by Google

quæſt.7.art.11. loquitur tantū de fratribus minoribus, qui nō poſſunt nouas prouincias erigere, aut erectas diuidere abſque Sedis Apoſtolicæ facultate:non autem loquitur cum alijs religionibus, & eorum Capitulis generalibus, & præcipuè cum noſtra religione Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, quæ vt ſupra diximus habet conceſſionem factā à Clemente Octauo loco ſupra relato erigendi nouas prouincias, & erectas diuidendi.

RESOLVTIO QVARTA.

Vtrum Generales Ordinum Regularium poſſint diſpenſare in actis, & ordinationibus factis à Capitulo Generali, aut dicta acta, & ordinationes derogare, vel abrogare.

1 Videtur affirmatiuè reſpōdendum, quia Generalis cuiuſuis ordinis regularium habet ſupremam poteſtatem in ſua religione, & in illa dicitur Princeps, ergó habet poteſtatem diſpenſandi in actis, & ordinationibus Capituli generalis, & eas derogandi, vel abrogandi iuſta, & legitima exiſtente cauſa. Conſequentia ex antecedenti videtur ſequi: antecedens vero, quoad primam partem probatur, quia ille dicitur habere plenam poteſtatē ſuper aliquos, qui illos regere, & corrigere poteſt, tam ſpiritualiter, quam temporaliter caſtigando eos tam in capite, quam in membris Gloſſa verbo pleno iure capit. cum inter 13. de ſent. & re iud. & verbo eod. cap. 2. de priuilegijs; atqui Generalis cuiuſuis religionis regularium, tam in ſpiritualibus, quam temporalibus gubernat totam religionem, ergo habet poteſtatem pleno iure. Quoad ſecundam vero partem, ſcilicet quod generalis regularium dicatur Princeps ſuæ religionis. Probatur antecedens, ſupponendo prius, quod hoc nomen princeps ſumitur multis modis à Gloſſa. verbo Regum Clemētina de baptiſmo, & ſpecialiter duppliciter ſumitur: primo pro ſupremo Principe ſuperiorem non recognoſcente, & habente maieſtatem quo nomine venit Papa, & Imperator &c. Secundo pro principali, & primo ſuperiore habente plures alios ſuperiores ſub ſe, & nullum alium recognoſcente ſupra ſe in eo genere, & ordine, qua ratione Generalis Regularium vocari poteſt princeps in ordine ſuo, & religione qui ſupra ſe non cognoſcit Superiorem regularem, ſed omnibus præeſt; quod ſic probo: tum quia in religione Generalis ſuperior eſt, primus, & principium, à quo depēdent omnes religioſi, tam Superiores, quam ſubditi, ab eo principium capientes ſuperioritatis, & ſubiectionis: tū etiam, quia cum ſit in regimine immediatus, & primus; & ideò à nemine in religione dependens nullum cognoſcit Superiorem regularem ſupra ſe, tum denique, quia Epiſcopi vocantur in iure principes ex eadem Gloſſa per Capitulum ſecundū de maioratu, ergo & Generalis à fortiori quem comparamus Patriarchæ, vel Archiepiſcopo vt docet Rodoriquez tom. 1. quæſtionum regularium quæſt. 68. art. 3. et Bordonus tom. 1. conſiliorum regularium reſol. 1. num. 25. & tom. 2. reſolutione 80. num. 10.

Di-

42 Dicendum tamen eſt non poſſe Generales religionum regularium diſpenſare in actis, & ordinationibus factis à Capitulo generali, & multominus eas derogare, aut abrogare propria authoritate abſque iuriſdictione delegata ab ipſo Capitulo Generali religionis. Ita communiter DD. Suarez tom. 4. de religione tract. 8. lib. 2. cap. 18. num. 4. Lezana tom. 2. ſummæ regularium cap. 12. num. 6. Bordonus tom. 2. Conſiliorum regularium reſolut. 80. quæſt. 4. numero 7. Petrus Velaſius in promptuario regularium verbo capitulum num. 11. et alij. Probatur primo, quia eius eſt diſpenſare, derogare, aut abrogare leges cuius eſt poteſtas leges condendi; atqui Generalis Regularium non poteſt condere leges totam religionem obligantes cum non habeat poteſtatem legiſlatiuam, quia hoc pertinet ad Capitulum generale, vt ſupra probauimus, in reſolutione præcedenti in probatione pro ſecunda parte reſolutionis, ergo non poteſt Generalis Regularium in actis, et ordinationibus Capituli generalis diſpenſare, vel eas derogare, aut abrogare abſque ipſius Capituli generalis facultate, et authoritate delegata.

43 Secundo probatur, quia inferior non poteſt legem Superioris diſpenſare, derogare, aut abrogare; atqui Generalis regularium eſt inferior capitulo generali religionis: ergo nõ poteſt diſpenſare in actis, et ordinationibus factis ab ipſo capitulo generali, neque, eas derogare, aut abrogare. Maior conſtat ex dictis reſolutione 2. huius tractatus: minor verò ab omnibus Doctoribus, vt certa recipitur, et ideo ſi maior pars capituli generalis regularium concordet in lege ferenda, quamuis Generalis diſſentiat præualet ſententia capituli, et lex tenet, quia poteſtas adæquata condundi leges eſt in capitulo, ſeu maiori illius parte, et Generalis ſolùm eſt vnus ex habentibus ſuffragium. In quo differt capitulum generale cõparatum cum ſuo Generali à Concilio Generali comparato ad Papam, nam cùm Generalis ſit ſubditus capitulo generali etiam ſi ipſe nolit tenebit lex ab ipſo capitulo facta; at vero cum Papa non ſit ſubditus Cõcilio generali; ſed ſupra illud nõ tenebit lex à Concilio facta, Papa renuente, vt cum Suarez tom. 4. de religione tract. 8. lib. 2. cap. 8. num. 4. docet Lezana tom. 2. ſummæ regularium cap. 12. num. 6. ob quam cauſam, vt cum dicto Suarez dicto capitulo 8. numer. 18. docet Lezana dict. num. 6. legibus, ſiue ſtatutis factis in Capitulis generalibus Regularium parere debent omnes: etiam ipſi Generales, quia, vt modo dictum eſt Generales ſunt ſubditi capituli generalis, et ita ipſi Generali capitulo obedire tenentur.

44 Ad fundamentum contrariũ poſitum in principio huius reſolutionis reſpondetur; concedendo antecedens, et negando conſequentiam: nam licet Generalis cuiuſuis ordinis regularium habeat plenum ius ſuper omnes religioſos ſui ordinis, et in ſenſu explicato in argumẽto poſſit dici princeps in ſua religione: nihilominus hoc non ſufficit ad aſſerendum, quod habeat poteſtatem diſpenſandi in actis, et ordinationibus capituli ge-

Digitized by Google

generalis, & facultatem dictas ordinationes capituli derogãdi, vel abrogandi, quia ad hoc affirmãdum neceſſe erat, quod Generalis Regularium haberet in ſua religione plenitudinem poteſtatis, quam plenitudinis poteſtatem non habet, quod ſic oſtendo. Quia ille dicitur habere plenitudinem poteſtatis, qui in ſuis cauſis non tenetur alicui reddere rationem cur ita facit Baldus in l.2. C. de ſeruit. & aq. & in l. imparatam C. quæ ſententiæ reſcindi non poſſunt. Marta clauſula 259. nu. 1. idem autem eſt plenitudo poteſtatis, & abſoluta poteſtas Nata conſil. 512. num. 19. Menoch. de præſumpt. lib. 2. præſumptione 12. num. 2. et 3. Sanchez de matrimonio lib. 2. diſp. 15. num. 3. vbi cum Baldo ſic definit poteſtatem plenitudinis & eſt arbitrij plenitudo nulli neceſſitati ſubiecta nulliuſque publici iuris regulis limitata, & ſic facta mentione talis poteſtatis nulla ecceptio obijci valeat nihilque opponi poſſit nec dici cur ita facis, vt docet idem Baldus ibidem numer. 39. Gloſſa cap. quanto de authoritate, & vſu pallij verbo veri, et leg. relegati, in fine, ff. de pœnis Abb. conſilio 84. lib. 1. et cap. ad hęc num. 7. de reſcriptione Decius cap. quæ in Eccleſiarum nu. 98. iuncto num. 103. de Conſtitut. Felynus cap. nonnulli §. ſunt et alij num. 50. de reſcriptione Ioannes Lupus l. 1. t. auri nu. 9. atqui Generalis Regularium tenetur reddere rationem de ſua adminiſtratione non ſolum Papæ, ſed etiam Capitulo Generali cui ſubijcitur: ergo non habet plenitudinem poteſtatis in ſua religione, quę poteſtatis plenitudo eſt neceſſaria ad hoc vt poſſit Generalis derogare leges factas à Capitulo Generali cum ille, qui habet plenitudinem poteſtatis poſſit etiam ſine cauſa derogare leges, vt docet Rodolphinus in tract. de abſoluta Principis poteſtate cap. 1. et 5. ergo cum Generalis Regulariũ, hac plenitudinis poteſtate careat certum eſt, quod non poteſt diſpenſare in actis, et ordinationibus factis à Capitulo generali ſuæ religionis, et multominus dictas ordinationes generales derogare, aut abrogare.

RESOLVTIO QVINTA.

Vtrum Capitulum Generale in duobus ſolis Vocalibus ſaluari poſſit, et legitimè ſubſiſtere.

45 PArs negatiua ſuaderi poteſt primo, quia ſi in ſolis duobus Vocalibus perſiſtere poſſit Capitulum Generale iſti poſſent facere canonicam electionem per acceſſum vnius ad ſeipſum cum conſenſu tamen alterius, ſed hoc videtur eſſe falſum: ergo, et quod Capitulum Generale perſiſtere poſſit in ſolis duobus Vocalibus: maior eſt certa, et mrnor probatur, quia ad electionem Canonicam faciendam requiritur, vt maior pars Capituli conſentiat vt habetur in cap. quia propter de electione lib. 1. tit. 6. cap. 42. vbi ſic dicitur: quia propter etc. et in §. 1. habetur: ſtatuimus, vt cum electio fuerit celebranda præſentibus omnibus qui debent, et volũt, et poſſunt commodè inter eſſe aſſumãtur tres de collegio fide digni, qui ſecrete, et ſigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, et in ſcriptis redacta mox publicent

cent communi nullo prorſus appellationis obſtaculo interiecto, vt ijs, collatione habita eligant in quem omnis vel maior, et ſanior pars Capituli cōſentit. et cap. Eccleſia veſtra eodem tit. dicitur, Eccleſia veſtra deſtituta paſtore etc. in §.1. habentur hæc verba verum cum ſuper his in noſtra, et noſtrorum fratrum præſentia multa fuiſſent hinc inde propoſita, inuenimus quod illi, qui ſua in Thomam deſideria dirigebant; licet maiorem partem facerent partium comparatione minorum: non tamen ad maiorem partem Capituli peruenerunt, et cap. in Geneſi eodem tit. ibi in Geneſi legitur, et infra cū in Cōcilio caueatur, vt is collatione habita eligatur in quem omnes, vel maior, et ſanior pars Capituli conſenſerit; atqui hoc in noſtro caſu nō verificatur: ergo non poteſt fieri electio canonica à dictis duobus Vocalibus, et conſequenter in illis non poteſt perſiſtere Capitulum Generale. Probatur hæc minor, quia ille, qui eligitur ab vno tantum eligitur: ergo eligitur à media, vel æquali parte non vero à maiori parte. Nec valet ſi dicas, quod electio inter duos Vocales tantum, vt in noſtro caſu ſupponitur fit per acceſſum vnius ad ſeipſum cum conſenſu tamen alterius, et ſic eſt canonica prædicta electio cum in ea omnes Vocales conueniant. Nam cōtra hoc eſt, quia nemo poteſt eligere ſeipſum, vt habetur in cap. in ſcripturis cauſa 8. quæſt. 1. et notat Abbas in cap. cum in iure num. 4. ergo electio facta inter duos non poteſt eſſe cannonica ſi non maior pars conſentit, ſed minor vel æqualis cum electio fiat ab vno.

46 Secūdo ſuaderi poteſt, quia in cap. quia propter ſupra citato de electione tres eligendę formæ præſcribuntur, quarum prima eſt ſcrutinij, ſecunda cōpromiſſi, tertia inſpirationis; atqui ad nullam harum electio facta inter duos tantum reduci poteſt: ergo non eſt canonica electio, et conſequenter in duobus tantùm Vocalibus non poteſt Capitulum generale perſiſtere,

47 Tertio, quia ſi in duobus tātum Vocalibus ſaluari poſſet Capitulum generale, ſequeretur, quod deſtrueretur libertas electorum; atqui hoc dici non poteſt cum de ſubſtantia electionis canonicæ ſit, quod ſit libera: ergo non poteſt Capitulum generale in duobus tantū Vocalibus cōſiſtere. Minorem docet Abbas in cap. cum terra num. 1. de electione: vnde ſublata libertate electorum electionem perire neceſſe eſt, quia eſſet ſine ſubſtantia, quæ dat eſſe rei l. Iulianus §. ſi quis rem ff. ad exibendum; vnde fieri non poteſt, vt remanente electione libertas eligendi tollatur, quòd eſſet electio ſine ſua ſubſtantia, quod contradictionem implicat; maior verò probatur: nam dato hypotheſi, quod Capitulum generale conſtaret tātum ex duobus Vocalibus in tali caſu Vocalis, qui eligit cogitur ad certum talem eligendum, cum ad vnum coarctetur, nec poſſit alium eligere, ergo adimitur libertas eligendi.

48 Vltimo ſuaderi poteſt, quia ſi Capitulum generale poſſet in duobus tantùm Vocalibus perſiſtere electio facienda ab ipſis opponeretur diſpoſitioni ſacri Con-

Concilij Tridentini ſeſſ.25.cap. 6.de regimine ibi in electione ſuperiorum quorumcumq; Abbatum temporalium, & aliorũ Officialium, ac Generalium, & Abbatiſſarum atq;aliarum præpoſitarum quò omnia rectè, & ſine vlla fraude fiant: in primis Sancta Synodus diſtricte pręcipit omnes ſupradictos eligi debere per vota ſecreta ita vt ſingulorum eligentium nomina numquam publicentur, nec im poſterum liceat Prouinciales, aut Abbates, Priores, aut alios quoſcumque Titulares ad effectum electionis faciendæ conſtituere; aut voces, & ſuffragia abſentium ſupplere: ſi verò cõtra huius decreti conſtitutionem aliquis electus fuerit electio irrita ſit; atqui in caſu propoſito hoc decretum non obſeruatur cum electio publicè fiat: ergo eſt nulla, ergo in duobus Vocalibus tantum Capitulum perſiſtere non poteſt: cum non poſſint facere electionem per ſuffragia ſecreta, ſed neceſſariò debeat fieri publicè.

49 Dicendũ tamen eſt poſſe Capitulum generale perſiſtere in duobus tãtũ Vocalibus legitimè cõgregatis. Hęc reſolutio colligitur ex cap.1.de electione, vbi dicitur Nullus in Eccleſia vbi duo, vel tres fuerint in Congregatione: niſi eorum electione canonica præsbiter eligatur vbi Gloſſa inquit dicitur in cap. iſto quod vbicumque ſunt duo, vel tres in Eccleſia tamquam Collegium, ad ipſum Collegiũ pertinet electio: alitèr verò electio non valet, & poſtea explicando illud verbum duo inquit: nota quod duo faciunt Congregationem, vt hic, & ibidem Abbas numer.5. & 6. & ex cap.cum dilectus de conſuetudine Gloſſa 10. quæſt. 1. cap. 1. verbo Congregatio & ex cap.2. de poſtulatione Prælatorum & eam docent Nauarrus libro 1. conſil.6.de elect.nu.2.Miranda in manuali Prælatorum tom. 2. quæſt.23.artic. 5. concluſion.2. Tamburinus de iure Abbatum tom.1.diſp.5.quæſt.8.numer.2. Lezana tom. 2. ſummę regularium cap. 12. nu. 24. Bertachinus verbo collegium num. 70. & alij apud ipſum Lezanam. Et probatur, quia Capitulum prout ad præſens attinet eſt adunatio legitimè facta ipſorum Vocalium pro aliquo negotio ad Religionis ſtatum pertinenti; atqui totum id verificatur, & ſaluatur etiam ſi Vocales adunati, ſint tantum duo, vt patet: ergo in illis poteſt ſubſiſtere Capitulum.

50 Ad primum argumentum partis negatiuæ reſpondetur concedendo maiorem, & negando minorem: nam vt electio canonica ſit, debet fieri à maiori parte eorum, qui præſentes ſunt, & actu ferunt ſuffragium, quod totum ſeruatur in caſu noſtro, & ſic electio erit canonica, quia electus conſentiendo ſuę electioni auget numerum, & ita à duobus dicitur electus cum eius vox cum conſẽtit ſuæ electioni debeat computari in numero eligentiũ, vt latè declarat Abbas in cap.cum in iure de electione & in cap.licet de euitanda. iuncta Gloſſa in verſ.duobus eod.tit.nu. 3. & ſic qui eligitur à duobus Vocalibus ritè legitimè congregatis eligitur à maiori parte eligẽtiũ in quo ſenſu vera eſt reſponſio poſita ad argum.n.45. Ad id autem quod incõtra arguitur reſpõdeo aliud eſſe eligere ſeipsũ, & aliud conſentire in ſeipſum;

Digitized by Google

quia tunc electio non incipitur nec oritur à ſe,ſed ab alio,vt patet; vndè nihil conuincitur cõtra nos,quia à diuerſis non fit illatio l.papinianus ff. de min.

51 Ad ſecundum varijs ſolutionibus reſpondet Don Marcus Vidal in arca vitali tract. de elect. Canonica inquiſit. vnica: quæ apud ipſum videri poſſunt, ego autem exiſtimo, quod in hac electione ſeruatur forma inſpirationis; nam omnes conueniunt in vnum, ſcilicet vnus eligendo, & alter ad ſeipsũ accedendo, & ſuæ electioni conſentiendo, ac ideo electus videtur à toto Capitulo nemine diſcrepante, & Deo inſpirante,& ſic electio fit per inſpirationẽ.

52 Ad tertium varijs etiam reſpõſiõnibus reſpondet dictus D. Marcus Vidal vbi ſupra quibus relictis breuitatis gratia reſpõdetur ad argumentum, negãdo ſequelam, & minorem ſubſumptam ad cuius probationẽ reſpõdeo cũ Siluio verbo coactio: duplicem eſſe coactionẽ aliam, ſcilicet abſolutè, & ſimpliciter, & aliã conditionalẽ. Prima coactio tollit libertatem, & irritat actum, & iſta non inuenitur in caſu pręſenti cum vnus poſſit libere non eligere, & alter non eligit. Secunda autem coactio conditionalis, quę conſiſtit in hoc, quando quis cogitur vnũ de duobus eligere reperitur in noſtro caſu, et iſta non tollit libertatem: nec actum impedit, cum ſi vnus ex electoribus in caſu propoſito vult eligere tenetur eligere alium: licèt poſſit eum non eligere, & ſic electio libere fit, quia vt actus electionis canonicæ liber ſit ſufficit ſi habeat libertatẽ, quoad exercitium, vt elector poſſit hic, et nunc eligere, et non eligere; nam cum poſſit eligere, ſi eligat, non coactè, ſed liberè eligit; quia quod poſſibile eſt non eſſe, non neceſſe eſt eſſe, vt docet Diuus Thomas prima ſecundę quęſt. 13. art. 6. in corpore per hęc verba: reſpondeo. Dicendum, quod homo non ex neceſſitate eligit, et hoc ideo, quia quod poſſibile eſt nõ eſſe, non neceſſe eſt eſſe, quod autẽ poſſibile ſit non eligere vel eligere huius ratio ex duplicis hominis poteſtate accipi poteſt. Poteſt enim homo velle et non velle, agere, et non agere: poteſt etiam velle hoc, aut illud cuius ratio ex ipſa virtute rationis accipit. hæc Diuus Thomas quod totũ reperitur in noſtro caſu, nam qui eligit, eligit vt dixi liberè libertate quoad exercitium, quę ſufficit adhoc, vt electio canonica libera ſit: licet non libertate, quoad ſpecificationem, quæ non ſemper requiritur adhoc vt electio Canonica libera dicatur, vt contingit in noſtro caſu ob paucitatem electorum nam ſi eſt facienda electio neceſſariò debet alter alteri ſuffragari; et ideo non poteſt ſaluari in hac electione libertas, quoad ſpecificationem benè tamen quoad exercitium, quod ſufficit, vt electio canonica dicatur.

53 Ad vltimũ reſp. Decretũ relatũ in argum. ex Concil. Trid. ſolum obligationem inducere, quando ęquè benè illud ſeruari põt in electione; quia neceſſitas non habet legẽ cap. ſicut nõ alij de conſtitut. diſtint. 1. cum autem in caſu noſtro ob paucitatem electorum non poſſit illud obſeruari ſiquidem ſi facienda eſſet electio neceſſario debet eſſe publica: ergo in pręſenti non inducit obligationẽ.

add o

Addo, quod Tridentinum loco citato pręcipit electionem fieri per ſecretum ſcrutinium, quando ex publicatione electionis non ſequitur neceſſario, vt etiam publicentur electorũ ſuffragia; ſicut euenit in noſtro caſu.

Ex dictis colligo primo, cũ D. Marco Vidal dicta inquiſitione vnica de electione neminem poſſe validè, & licitè in ſecreto ſcrutinio ſibi ſuffragari incipiendo ſuam electionem, quod conſtat; tum ex capit. per noſtros de iure patronatus vbi etiam Ioannes Andreas, & Hoſtienſis, & ex cap. in ſcripturis 8. quæſt. 1. tum etiam ex communi Doctorum conſenſu vt Abbas cap. cum poſt de electione num. 5. Gonzales ſupra regulam octauam Cancellariæ. Gloſſa ſecunda num. 57. Sigiſmundus de elect. & pacto Prælatorum part. 3. cap. 4. dub. 115. num. 1. & 2. tum deniquè, quia in tali caſu, qui ſibi ſuffragat in ſecreto ſcrutinio incipiendo ſuam electionem ſe haberet, vt ambitioſus, & ideò vt talis eſt repellendus, vt indignus, & inhabilis.

5 Colligitur ſecundo electionem coarctatam ad certas determinatas perſonas, vt ad duos tãtum, vel ad tres excluſis alijs dignis, & idoneis ſine conſenſu illorum, qui ius habent ad electionem eſſe omnino irritã, & nullam: ita Rodoriquez to. 2. quæſtionum regulariũ quęſt. 51. artic. 11. vbi aſſerit, quod ſi præſides Capituli Prouincialis electionem Prouincialis ſine authoritate Apoſtolica delegati à latere electionem coarctauerit non ſolùm electio erit nulla: ſed officio priuatus exiſtet: ita ille, & idem à fortiori dicendum eſt de Præſidente Capituli generalis ſi ſupradicto modo electionem coartet, & de quacumq; alia electione canonica. Miranada in manuali Regularium tom. 2. quæſt. 23. art. 22. Bordonus tom. 1. Conſiliorum regularium reſolut. 26. nu. 26. Megala in promptuar. verbo electio num: 3. & 4. Sigiſmũdus de electione, & pacto Pręlatorum part. 3. dubio 52. num. 4. & 5. vbbi addit, & refert, ita deciſum fuiſſe à Sacra Congregatione, & alij. Ratio huius eſt quia per talem coarctationem reſtringitur libertas eligentiũ, quæ in eis debet eſſe ampla ſine qua electio conſiſtere non poteſt cap. vbi periculum §. cæterum de electione in 6. Nota tamen non eſſe contra libertatem electionis: quando ſecundum bonam, & probatam cõſuetudinem electores coartantur ad eligẽdum aliquod genus perſonarum puta Magiſtrorũ, aut peritorum in aliqua ſcientia, vel etiam ſi duo tantum proponantur, alij tamen digni & idonei non excludantur, ita Megalius vbi ſupra num. 4. vbi alios citat.

56 Colligitur 3. ſemper quod in electione ſine neceſſitate omittitur aliquid de ſubſtantialibus, ac pertinentibus ad formam eſſentialem canonicæ electionis: electio eſt ipſo iure nulla. Panormitanus in cap. cum poſt de electione. vbi num. 1. teſtatur de communi, quia geſta cõtra formam ſunt ipſo iure nulla cap. cum dilect. vbi Felinus columna 9. de reſcriptis Bal. in l. 1 ff. de liber. & poſt. vbi ait, quod ſi in aliquo actu non ſeruetur forma ille actus eſt nullus.

57 Colligitur 4. in electionibus Regulares non teneri ſeruare

Digitized by Google

apices electionis, ſed ſufficit, quod ſeruetur formæ ſubſtãtia, quando æque benè fieri poteſt, ita Portel in dubijs regularium verbo electio nu. 14. & colligitur ex cap. exijt 3. de verb. ſignif. ſexto decretalium lib. 5. titul. 12.

58 Colligitur 5. electionem canonicam factam per ſortes eſſe ipſo facto nullam id enim eſt damnatum in cap. finali de ſortilegis in fine, ſecus verò eſt affirmandum in electione ſæculari, in qua non eſt illicitum vti ſortibus, vt docet Sanchez in ſumma tom. 2. cap. 38. nu. 58. vbi eũ citat D. Marcus Vidal in arca vitali dicta inquiſitione vnica num. 61. falsò tamen, quia in dicto tom. 2. de hac re nullo modo tractat. ſequitur tamen dictam doctrinam tom. 1. ſummæ lib. 2. cap. 38. à nu. 71. vſque ad 84. Azor. to. 1. inſtitut. moral. lib. 9. cap. 12. quæſt. vnica verſo at in electionibus.

59 Colligitur 6. in electionibus Regularium hic, & nũc ſeruãdas eſſe formas ſuarum Conſtitutionum etiamſi in omnibus nõ conformetur electio formę præſcriptæ in cap. quia propter quod patet, tum propter priuilegia regularium, tum etiam propter conſuetudinem bonã, & approbatam cum poſſit dari conſuetudo contra leges canonicas; dummodò tamen ſit rationabilis, & legitimè præſcripta.

60 Colligitur vltimo poſſe dici Vocalem apud quem tantum remanet tota poteſtas collegij, poſſe inſiſtendo iuri communi accedere ad Capitulum generale, quia vt dignus, & idoneus videtur electus ab ipſo iure; aliàs ſine culpa priuaretur ſuo iure, quod habet, vt eligi poſſit, & nullomodo cenſeretur ambitioſus, quia non eligitur à ſeipſo: ſed à iure ſupplente defectum aliorum eligentium; ipſe autem per acceſſum ad Capitulum conſentit ſuæ electioni, & vocationi factæ à Deo: igitur cum omni probabilitate affirmatur, quod Capitulum ſecundum ius canonicum ſubſiſtere legitimè poteſt in duobus tantum Vocalibus, & electio eſt canonica quamuis aliquando palam fiat; ſicut etiam cenſetur valida, licita, & legitima electio facta inter duos ſaltẽ Vocales, per acceſſum vnius ad ſeipſum cum alterius libero conſenſu, inſiſtendo tùm iuri communi, tùm etiam ſpeciali religionis.

FINIS TRACTATVS QVINTI.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATVS SEXTVS

DE IEIVNIO ECCLESIASTICO.

RESOLVTIO PRIMA.

Vtrum ille, qui habet priuilegium edendi oua, & lacticinia in quadrageſima, poſſit edere lardum, & ſanguinem.

1 IN hac reſolutione vt certa ab incertis diſcernamus ſupponendum eſt, quod aliqui Doctores confundunt lardum cum ſanguine, & ſi in hoc ſenſu lardum ſumatur, non poteſt lardum veſci in diebus quadrageſimalibus ab habentibus priuilegium edendi oua, & lacticinia, vt optime notat Paſqualigus de ieiunio deciſ.74. nu. 5. cuius rationem aſſignat, quia lardum non eſt pura pinguedo, ſed caro miſta cum pinguedine valde concocta, quod ſatis colligitur ex eo, quod licet caro ex valida concoctione facta ſit alba, adhuc tamen apparent in lardo quędam venulæ carneę, etiam quoad colorem. Rurſus etiam quędam pelliculæ, ſeu membranulæ, quæ deriuant à neruis, in quibus reſidet ſenſus tactus, quæ non effundũtur, niſi per partes carneas, non autem in puram pinguedinem; vnde licet lardum non ſit pura caro, ſed caro admiſta pinguedine, pro carne habendum eſt, ſicut etiam habetur ſecundum communem exiſtimationem. Quare ſenſus primę partis huius reſolutionis, quę communiter vertitur in controuerſiam inter Doctores eſt vtrum, ille, cui licet comedere oua, & lacticinia liceat etiam vti ſagimine, ſiue porcino, ſiue aliorum animalium.

2 Affirmatiuè reſpondet Pater Zacharias Paſqualigus in praxi ieiunij Eccleſiaſtici, & naturalis dicta deciſ.74.num.4. quod videtur colligi ex Gloſſ.in cap. admonere verbo carnem, 33. quæſt.2. & in capit. præsbiter diſt. 82. vbi ſanguis ponitur ſimul cũ ouis, & caſeo, ſic enim inquit Gloſſa ibidem ſupradicto verbo, carnem, ſed numquid oua, cum ouum ſit caro liquida, vel lac, cum lac non ſit, niſi ſanguis colore mutato? Dicimus quod non, & hoc vult littera illa, quæ ſequitur in pane, & aqua, ſed tamen poteſt intelligi, quod hoc debeat facere

cere in certis diebus, vt legitimis ferijs; ſed numquid de lardo vtetur? numquid nomine carnis eſt prohibitum? videtur quod non argumento diſt. 82. cap. preſbiter, ibi enim ſagimē permittitur, quando oua permittuntur, ita Hoſtienſis in ſumma in rubrica de obſeruat. ieiunij, cuius verba refert Pat. Ioannes Baptiſta Corradus in reſponſ. caſuum conſcientiæ part,1.queſt.250. in additione. Hoſtienſis (inquit) tenet, quod cuicumque conceditur vſus ouorum, & caſei, conceſſus intelligitur vſus ſaginimis, ſiue lardi. Abbas in cap. conſuluit. num. 2. de Iudeis; vbi etiam Ananias Felinus, Silueſter verbo ieiunium quæſt.5. num. 16. Angel. §.5. in fin. Tabiena §. 7. Grafis part.1.deciſ.lib.2. capit. 37.num.12.Azor.part. 1. lib.7. cap.10. quæſt. 18. Bertachinus tract.de Epiſcop.part.1. mēbr. 4.num.79.Ouandus in 4.diſtin. 16. propoſ. 52. Enriquez in ſumma lib.7.cap.13.num.11. & in Gloſſa littera C. Laiman, qui hanc ſententiam probabilem iudicat ſaltem ſpeculatiue lib.4.tract.8.cap.1.num.5.quos citat, & ſequitur Diana part. 1. tract.9.reſol.21.§. quod vero.

3 Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia in diebus Quadrageſimalibus illi, qui habent priuilegium ratione bullę Cruciatę veſcendi ouis, & lacticinijs, ſolum prohibetur in dictis diebus eſus carnium; atqui ſagimē non eſt caro, cum ſit ſola pinguedo, quę caro non eſt vt ait Ariſtoteles 1. de generatione animalium cap. 18. circa finem affirmans, quod pinguedo eſt quoddam excrementum bonitate ſubſtantię ſalubre: ergo ſagimen poteſt, vti ab habente facultatem in diebus quadrageſimę edendi ouis, & lacticinijs. Patet conſequentia, quia ſagimen eo ipſo, quod non ſit caro potius ſe habet in genere ouorum, & lactis, cum conueniat cum ipſis, in eo, quod originem ducat à carne.

4 Aduertit tamen Pater Paſqualigus vbi ſupra nu. 8. quod licet ratione conſuetudinis poſſit eſſe prohibitus eſus ſagiminis in diebus quadrageſimalibus, non obſtante priuilegio edendi ouis, & lacticinijs ratione Bullæ Cruciatę, tamen hæc conſuetudo non eſt vniuerſalis quia in pluribus Prouincijs ſolet ſagimen adhiberi quando conceduntur lacticinia, vnde ſolum poteſt eſſe particularis, & addit, quod vbi adeſt hæc conſuetudo, non videtur habere vim obligandi, ſub mortali; tum quia non conſtat an introducta ſit cum animo ſe obligandi, vnde in dubio non eſt pręſumendum obligare; tum quia cum ſagimen ſit in eodem genere cum lacticinijs, & ouis non eſt cenſenda introducta conſuetudo abſtinendi ab ipſo, cum animo ſe obligandi, cum talis abſtinentia non habeat finem ſufficientem, vt moueat vniuerſaliter populos, vt velint ſe obligare: pręſertim cum nō reddat ieiuniū rigoroſius, imò vſus ipſius ſit minus gratus, & minus ſalabris, quam vſus butiri.

5 Secunda ſententia abſolute negat, quod cui licet comedere oua, & lacticinia, liceat etiā veſci ſagimine porcino, aut aliorum animalium. Ita Filliucius tom.2.tract.27.part.2.n.6. Medina part.1. ſummę cap. 14. §.10. Villalobos tom. 1. ſummæ tract.23.difficult.8. numer.16.

Ro.

Rodriquez in bullam Cruciatę §.6.num.1. Trullench lib.3. in Decalog. cap. 2. dub.2.num.8. Laiman lib.4.tract.8.cap.1. nu. 15.verſu. Verum aduerto. Pater Leander à ſanctiſſimo Sacramento part.3. tract. 5. diſp. 2.quęſt.35.

Probatur primo hęc ſententia à dicto Patre Leandro à ſãctiſſimo Sacramento, quia probabilius eſt, quod ſagimen magis pertineat ad carnem, quam ad lacticinia, ſeu oua: ergo non exeo, quod hęc liceat alicui edere, ſequitur, quod & liceat ſagimen, ſed potius ſequitur contrarium. Conſequentia videtur manifeſta, quia apud omnes eſt notum, quod in cõceſſione ouorum, aut lacticiniorum, non venit conceſſio carnis, nec illorum, quę nomine carnis veniunt. Antecedens vero probatur, quia ſagimen vere eſt pars conſtitutiua animalis, ſicut ſunt alię, quę propriè, et ſtrictè non ſunt caro, vt ſunt nerui, medulla, carthilagines, et huiuſmodi, ſed ſic eſt quod hæc omnia exeo, quod ſint animalis partes veniũt nomine carnis, quando prohibetur caro, et cenſetur etiam eę partes prohibitę: ergo eadẽ ratione in prohibitione carnis, cenſeri debet ſagimen eſſẽ prohibitum.

Secunda probatur ab eodem Patre Leandro, quia licitum non eſt in diebus illis in quibus non eſt licitum comedere carnes lardum comedere, vt docent Enriquez libro 7. ſummę cap.13. numer. 11. Medina in ſumma cap. 14. §. 10. et ex illo Vega 1. part. ſummę capit. 14. caſu 1. verſu nota. Rodriquez in bullam Cruciatę §.6.num.1. Antonius Gomez in bullam Cruciatę §. ad ſeptimam clauſulam num.4 Filliucius tractat. 27.part.2.num.61. Syluius quẽ ſequitur, et citat Baſſęus verbo ieiunium primo num. 3. verſu, ſed petes. Sanchez lib.5.conſil. cap.1.dub.19.num.7. Laiman lib.4.tract.8.cap.1. num. 5. Fagundez in pręcepta Eccleſiæ pręcept.4. cap. 2. num. 49. in vltima editione Lugdunenſi Edita anno 1632. vbi propoſita oppoſita ſententia, quam ipſe in prima editione cum alijs tenuerat, hęc verba in noua editione addit. Verum ſi ſagimen idem ſit, quod lardum, cum idem ſit, quod porcina caro pinguior, ac craſſior, et ſolidior mihi quidem omnino videtur illicitus, et mortaliter illicitus illius eſus; ſi vero idem ſit ſagimen, atque adeps porcinus, etiam mihi videtur opinio Silueſtri, et aliorum, laxior aliquantulum, quam par eſt: ergo ſicut non licet eſus lardi habẽti facultatem edendi oua, et lacticinia, ſimiliter non licebit ei eſus ſagiminis.

8 Ego autem in hac difficultate media via procedendum iudico: Quare dico primo expectato iure; cui licitum eſt edere oua, et lacticinia in diebus prohibitis, licitum etiam eſt expectato eodem iure edere ſagimen. Hanc concluſionem tenent Auctores citati pro prima ſententia, et eam vt ſatis probabilem defendit Ludouicus à Cruce de expoſitione Bullæ Cruciatę diſp.1.cap.5. dub. 16. nu. 2. et ſatis colligitur ex cap. pręsbiter diſt. 82. et ex capite admonere 33.quęſtione 2. Quę concluſio ſatis probata manet fundamẽto allegato pro prima ſententia. Et deinde ſuadetur, quia appellatione carnium in iure

Digitized by Google

iure non venit ſagimen, neque contra, vt ex Bartulo, et alijs probat Viual. in ſuo Candelabro cap. 11. vbi de ieiunio quadrageſimali num. 39. atqui cui conceditur priuilegium edendi oua, et lacticinia in diebus prohibitis, aut alijs diebus ieiunij, ſolum eſt prohibitus eſus carnium, et omnium quæ appellatione carnium veniunt: ergo cui conceditur priuilegium veſcendi ouis, et lacticinijs in diebus prohibitis videtur ſpectato iure conceſſa facultas veſcendi ſagimine. Conſequentia eſt formalis, et maior probatur quia ſagimen reuera non eſt caro, licet ex carne originem trahat, cum ſagimen nõ ſit pars viuentis, ſed excrementum: ergo ſagimen non venit in iure appellatione carnium, neque è contra.

9 Dico ſecundo attenta conſuetudine generaliter recepta, non licęt per ſe loquendo illi, cui diſpenſaſum eſt ad veſcendum oua, et lacticinia, in diebus prohibitis, edere in ipſis diebus ſagimen, ita Enriquez lib. 7. cap. 13. et in hoc ſenſu vera eſt ſecunda ſententia, nec aliud videtur doceri ab auctoribus pro illa citatis. Probatur hęc concluſio, quia ſagimen multo magis accedit ad carnẽ, quam oua, et lacticinia: ergo vbi eſt conſuetudo non edendi ſagimen in diebus prohibitis, (in quibus edi poſſunt ex priuilegio oua, et lacticinia,) diſpenſatus ad edenda oua, et lacticinia, non cenſetur diſpenſatus ad edendum ſagimen. Probatur conſequentia, quia licet attento iure, qui eſt diſpẽſatus ad edenda oua, et lacticinia cenſeatur diſpenſatus ad edendum ſagimen, tamen conſuetudo optime poteſt mitigare, et abrogare leges, et iura humana, vt communiter docent Doctores, tam Canoniſtę, quam Iuriſtę, et colligitur ex cap. vlt. de conſuetudine, & l. de quibus ff. de legibus: ergo vbi eſt conſuetudo non edendi ſagime in diebus prohibitis quadargeſimę, et aliorum ieiuniorum, in quibus prohibetur eſus carniũ non obſtante priuilegio veſcẽdi ouis, et lacticinijs in dictis diebus, non licebit illi, qui eſt diſpenſatus ad edenda oua, et lacticinia, edere ſagimen,

10 Conſulto in hac cõcluſione dixi per ſe loquendo, quia in aliquibus prouincijs eſt cõſuetudo introducta, vt qui habet facultatem veſcendi ouis, et lacticinijs in diebus quadrageſimalibus, et alijs ieiuniorum diebus poſſit vi eiuſdem diſpẽtionis edere etiam ſagimen, quę conſuetudo ſeruatur in hoc Siciliç Regno, vt conſtat ex Edicto generali ſolito publicari 1. die quadrageſimę, in quo Edicto num. 3. ſic habetur. *Si guardi ogn'vno di qualſiuoglia ſtato, grado, e conditione che foſſe nel ſudetto tempo quadrageſimale, & in tutti gl'altri giorni prohibiti della Santa Chieſa, di mangiar carne di qualſiuoglia ſorte, ſe non in caſo di infermità, e conualeſcẽza, e queſto ſia con licenza in ſcriptis di Monſignor Vicario Generale, e del Medico: ne meno alcuno potrà mangiare oua, butiro, latte, formaggio, ſaime, o altri cibi prohibiti nel tempo quadrageſimale eccettuati coloro, che ciò fanno per priuilegio della Bolla della Santa Cruciata, &c.* Ex quo conſtat quod diſpenſatus ad edenda oua, et lacticinia virtute Bullę Cruciatę in diebus quadrageſimalibus, aut prohibitus

Digitized by Google

bitus veſcendi carnibus in diebus prohibitis ab Eccleſia poteſt ratione cuius dictæ cõſuetudinis in dicto Siciliæ Regno edere ſagimen abſque vllo cõſcientiæ ſcrupulo; & ſimiliter in alijs prouincijs, vbi aderit prædicta conſuetudo, vt docet Diana 1.parte tract.9.reſol.21. §. quod vero vſus. Paſqualigus in praxi de ieiunio deciſ.74.nu. 21. Pater Leander à Sanctiſſimo Sacramento parte 3. tract. 5.diſput. 2.quæſt. 36. & Communiter Doctores. Neque obſtare põt, vt benè aduertit Paſqualigus dicto numer.11.quod conſuetudo dicta introducta fuerit per actus illicitos, quia sufficit, quod ſit iam confirmata adhoc vt poſſit abrogare legem, ſi talis lex adeſſet. Neque cenſenda eſt irrationabilis conſuetudo, quæ in cap. finali de conſuetudine reprobatur, quia illa ſola cenſetur talis, quæ eſt contra ius diuinum, & naturale, quæ ſemper potius eſt ab vſus dicendus, quam conſuetudo.

11 Ad primum fundamentum ſecundæ ſententiæ, quatenus primæ noſtræ concluſioni opponitur, reſpondetur negando antecedens nam, vt bene aduertit Paſqualigus, vbi ſupra num. 3. ſi attendamus ſimilitudinem præſertim quoad ſubſtantiam oua ſunt ſimiliora carni, quam ſagimen, cum ſint ipſa ſubſtantia viuentis, quam generans communicat genito, & ex qua genitum ipſum producitur; præterea, quia vt lex extendatur requiritur identitas rationis; atqui cum ſagimen ſit diuerſę ſubſtantiæ, & diuerſi nutrimenti à carne, non debet cenſeri prohibitum ex maiori ſimiliudine ad carnem: ergo non bene infertur, quod quia habet ſagimen ſimilitudinem cum carne, eſto eſſet maior, quam ſimilitudo ouorum, & lacticiniorum cum ipſa carne, quod prohibita carne, intelligitur prohibitum ſagimen. Ad probationem autem Antecedentis, reſpondetur negando maiorem, quoad primam eius partem, nam non eſt eadem ratio de ſagimine, ac de alijs partibus animalium, quæ non ſunt propriè, & ſtrictè caro, vt ſunt nerui, medulla, Carthilagines, & huiuſmodi, nam pinguedo, & ſagimen non ſunt partes animalium ſicut ſunt nerui, medulla, Carthilagines &c. Sed excrementum tantum, & ita pinguedo, & ſagimen non veniunt in iure appellatione carnium, vt diximus concluſione prima.

12 Ad ſecundum fundamentum eiuſdem ſententiæ reſpondetur concedendo anteeedens & negando conſequentiam nam vt dicimus in notabili poſito initio huius reſolutionis lardum nullo modo eſt licitum, quia non eſt pura pinguedo, ſed caro miſta cum pinguedine valde concocta; & ita lardum intrat appellatione carnis; ideoque quotieſcumque prohibetur eſus carnium, intelligitur prohibitus eſus lardi, quæ ratio non militat in ſagimine, cum non ſit pars viuentis, ſed excrementum, ob quam rationem non ingreditur appellatione carnium, vt ſupra diximus.

13 Quod attinet ad ſecundam partem reſolutionis, an ſcilicet, cui conceditur facultas, edendi oua, & lacticinia in die-

bus prohibitis, intelligatur illi facultas conceſſa ad vſum ſanguinis animalium in dictis diebus; non defuerunt aliqui Doctores Canoniſtæ, qui affirmatiuam ſuſtinuerunt partem, vt Ananias, & Felinus in capite conſuluit, Enriquez lib. 7. cap. 13. & in Gloſſa littera H. Hoſtienſis in ſumma de obſeruatione ieiuniorum §. quando num. 8. Et fundantur in capite presbiter diſtint. 82. vbi vſus ſanguinis ſimul cum vſu ouorum, conceſſus fuit cuidam presbytero facienti pœnitentiam propter delictum ab ipſo commiſſum: ergo ex dicto capite conſtat, quod cui conceditur ex priuilegio facultas edendi oua, conceditur etiam vſus ſanguinis. Pater autem Antoninus Diana parte 1. tract. 9. de ieiunio affirmat licitum eſſe ex conſuetudine in hoc Siciliæ Regno, vt in diebus quadrageſimalibus, & alijs ieiunijs habentibus bullam Cruciatæ per hec verba: licitum eſſe ex conſuetudine, & authoritate Doctorum, manifeſte apparet: poſſe vero conſuetudinem mitigare, & abrogare leges, & iura humana communis refert Doctorum opinio. Id aſſerunt Theologi cum Diuo Thoma parte 2. queſt. 97. artic. 3. Canoniſtę in capite vltimo de conſuetudine, legiſtę l. de quibus ff. de legibus, & ita in terminis de ieiunio aſſerunt Leſſius lib. 4. cap. 2. dubio 2. num. 8. Bonacina tractatu de legibus disput. vltima queſtione prima puncto ſecundo. Reginaldus tomo 1. lib. 4. cap. 13. ſect. 1. num. 147. cum alijs, & ita Belgio exceptis paucis diebus conſuetudo permittit lacticinia etiam in quadrageſima, & apud Caſtellanos in Hiſpania, vt notat Sãchez de matrimonio tomo 1. lib. 3. diſput. 18. num. 19. licitum eſt edere in Sabato inteſtina animalium. Hęc Diana. Pater vero Ludouicus à Cruce de expoſitione Bullę Cruciatę diſputatione 1. capite 5. dub. 16. ſuperius citato num. 2. affirmat quod attento iure videtur ſatis probabile, quod diſpenſatus ad oua, & lacticinia, poſſit veſci ſagimine, lardo, & ſanguine. Fundatus in dicto cap. presbyter diſtinctione 82. & in capite admonere 33. queſtione 2. verbo carnem. Et deinde quia ſibi perſuadet, quod ſanguis ſicut & pinguedo non eſt caro, licet ex carne originem trahat: ergo bene infertur, quod cui conceditur vſus ouorum, caſei, &c. conceſſus etiam intelligitur vſus ſanguinis. Quamuis num. 4. aſſerat, quod attenta conſuetudine, non licere diſpenſatum ad oua, & lacticiuia, veſci ſanguine.

14 Communis tamen, & vera ſententia abſolute negat diſpenſatum ad oua, & lacticinia, intelligi diſpenſatum ad vſum ſanguinis non ſolum attenta conſuetudine per ſe loquendo, ſed etiam attento ipſo iure. Dico, per ſe loquendo, quia apud Caſtellanos, & apud Vandalios in Hiſpania, licitum eſt ex conſuetudine edere in Sabato, inteſtina, & ſanguinem animalium. Hanc ſententiam in terminis defendunt communiter Doctores, vt docent Paſqualigus in praxi ieiunii Eccleſiaſtici, & naturalis deciſ. 75 Pater Leander à Sanctiſs. Sacr. par. 3. tract. 5. de obſeruatione ieiuniorum diſp. 2. queſtion. 34. Pro-

Probatur hęc vera, & communis ſententia, quia quotieſcumque in iure prohibetur vſus carnium in aliquibus diebus, intelligitur prohibitus vſus omniũ illorum, quæ veniunt nomine carnis; atqui ſanguis eſt in eodem genere cum carne, licet propriè caro non ſit: ergo cui conceditur ex priuilegio vſus ouorum, & lacticiniorum non intelligitur conceſſus vſus ſanguinis ex vi dicti priuilegij veſcendi ouis, & lacticinijs. Maior eſt per ſe nota. Minor autẽ in qua poteſt eſſe difficultas, probatur tum, quia ſanguis eſt Præcipua pars conſtitutiua animalis; ſed quando prohibetur caro, prohibentur omnes partes conſtitutiuæ animalis: ergo ſanguis eſt in eodem genere cum carne. Tum etiam; quia ſanguis licet proprie caro non ſit, eſt tamen proximè caro, quia eſt in proximo ſtatu, vt conuertatur in carnem: ergo cenſetur eſſe in eodem genere cum carne: ergo ſanguis intelligitur prohibitus in prohibitione carnis, tamquam quid carni annexum in eodem genere, & tamquam id, quod moraliter cenſetur caro; atqui cui licitum eſt ex priuilegio edere in diebus prohibitis oua, & lacticinia, non eſt ei licitum ex vi dicti priuilegij vſus carniũ: ergo nec erit ei licitus vſus ſanguinis, etiam ſi ſermo ſit de iure.

15 Ad primum fundamentum oppoſitæ ſententię deſumptum ex cap. præsbyter, & ex cap. ad monere reſpondeo primo cum Paſqualigo dict. deciſ. 75. quod textus in dictis capitibus mendoſus eſt, & loquitur de ſagimine, loco cuius poſitum eſt nomen ſagiminis; vt ex aliquibus exemplaribus conſtat, vt in dicto cap. præsbyter loco ſanguinis appoſita eſt vox, ſagiminis. Secundo reſpondeo, quod licet litera non ſit mendoſa, vt aliquibus placet, non inde licet colligi abſolute, quod quibus conceſſus eſt ouorum vſus, & lacticiniorum ſit etiam conceſſus vſus ſanguinis animalium: nam in dicto cap. præsbiter, vt bene notat Pater Leander à ſanctiſſimo Sacramento vbi ſupra, id conceditur ex indulgentia præsbitero pęnitentiam agenti, cui antea eſus carnis, & ſanguinis, ouorũ, & lacticiniorum erat denegatus, & poſtea ex indulgentia conceſſum fuit ei, vt ex prædictis ſanguine, & ouis, cum lacticinijs veſci poſſit in dominicis diebus, & præcipuis feſtiuitatibus, quia erat remiſſio penę impoſitæ, & ſic potuit remitti ad libitum. Vnde quamuis ſanguis pertineat ad carnem, placuit Patribus in Concilio Glãcenſi (vt alij volunt) Hibernẽſi Congregatio, quod in prædictis diebus Dominicis, & pręcipuis feſtiuitatibus, illo poſſet vti, cum alias, non per præceptum Eccleſiæ, ſed per Decretum illorum Patrum, non poſſet dictus pœnitens carne, ſagimine, aut ſanguine, ouis, vel caſeo veſci. In capite autem admonere in gloſſa verbo, carnẽ, non loquitur gloſſa, de ſanguine, ſed de ſagimine, vt conſtat ex verbis ipſius gloſſa ibi, ſed numquid de lardo vtetur? nũquid nomine carnis eſt prohibitum? videtur quod non Argumento 82. diſt. cap. præsbiter, ibi enim ſagimen permittitur, quando oua permittuntur. Ad rationem allatam à Patre Ludouico à Cruce, reſpondetur

tur negando antecedens, quia non currit eadem ratio de ſanguine, ac de pinguedine, ſanguis enim licet proprie non ſit caro, eſt proximè caro in quantum eſt in proximo ſtatu, vt conuertatur in carnem, & ita eſt in eodem genere cum carne, vt ſupra diximus in probatione noſtræ ſententiæ. Pinguedo autem nullo modo eſt caro, neque in genere carnis comprehenditur, cum ſit tantum excrementum animalium.

16 Quod attinet ad conſuetudinem dico, quod vbi fuerit introducta conſuetudo, eſus ſanguinis in aliquibus diebus, in quibus à carnibus abſtinetur; licet eam edere ratione dictæ conſuetudinis; nego tamen quod aſſerit Pater Diana eſſe in hoc Siciliæ Regno conſuetudinem veſcendi ſanguine in diebus quadrageſimalibus ab habentibus Cruciatam Bullam, aut in alijs diebus ieiunij. Nec inuenio fundamentum ad aſſerendum talem eſſe introductã conſuetudinem in dicto Siciliæ Regno, imo oppoſitum conſtat ex edicto Generali, quod primo die Quadrageſimæ omnibus publicatur annis in alma Matre Eccleſia huius feliciſſimæ Ciuitatis Panormi, de iuſſu, & mandato Illuſtriſſimi Archiepiſcopi dictæ Ciuitatis, & in anno præſenti fuit publicatum de iuſſu, & mandato Excellentiſſimi, & Reuerendiſſimi Domini D. Petri Martinez de Rubio Archiepiſcopi Panormitani Præſidentis, & Capitanei Generalis pro S.C.M. in dicto Regno Siciliæ, in quo vt ſupra diximus num. 3. prohibitus eſt omnibus fidelibus huius feliciſſimæ Ciuitatis, & Diœceſis, eſus carnium ſecluſa cauſa infirmitatis, & conualeſcentiæ, & hoc prius ſuppoſita licentia eius Reuerendiſſimi Vicarij Generalis, & medici temporalis in ſcriptis, & ſolum permittitur habentibus Bullam Cruciatæ (exceptis Religioſis Regularibus, & Sacerdotibus Sæcularibus) facultas edendi oua, & lacticinia, ſimul cum ſagimine, non autem conceditur vſus ſanguinis animalium, quod ſi talis vſus ſanguinis eſſet incõſuetudinem in hoc Siciliæ Regno, concederetur in dicto Edicto ſicut conceditur vſus ſagiminis, qui vſus ſolum eſt licitus ratione conſuetudinis introductæ in dicto Regno in diebus quadrageſimalibus, & alijs ieiunijs. Quare falſo ſupponitur eſſe conſuetudinem in hoc Regno introductam eſus ſaguinis, in diebus quadrageſimalibus, & alijs ieiunijs vigore priuilegij bullæ Cruciatæ, vt affirmat Pater Diana.

17 Hic autem ſolet inquiri quæ ætas requiratur in pueris, vt carnes, & oua prohibeãtur eis. Vt ad hoc quæſitum reſpondeamus ſupponendum eſt vt certum pueros ſi ad annos diſeretionis peruenerint, teneri legibus humanis, tam iuris Ciuilis, quam Canonici, imo, & ab homine latis, niſi leges ipſæ ipſos excipiant, aut iuſta cauſa eos excuſet. Quod aperte conſtat ex cap. Omnis vtriuſque ſexus de pœnit. & remiſſ. vbi dicitur omnis vtriuſque ſexus fideles poſtquam ad annos diſcretionis peruenerit, omnia ſua peccata ad minus ſemel in anno proprio ſacerdoti confiteatur &c. ex quo textu colligitur pueros teneri ad præceptum annuæ confeſſionis ſeruandum poſtquam ad annos diſcre-

Digitized by Google

diſcretionis perueniunt, & eadem ratione de legibus humanis; ſuaderi poteſt, quia tales pueri habentes vſum rationis, ſunt capaces obligationis legis humanæ non minus quam naturalis, & diuinæ; ergo lege humana tenentur, niſi hæc eos excipiat, aut illos iuxta cauſam excuſet; ſicut illos, imo, & adoleſcentes vſq; ad finem tertij ſeptemnii excuſat impotentia, quia egent nutrimēto multiplicato propter augmentum à lege ieiunij, vt docet Caietan. in ſumma verbo ieiunium per hæc verba: ex impotentia ſiquidem excuſantur pueri, & adoleſcentes vſque ad finem tertij ſeptemnij, in quo communiter finit ętatis augmētū, quia egēt nutrimento multiplicato propter augmentum. Et communiter Doctores in dicto verbo, ieiunium.

18 Tota autē difficultas eſt, quādo pueri perueniant ad annos diſcretionis, vt intelligātur obligati ad obſeruantiam legis humanæ, tam iuris ciuilis, quam Canonici. In qua re Pater Magiſter Sotus in 4. diſt. 12. quæſt. 1. art. 11. ad finem corporis loquēs de præcepto eccleſiaſtico ſumendi Euchariſtiam, aſſerit pueros non obligari, nec dicto præcepto Eccleſiaſtico teneri vſque ad duodecimum annum, quando alijs tenentur Eccleſię legibus. Et idem docet diſt. 18. quæſt. 1. art. 3. ad finem corporis loquendo de præcepto Eccleſiaſtico confeſſionis ſacramentalis, vt refert Pater Magiſter Marcus Serra in 12. Diui Thomiſtæ quæſt. 96. art. 5. per hæc verba: Magiſter Soto vero adhoc adhuc maiorem ætatem requirit, nempe annum duodecimum in 4. diſt. 12 quæſt. 1. artic. 11. ad finem corporis loquens de præcepto Eccleſiaſtico ſumendi Euchariſtiam ait: pueri non obligantur vſque ad duodecimum annum, quando alijs tenentur Eccleſiæ legibus. Idem dicit diſt. 18. quæſt. 1. art. 3. ad finem corporis loquens de præcepto Eccleſiaſtico cōfeſſionis ſacramentalis. Ex quo ſequitur pueros ante hanc ętatem, etiam ſi vſum rationis habeant, non peccare carnes, aut lacticinia in diebus prohibitis comedentes, quod expræſſe dicunt multi recentiores. Hæc Magiſter Serra. Quam opinionem non refutat in dicto articulo. Ex quo videtur inferri, quod illam ſaltem, vt probabilem teneat.

19 Vera tamen, & communis Doctorum ſentētia eſt pueros ad annos diſcretionis peruenire, diei quando perueniunt ad annum immediatè poſt ſeptemnium, nempe annum octauum; ita D. Antonious 2. parte titul. 9. cap. 8. §. 2. Azor. 1. parte lib. 7. cap. 17. (alias 28. quęſt. 2. Villalobos 1. part. ſummæ tract. 25. difficult. 8. num. 7. in fine. Trullench in Bullam Cruciatæ lib. 1. §. 4. dub. 2. num. 4. & lib. 3. in Decalog. cap. 2. dub. 2. num. 11. & dub. 6. numer. 1. in fine, quos citat, & ſequitur Pater Leander à Sanctiſſimo Sacramento dict. tract. 5. de obſeruatione ieiunior. diſp. 2. quæſt. 62. qui omnes iudicant non licere pueris poſt ſeptemnium iam completum edere carnes, & lacticinia in diebus prohibitis abſq; lethali culpa; imo non licere illis veſci carnibus, & lacticinijs caſu quo ante ſeptemnium iam habeant vſum rationis; quod quoad hanc partem valde probabilis eſt hæc ſentētia

tia, licet æque probabilis ſit ſẽtentia affirmans eis licere veſci carnibus, & lacticinijs, caſu quo ante ſeptemnium iam habeant vſum rationis, quia hoc eſt per accidens, & non obligat illos ad leges humanas obſeruandas ac proinde non tenentur confiteri ſemel in anno, nec à carnibus, & lacticinijs abſtinere in diebus ieiunij, nec alia præcepta Eccleſiæ ſeruare. ita ſuſtinent Sancius in ſelect. diſp. 51. num. 31. verſu vnde non aſſentior. Didacus Narbona de ætate ad humanos actus requiſita anno ſeptimo quæſt. 6. nu. 3. in fine. D. Ioannes Eſcobar de vtroque foro art. 6. nu. 34. citans pro hac parte Caſtrũ palao tom. 3. diſp. 1. punt. 4. §. 2. nu. 3. & Dianam part. 4. tract. 3. reſolut. 52. Paſqualigus in praxi de ieiunio naturali, & eccleſiaſtico deciſ. 50. num. 2. qui nu. 3. aduertit, quod ſi ſeptemnio expleto pueri non dum habent vſum rationis, neque adhuc ob eamdem rationem ſunt capaces obligationis ex legibus, & ideo ſi comedant carnes quãdo prohibentur; non peccabunt.

20 Prima, & præcipua pars huius ſententiæ ſcilicet, quod pueri poſt expletum ſeptimum ætatis annum dicantur, vt in plurimum, & generaliter ad annos diſcrrtionis peruenire, & teneri ad obſeruationem legis humanæ, tam Ciuilis, quam Canonicæ. Probatur, quia pueri in tali ætate ſunt doli capaces, ita vt inter bonum, & malum diſcernere, & mortaliter peccare poſſint: ergo in tali ætate tenentur ad obſeruationem legis humanæ, tam Canonicæ, quam Ciuilis, et conſequenter mortaliter peccabunt ſi in diebus prohibitis ab eccleſia carnes, & lacticinia comedant. Hec vltima conſequentia manifeſte ſequitur ex prima. Prima autem probatur, quia ſi pueri poſt expletum ſeptimum annum, in qua ætàte generaliter loquẽdo ſunt capaces doli, & diſcernũt inter bonum, & malum, & poſſunt mortaliter peccare, non tenerentur ad leges humanas ſeruandas, tam ciuiles, quam Eccleſiaſticas, ſequeretur, quod ſi illis mors adueniret in dicta ætate, non tenerentur ad obſeruandum præceptum Eccleſiaſticum ſacramentalis cõfeſſionis in mortis articulo; atqui hoc eſt falsũ: ergo, & quod nõ teneantur in tali ætate leges humenas, tam ciuiles, quam Canonicas obſeruare. Probatur minor, quia præceptum Eccleſiaſticum confitendi ſacramentaliter in mortis articulo, obligat omnibus fidelibus habentibus conſcientiam peccati mortalis; atqui pueri poſt ſeptimũ annum expletum, eo ipſo, quod ſunt capaces, doli, & poſſunt diſcernere inter bonum, & malum, & mortaliter peccare, poſſunt adueniente morte in tali ætate, habere conſcienriam peccasi mortalis; ergo falſum erit aſſerere, quod in tali caſu non teneantur ſacramentaliter confiteri ex præcepto eccleſiaſtico: ergo ſicut in tali ætate tenentur hoc præceptum obſeruare, tenebuntur etiam, & alia precepsa, & leges humanas tam Canonicas, quam Ciuiles obſeruare ſub peccato mortali; ergo mortaliter peccabunt, ſi in tali ætate comedant in diebus prohibitis, carnes, aut lacticinia.

RE-

RESOLVTIO SECVNDA.

Vtrum diſpenſatus ex iuſta cauſa ad carnes comedendas in diebus ieiunij, cenſeatur etiam ipſo facto diſpenſatus ab ipſo ieiunio?

21 IN hac difficultate prima ſententia negat, quod diſpenſatus ex iuſta cauſa, ad edendas carnes, intelligatur, eo ipſo diſpenſatus ab ipſo ieiunio. ita Pedraza in ſumma pręcept. 3. §.14. Metina C. de ieiunio quęſtione de his qui ad ieiunia tenentur §. de infirmis. Corduba in ſumma quęſtion. 143. & 167. Graſis in deciſionibus parte 1. lib.2.cap.37.num. 58. Valentia 2.2. diſput.9. quęſt.2. punct.5. verſu qui autem. Ledeſma 2. parte 4.quęſt.17.art. 3. propoſ. 2.circa finem. Fernandez parte 2.exam.Theolog.moral.cap.8. §.2. num. 24. Nider pręcept. 6. cap.8.num.4. Ludouicus à Sãcto Ioann. part.1.ſummę tract. de ieiunio artic.11. Nauarr. in manual.cap.21. num.22.

2 Fundamentum huius ſentẽtię eſt, 1. quia quando eccleſię pręceptum vno modo ſeruari poteſt, & alio modo ſeruari nõ poteſt, debet ſeruari eo modo, quo poteſt, quando pluribus modis ſeruari non poteſt; et ſi dictum pręceptum omnibus modis ſeruari poteſt, debet ſeruari; atqui diſpenſatus ex iuſta cauſa ad comedendas carnes in die ieiunij, optime poteſt ſeruare vnicam comeſtionem, licet ob ſui neceſſitatem non poſſit illud ſeruare, quoad abſtinentiam à carnibus: ergo habens diſpenſationem veſcendi carnibus in die ieiunij, non cenſetur diſpenſatus ab ipſo ieiunio. Maior quoad primam partem colligitur ex capit. cum dilecti de dolo, & contumacia, & traditur à Couarruuias lib.4. variar. cap.20. num. 13. & eam docet Caietanus 2.2.quęſt.147 artic. 7. per hęc verba: adhoc breuiter dicitur, quod proculdubio egent diſpenſatione in vna ſola conditione ieiunij, etiamſi illa conditio ſit de neceſſitate ieiunij, & in illa ſola diſpenſatus, ſiue à Prelato, ſiue à neceſſitate ſit, non eſt propterea diſpenſatus, ſeu abſolutus à ieiunio. Minor autem videtur certa, quia nullum videtur pati incommodum ſi diſpenſatus ad edendas carnes in die ieiunij ex iuſta, & rationabili cauſa vnam tantum in die comeſtionem faciat. Conſequentia vero probatur à paritate rationis, nam ſicut iuſta cauſa, quę excuſat à ieiunio, non excuſat ab omni eius parte; nam pręceptum eccleſiaſticum quando vno modo ſeruari non poteſt, debet ſeruari eo modo, quo poteſt, conſequens eſt, vt ſi diſpenſatus ad edẽdas carnes abſq; proprio ſuo incommodo, poteſt ſeruare ieiunium, quoad vnam comeſtionem, quamuis non poſſit ſeruare illud, quantum ad abſtinentiam à carnibus teneatur ſub mortali, dictum ieiunium ſeruare, ſicut qui non habet poſſibilitatem ſoluendi totum debitum, ſoluere tenetur illam partem, quam poteſt.

23 Secundo probatur hęc ſententia, quia ille, qui abſque licentia, & neceſſitate edit carnes in die ieiunij, committit duo peccata mortalia; nempe vnum contra pręceptum negatiuum prohibens in illo die eſum carnium, & aliud contra pre-

Digitized by Google

prȩcepeum poſitiuum, vnam dumtaxat refectionem preci-piens: ergo ſignum eſt, quod ille qui ex iuſta cauſa obtinuit licentiam ad edendas carnes in die ieiunij, teneatur ad ieiuniũ, nempe ad vnicam comeſtionẽ, vt adimpleat prȩceptum poſitiuum.

24 Secunda ſententia in alio extremo affirmat quod ille qui ex iuſta cauſa eſt diſpenſatus ad edendas carnes in diebus ieiunij intelligitur diſpenſatus, & abſolutus ab obſeruantione ieiunij. ita Caietanus 2:2. quȩſtio. 147. articul. 8.§. adhoc dicitur quod quia. Gabriel in 4.diſt.16.quȩſtione 3.art.3.dub.1.§. de ſecũdo quo frangitur ieiunium. Palatius diſt. 15.diſput.8.concl.6. Suarez tom. 2. de religione lib. 4.cap.28.num.25. circa finem. Azor.part.1.lib.7.cap.10.queſ. 3. Filliucius tom.1.tractatu 27. part.2.cap.3.numer.25.Diana part.1.tract.9.reſolut.25. Molfeſius part.1.ſummȩ tractat.10. cap.4.num.31.Thom. Sanchez lib.1.in Decalog.cap.19.num.6 et lib.4.cap.11. num. 53. et lib. 5.conſil moral. cap.1.dub. 29. num.3.Ouandus in 4.diſt. 16.§. 25. Hieronym. Perez parte 1. ſummȩ Theolog.prȩcept.3. de ieiunio Trullench. lib 3.in Decalog.cap.2.dub.2.num.7. Megala tom.2.variar. reſolut.153. num.6. Ioannes Sanchez in ſelect.diſput.51.num.4. Bartolomeus à S.Fauſto lib.4.de Indulgent.quȩſt.28.Fagundez in prȩcept.Eccleſiȩ.prȩcept. 4. lib. 1. cap.2.numer.5.Paſqualigus in praxi de ieiunio deciſ. 266. nu. 10.D.Marcus Vidal in Arca vitali tractatu de ieiunio Inquiſit. 1.à num. 19. Pater Franciſcus Bardi in Bulla Cruciatȩ parte 2.tract. 3.capit. 1.ſect.4.nu.74.

25 Probatur 1. hȩc ſententia, quia quando deſtruitur forma, in qua conſiſtit aliqua res, ſimul perit diſpoſitio facta de illa re, ſiue cauſa illius rei; atqui ieiunium, quod ab Eccleſia prȩcipitur, conſtituitur tamquam per formam ſubſtantialem per abſtinetiam à carnibus, et à pluribus refectionibus: ergo deſtructa forma ſubſtantiali principaliter cõſtituente eſſentiam ieiunij eccleſiaſtici, deſtruitur conſequenter eius diſpoſitio, ſeu pars minus principalis. Maior probatur ex l. *Seia in fine* ff. de auro et arg. leg. vbi dicitur quod extincta re legata, vel ſi non permaneat in ſua ſpecie, et forma, non habetur res illa nec eius pretium, et ex l. quid tamẽ §.vltim ff.quibus mod. vſus fructus amitt. et l. peculium. §. quadrigȩ ff. de legatis 2. legatũ quadrigȩ non ſubſiſtit, mortuo vno ex quatuor ȩquis quadrigȩ quia forma ex illis quatuor ȩquis conſtituitur. Et ratione ſuadetur eadem maior; nam quotieſcumque lex actum prȩcipit cũ certa forma, ſi illa forma eſt impoſſibilis, aut ex alio capite ceſſet, obligatio ponendi illam formam, ceſſat totaliter obligatio legis, quia reſpicit actum vt extat ſub illa forma; ac proinde non poteſt permanere, niſi permanẽte forma actus: ergo quãdo deſtruitur forma, in qua cõſiſtit eſſentialiter, aliqua res, ſiue totaliter, ſiue partialiter eſſentialiter rem conſtituat, deſtruitur diſpoſitio talis rei. Minor autem, ſcilicet, quod ieiunium eccleſiaſticum eſſentialiter conſiſtat in abſtinentia à carnibus, et vnica tantum diurna comeſtione, communiter recipitur à Doctoribus cum Diuo Thoma 2.2.quȩſt.147.articul.6.

quod

Digitized by Google

quod clarè docet Caietan.ibid. art.7. §.adhoc breuiter dicitur per hęc verba: quoniam ieiunium noui teſtamenti ex abſtinentia carnium, & vnica comeſtione conſtat, tamquam ex ſubſtantialibus &c. Conſequentia vero docetur ab eodem Caietano ibidem art.8.§. ad hoc dicitur, quod quia conſuetudo optima eſt legum interpres, & communiter in populi Chriſtiani obſeruatione inuenitur, quod diſpenſati, ex impotentia euidenti ab abſtinentia carnium, ſunt totaliter abſoluti à præcepto ieiunij. Et ratio id ſuadet, quia cum eſſentia rei conſiſtat in indiuiſibili ablata quacumque parte eſſentiali conſtituente rei eſſentiam, aufertur conſequenter eſſentia ipſius rei; vnde cum eſſentia ieiunij Eccleſiaſtici conſiſtat indiuiſibiliter in abſtinentia carnium, & vnica comeſtione diurna; conſequens eſt, quod ſine abſtinentia à carnibus, nõ poſſit conſiſtere eccleſiaſticum ieiunium, ſecundum hodiernam Eccleſiæ inſtitutionem; quia iam tollitur forma ſubſtãtialis; ideoque quando locum non habet abſtinentia à carnibus, nec etiam habet locum obligatio præcepti de ieiunio: nam actus non habet locum cum propria forma, cum qua præcipitur, ſicut quia præceptum eccleſiaſticum, audiendi miſſam in die feſto, præcipit aſſiſtentiam illi cultui diuino, vt ſtat ſub forma ſacrificij, ceſſat talis obligatio in feſto Annunciationis Beatæ Virginis, quando incidit in die Veneris Sancti, ſeu in feria ſexta Paraſceue, vt declarauit Sacra Concilij Tridentini Congregatio, quia in illa die non adeſt cultus diuinus coniũctus cũ forma ſacrificij. Ergo idẽ ſimiliter dicẽdum eſt in noſtro caſu, quia ex eo, quod locũ nõ habeat abſtinẽtia à carnibus, nec etiã habeat locũ obligatio ieiunij. Ideoque diſpenſatio quoad carnes, erit ſimpliciter diſpenſatio, quoad ieiunium, quia eſt diſpenſatio, quoad formam ieiunij.

26 Nec valet, ſi dicas: cũ comeſtione carniũ poteſt eſtare vnica refectio, quæ eſt pars ieiunij: ergo cũ abſtinentia à carnibus ſit ſolũ forma partialis cõſtituẽs eſsẽtiã ieiunij, optime ſtare poteſt vſus carniũ in die ieiunij cũ obligatione ſeruandi ieiunium quoad vnicam comeſtionem. Hoc, inquam, non valet; nam vnica refectio non eſt pars eſſentialis ieiunij, niſi coniuncta cum abſtinentia à carnibus, nimirum, vt ſit vnica refectio cũ talibus cibis; cum enim forma ſubſtantialis ieiunij ſit abſtinentia à carnibus, & à pluribus refectionibus, & forma, vt ſupra diximus conſiſtat in indiuiſibili, iuxta legem ſi veritas. Codic. de fideicommiſſ. vt notant Molina libro 1. de iure primogen. capit.9. numer. 17. Scobar capit. 11. de ratiocinijs num.19. Hinc eſt, quod ſecluſa obligatione abſtinendi à carnibus in die ieiunij ob iuſtam, & legitimam diſpenſationem, ceſſet etiam obligatio ipſius ieiunij; nam quando forma eſt de ſubſtantia actus, ſi auferatur in parte quantumuis minima, corruit totus actus, vt habetur ex l. cum hi §. ſi puer ff. de tranſact. & l. qui Romæ §. Flauius ff. de verb. oblig. & docẽt communiter iuris periti; & Theologi in tractatu de legib.

27 Secundo probatur hæc ſententententia, quia diſpenſatus in re

re Superiori, & maiori, eſt etiã ipſo facto diſpenſatus in minori, & inferiori, & ſpecialiter quando res inferior dependet à re ſuperiori; atqui abſtinentia à carnibus, eſt quid maius, & perfectius, quam ſit ieiunium: ergo diſpenſatus ad edendas carnes, cenſetur etiam diſpenſatus à lege ieiunij. Maior probatur, quia quicquid diſponit priuilegium in vno ex Correlatiuis, extenditur etiam ad aliud correlatiuum; atqui abſtinentia à carnibus in præcepto ieiunij dicit relationem ad vnicam tantum comeſtionem in die ieiunij, & ieiunium, ſeu vnica comeſtio dicit relationem ad abſtinentiam à carnibus: ergo diſpenſatus in vno correlatiuo, intelligitur diſpenſatus in alio, & conſequenter diſpenſatus in abſtinentia à carnibus, intelligitur diſpenſatus ad plures comeſtiones, atque adeò diſpenſatus in ieiunio. Minor etiã probatur, quia grauior, & iuſtior cauſa requiritur pro obtinenda diſpẽſatione diebus ieiunij ab eſu carniũ, quã ab ipſo ieiunio teſte experientia nam, multoties ob debilitatem naturæ diſpenſatur cum aliquo cõſilio medicorum, ad plures comeſtiones in die ieiunij, quæ cauſa nõ eſt ſufficiẽs, vt cũ ipſo diſpẽſetur in abſtinentia à carnibus: ergo abſtinentia à carnibus, eſt quid maius, & ſuperius quam ieiunium; & ſic diſpenſatus in abſtinentia à carnibus, cenſeri debet diſpenſatus in ieiunio, licet non è contra diſpenſatus ad plures comeſtiones, & conſequenter in ieiunio, intelligendus ſit diſpenſatus in abſtinentia à carnibus; ex eo, quod Eccleſiaſticum ieiunium dependet eſſentialiter ab abſtinentia à carnibus, & nõ è contra, quia hæc abſtinentia à carnibus, eſt pars eſſentialis conſtitutiua totius compoſiti ieiunij Eccleſiaſtici, & ſic dependet ab illa ieiunium tamquam effectus à ſua cauſa; ex quo clare conſtat, quod diſpẽſatus ad carnes edendas, de facto eſt etiam diſpenſatus ab ipſo ieiunio.

28 Tertia ſententia inter has duas extremas mediam viam tenet, affirmat enim, quod quãuis diſpenſatus ad edendas carnes, intelligatur etiam *diſpenſatus* in ieiunio, quando aliquis eſt diſpenſatus ad edendum carnes propter infirmitatem, vel debilitatem; tamen negat, quod diſpenſatus ad edendas carnes, ob damnum, quod recipit manducando piſces, quod tunc intelligatur diſpenſatus in ieiunio ex diſpẽſatione ad vſus carnium. Itaque ſuſtinet in dicto caſu teneri ad obſeruationem ieiunij, non obſtante diſpenſatione præſuppoſita ad edendas carnes. *Ita* Valentia 2.2. diſput. *9*. quæſt. 2. punct. 5. Leſſius de iuſtitia, & iure lib. 4. cap. 2. dub. 6. num. 45 Laiman. lib. 4. theol. mor. tract. *8*. cap. 3. n. 8. Reginal. lib. 4. cap. 14. n. 1*68*. Ortiz in ſum. cap. *19*. n. 20. Lud. Lopez. 1. par. *inſtruc.* Conſc. cap. 111. §. his tamen nõ obſtant. Viuald. 3. p. ca. 15. Gomez in bull. Cruc. clauſ. *7*. nu. 5. Cenedo in qu. Cano. qu. 40. n. *6*. Cordub. in ſum. q. *143*. Gordon. lib. *6*. theol. mor. q. *18*. c. *6*. verb. ſed in hac quęſt. Nald. verb. ieiun. n. *3*. Fernand. *3*. p. ſum. c. *9*. §. *5*. n. *3*. Victor. 2. 2. qu. 1*57*. art. 4. Rodriquez in bullam Cruciatę §. 6. num. 4. Ludouic. à Cruce in bullam Cruciatę diſp. 1. cap. *5*. dub. 11. num. 1. Corradus par. 1.

Reſponſ.

Digitized by Google

Reſponſ. caſuum conſcientiæ caſ.250.in addition. §.Corduba vero. Villalobos 1.parte ſummæ tract.23.difficult.8.num.8. Baſſæus verbo ieiunium 1.nu.4. Pater Magiſter Ioannes Baptiſta Lezana tom. 3. ſummæ verbo ieiunium nu.11. D. Carolus Latius in bull.Cruciat.diſput.3. quæſt.1.difficult.8.num.34.

29 Hæc ſententia quoad ſecūdā eius partem, in qua differt à ſecunda, & conuenit cum prima probatur. 1. à Patre Ludouico à Cruce dicto dub.11.numer.2. quia eſto abſtinentia à carnibus, & vnica comeſtio, ſint de ſubſtantia ieiunij Eccleſiaſtici, vt omnes fatentur, ſubſtantia tamen, & eſſentia ieiunij præcipuè conſiſtit in comeſtione vnica; atqui diſpenſatus in iterata comeſtione, non eſt diſpenſatus eo ipſo in eſu carnium: ergo à fortiori diſpenſatus in eſu carnium, non manet diſpenſatus in iterata comeſtione. Minor, & conſequentia, videntur certæ. Maior autem probatur, tum quia in lege veteri ieiunia vnicam requirebant comeſtionem ad Veſperum, non autem abſtinentiam à carnibus, vt teſtatur Caietan. 2.2. quæſt. 147. art.7.ad finem. Tum etiam, quia Concilia generalia nomen ieiunij tribuunt vnicæ comeſtioni, non abſtinentiæ à carnibus. Ita Concilium Aghatenſe cap. placuit de conſecrat. diſt. 3. ait: placuit etiam, vt omnes Eccleſiæ filij (exceptis Dominicis) in quadrageſima ieiunēt: ecce quando dicitur ieiunium diebus Dominicis ſolui, non ob diſpenſationem eſus carnis, ſed iteratæ comeſtionis. Conciliū etiam Moniacum canon. 4. Agens de ieunio quatuor temporum inquit; in menſe Iunio hebdomada ſecunda feria quarta, ſexta, & Sabatho, ab omnibus ieiunetur vſque ad horam nonam, & à carne ab omnibus abſtineatur. Ob quam cauſam Caietanus loco ſuperius citato vnicam comeſtionem, in ieiunijs, expreſſe appellat magis eſſentialem per hæc verba: non eſt autem eadem ratio de vnica comeſtione, & alijs conditionibus, quoniam ieiunium noui teſtamenti ex abſtinentia carnium, & vnica comeſtiune conſtat, tamquam ex ſubſtantialibus: ita quod vnica comeſtio eſt eſſentialior ieiunio, vtpotè à principio ieiunij inſtituta in veteri teſtamento, in quo vſque ad veſperam affligendum hominem ieiunio ſtatutum eſt; nullus tamen cibus veſpere prohibitus erat.

30 Secundo probat hanc ſentētiam dictus Pater à Cruce n. 3. quia is, cui Pontifex facultatem concedit edendi carnes diebus ieiunij, non frangit illud eas ſemel comedendo, imo vere ieiunat, meritumque ieiunij cōſequitur, vt notat Nauarrus conſil.6. de obſeruatione ieiunij; atqui id de diſpenſato in iterata comeſtione, non poteſt dici: ergo ſignum euidens eſt, quod cum eſu carnium poteſt ſtare obſeruatio ieiunij, imo & obligatio illud obſeruandi, quādo talis obſeruatio non eſt ſaluti nociua, vt in illo, qui habet diſpenſationem veſcendi carnibus in die ieiunij ob debilitatem naturæ, aut ob infirmitatē. Probatur minor, quia abſtinētia à carnibus non eſt de eſſentia ieiunij ſimpliciter, vt cōſtat ex ieiunio veteris legis iuxta rationem in antecedente probatione aſſignatam, ſed tantum eſt de eſſentia ieiunij eccleſia-

 ſtici

ſtici, in quo Pontifex diſpenſare valet; atqui vnica comeſtio non ſolum eſt de eſſentia ieiunij eccleſiaſtici, ſed etiam de eſſentia ieiunij ſimpliciter; atq; adeò diſpenſatus in ea, nec verè ieiunat, nec poteſt ieunij meritum conſequi: ergo &c.

31 Tertio eamdem ſententiam probat dictus Pater Ludouicus à Cruce num. 4. prædicti dub. 11. quia diſpenſatio eſt ſtricti iuris ſecundum omnes, & tradit Nauarr. lib. 4. conſil. 14. de ſponſalibus, & conſequenter non eſt extenda ad alium caſũ arg. cap. 1. de filijs pręsbyteror. lib. 6. §. illi vero. Et ratio eſt, quia quę exorbitant à iure cõmuni, non ſunt trahenda ad conſequentiam cap. ea quæ de Regul. iuris in 6. vnde diſpenſatio, vt quis promoueatur ad Archiepiſcopatum non extenditur ad Epiſcopatum cap. fin. de Translat. Epiſcop. Diſpenſatio etiam in voto iuramento corroborato, voti tantum mẽtione facta, non extenditur ad vtrumque; eſt enim odioſa, ac proinde ſtrictè interpretanda, vt rectè Sanchez lib. 8. de matrimon. diſp. 1. num. 24. ergo diſpenſatus in eſu carnium, non eſt eo ipſo diſpenſatus in iterata comeſtione, cum valde ſint diuerſa, & ſeparabilia; à diuerſis autem, ſeu ſeparatis non fit illatio. l. Papinianus ff. de minoribus.

32 Quarto probat. num. 5. quia ieiunium fuit ab eccleſia inſtitutum ad cohibenda peccata, & concupiſcentiam refrenandam, vt docent communiter Doctores; atqui iterata comeſtio maxime carnium excitat concupiſcentiam, vt conſtat; igitur dum alicui vnica ſufficit comeſtio, iterata non eſt concedenda in diebus ieiunij. Probatur conſequentia, quia, qui alicui in die ieiunij concedit, quod non eſt ſaluti corporis neceſſarium, eccleſiæ menti aduerſatur, & carni contra ſpiritum pugnanti fauet. Vndè Diuus Gregorius cap. denique diſt. 4. adhuc in vſu piſcium, incendium luxuriæ timet; dum ait; Piſcium eſus, ita Chriſtiano relinquitur, vt hoc ei infirmitatis ſolatium, non luxuriæ pariat incendium; qui à carne abſtinet, nequaquam belluarum, marinarum conuiuium præparet: ergo à fortiori id timendũ eſt in iterata carnium comeſtione.

33 Quinto probat. num. 6. quia diſpenſatio requirit iuſtã cauſam, & cauſæ cognitionem, maxime dum diſpenſans eſt Papa inferior gloſſa recepta in cap. requiſitis 1. quęſt. 7. cum notatis in cap. at ſi de Iud. & Innocent. in capit. dudum de elect. Vnde rectorem multitudinis ſi narratione pro ſola voluntate diſpenſantem, infidelẽ, ſeu imprudentem appellat Diu. Thom. 1. 2. quæſt. 97. artic. 4. & Sotus de iuſt. lib. 1. quæſt. 7. art. 3. Syluius verbo diſpenſatio n. 5. ait: diſpenſatum (ab eo qui non eſt Papa) ſine iuſta cauſa quoad Deum tutum non eſſe. Fortunius in l. Gallus ff. de lib. & poſthumis docet, diſpenſationem in lege humana ſine iuſta cauſa in foro interiori nullam eſſe; igitur diſpenſatus in eſu carnium non intelligitur diſpenſatus in iterata comeſtione, ſi vnica ei ſit ſatis. Probatur conſequentia ex cap. ieiunia de conſecrat. diſt. 5. vbi ſic habetur; ieiunia ſane legitima nõ ſunt ſoluenda niſi grandis aliqua neceſſitas fuerit.

Di-

4 Dicendum tamen eſt ex ſupradictis opinionibus ſecundã veriorem, & probabiliorem eſſe quam præter auctores pro illa citatos eam nouiſſimè defendit Pater Leander à ſanctiſſimo Sacramento part.3. tract. 5. de obſeruat.ieiunior.diſp.8.queſt. 32. & 33. quam aſſertionem prę ter rationes pro dicta ſententia ſupra allegatas, ſuadere etiam poteſt, ratione, quam inſinuat, Suarez tom. 2. de Religione lib.4.cap.27. num.25. quia maius, & dignius, ſemper trahit ad ſe minus dignum; atqui in eſſentia ieiunij, quę conſiſtit in abſtinentia à carnibus, & vnica comeſtione, abſtinentia à carnibus eſt quaſi fundamentum præcepti ieiunij; ergo ſublata abſtinentia à carnibus, auſertur tota obligatio ieiunij, quæ doctrina clarius conſtabit ex ſolutionibus argumentorum oppoſitarum ſententiarum.

5 Ad primum fundamentum primæ ſententiæ reſpondetur diſtinguendo maiorem, quoad primam eius partem, tunc quis ſeruare tenetur præceptum eo modo quo poteſt, nempe quoad partem, quando quoad totum non poteſt, ſi id non repugnet, & pręcepti materia ſit partibilis, itaut in quolibet modo ſaluetur ſubſtantia, & forma actus pręcepti concedo maiorem, ſi vero non ſaluetur ſubſtantia, & forma actus pręcepti, & materia præcepti non ſit partibilis, nego maiorem, quia tunc ſicut ceſſat, quoad ſubſtãtiam actus, qui pręcipitur, ceſſat etiam obligatio ad ipſum, cum autem totum id contingat in noſtro caſu ideo diſpenſatus ad edendas carnes, intelligitur abſolutus ab obligatione ieiunij, quia ſublata, & deſtructa eſſentia præcepti, neceſſario etiam tollitur, & deſtruitur totũ præceptũ: nam vt notant communiter Doctores forma rerum ſubſtantialium conſiſtit in indiuiſibili; & cum eſſentia pręcepti ieiunij pereat et deſtruatur per cibum carniũ, ſequitur neceſſario, quod etiam pereat, & deſtruatur totum ieiunium, ex eo quod abſtinentia à carnibus eſt de ipſius forma ſubſtantiali. Ad id autem quod in probatione cõſequentię dicti argumenti de debitore dicitur, reſpondetur concedendo, quod debitor teneatur ſoluere illam debiti partem, quam poteſt, quamuis quoad totum debitum non habeat poſſibilitatem ſoluendi, quia materia debiti eſt partibilis, & vna pars non repugnat cum alia; in qualibet enim parte ſeparata ſaluatur ſubſtantia, & forma debiti, vt patet, quod non contingit in caſu noſtro, vt ſupra probauimus.

36 Sed dices, ſi ſolutio aſſignata eſſet vera, ſequeretur quod diſpẽſatus in die ieiunii, quoad plures comeſtiones, cenſeretur etiam diſpenſatus, ad edendas carnes, cum ſit eadem ratio nã ablata, & deſtructa eſſentia ieiunij per plures refectiones tollitur etiam abſtinentia à carnibus, quæ erat de ipſius eſſentia; atqui hoc eſt falſum: ergo, & quod ablata abſtinentia à carnibus, auferatur obligatio ieiunij conſiſtens in vnica comeſtione.

37 Reſpondetur negando ſequelam. Primo quia abſtinentia à carnibus in diebus ab Eccleſia determinatis cadit ſub pręcepto negatiuo, quod eſt maius, & fortius pręceptum, quam illud de vnica comeſtione,

ne,quod cadit ſub præcepto affirmatiuo; ideoquè hoc ſublato per plures refectiones, non tollitur etiam illud, ſed potius è contra, cum iſtud de vnica comeſtione, ſeu refectione dependeat ab illo de abſtinentia à carnibus; vnica enim comeſtio eſt eſſentialis pars ieiunij, quatenus eſt coniuncta, cum abſtinentia à carnibus quare vnica comeſtio, quę pręcipitur ex vi pręcepti ieiunij, pręcipitur ſub illa forma abſtinẽtiæ à carnibus, & prout eſt illi coniuncta, obligat; qua ablata ceſſat tota obligatio pręcepti ieiunij, quod non obligat, niſi ſub tali forma. Secundo deſtructo effectu non neceſſario deſtruitur etiam cauſa, quia cauſa quoad ſuum eſſe non depen-det ab effectu, ſed potius e cõtra: ergo à pari in caſu noſtro ſoluto ieiunio per plures comeſtiones non ſoluitur etiam abſtinentia à carnibus, quę ſe habet, vt cauſa, in ordine ad ipſum ieiunium.

38 Ad ſecundum fundamẽtum eiuſdem ſententię reſpondetur, negando abſolutè antecedens: nam vt bene docet Don Marcus Vidal in ſua Arca vitali tractatu de ieiunio ſuperius citato Inquiſ.1. num. 41. edens carnes in diebus ieiunij ſine iuſta cauſa, & licentia, vnum tantum mortale peccatum cõmittit, cuius ratio eſt, tũ quia actio tam phyſicè, quam mortaliter eſt vna, tum etiam quia per talem actionem idem finis violatur; tum denique quia peccatur contra eamdem virtutẽ temperantię; & deinde, quia immediate, et directè tranſgreditur ſolum præceptum negatiuum, quia poſitiuum amplius non habet eſſe, neque exiſtit, ſed per tranſgreſſionẽ negatiui omnino ſoluitur, et deſtruitur: ex quo vnum tantum mortiferum peccatum committitur, licet grauius; includit enim, dupplicem materialem malitiã, non formalem, eo modo, quo contingit quãdo in eadem die concurrit duplex de ieiunio præceprum, vt v. g. eſt ieiuniũ; & quatuor temporum, & vigiliæ; tunc enim ſi violetur ieiunium, vnum tantum committitur peccatum mortale, quia peccata non diſtinguuntur formaliter per pręcepta, quando illa pręcepta pertinent ad eamdem virtutem, et ſunt eiuſdem rationis, at quę in ordine ad eumdem finem tendunt; nam eo ipſo, quod actus peccamínoſus ſit vnus, & idem in tranſgreſſione duplicis pręcepti ſequitur, quod peccata in eodem actu multiplicari non poſſunt, niſi etiam ſpecie multiplicẽtur, vt communiter docent Doctores.

39 Ad primum fundamentum tertię ſententię reſpondetur, diſtinguendo maiorem, quoad ſecundam eius partem, eſſentia ieiunij pręcipue conſiſtit in comeſtione vnica pręcisè, & abſolutè tantum nego maiorẽ, in comeſtione vnica, prout cadit ſub tali determinata forma, ſcilicet ſub abſtinentia à carnibus concedo maiorem. Et ad primam probationem eiuſdem maioris concedo, quod in lege veteri ieiunia vnicam requirebant comeſtionem ad veſperũ, non autem abſtinentiam à carnibus; ſed hoc parum contra nos refert, quia modo ieiuniũ eccleſiaſticum ex Eccleſię inſtitutione habet aliam formam, ſcilicet abſtinentiam ab eſu carnium, qua ſublata, corruit totũ ieiu-

Digitized by Google

ieiunium, vt ſupra probauimus. Ad ſecundam probationem dictæ maioris, reſpondeo negando quod Concilia generalia nomen ieiunij tribuant vnicæ comeſtioni, & non abſtinentię à carnibus, nec contrarium conuincit textum allegatum in dicta probatione ex capit. placuit 9. de conſecratione diſt. 3. nam ibi tantũ præcipitur, quod ieiunium in tota quadrageſima ſeruetur diebuſ Dominicis exceptis; & ſermo eſt de ieiunio ſecundum formam, ſecundum quam ſolebat ſeruari; ſic enim in text. dicitur: placuit, vt omnes Eccleſiæ filij, exceptis diebus Dominicis in quadrageſima, etiam die Sabathi Sacerdotali oratione, & diſcretionis communione ieiunent. Quare conceſſa minori neganda eſt conſequentia; cuius diſparitatis rationem aſſignat Pat. Franciſcus Bardi vbi ſupra num. 78. quare ſcilicet diſpenſatus in eſu carnium, intelligatur diſpenſatus ad plures comeſtiones, & conſequenter in ieiunio, diſpẽſatus autem ad plures comeſtiones, non intelligatur diſpẽſatus ad edendas carnes. Inquit enim Doctus Pater, quod comeſtiones carnium poteſt prohiberi ab eccleſia, & de facto prohibetur, tum directe, tum indirecte, ſeu immediate, & mediate: tunc enim prohibetur directe, & immediatè quãdo prohibetur per ſe independenter à ieiunio pręſcriptis diebus, vt ferijs ſextis, & Sabatho totius Anni, in quibus eccleſiaſtico præcepto prohibetur eſus carnium, non autem prohibẽtur plures comeſtiones aliorũ ciborum in dictis diebus; tunc autem prohibetur indirecte, quatenus concurrit cum alia comparte ſcilicet, cum abſtinentia à pluribus refectionibus ad conſtituendum ieiunium; & ideo licet abſtientia à carnibus vt pars eſſentialis conſtitutiua ieiunij deſinat deficiente abſtinentia à ſecunda comeſtione, & ceſſet in quantum eſt materia legis præcipientis ieiunium: nihilominus nõ ceſſat, in quantum primo, & per ſe eſt materia alterius præcepti videlicet de non edendis carnibus. Huc vſque Eruditus Pater Bardi.

40 Hæc autem ſolutio, & doctrina nõ placet Doctori Don Carolo Lario loco ſuperius citato quare num. 36. eam ſic impugnat nõ audens dicere, quod ipſemet Pater Bardi, in dicta ſua reſponſione deludi videatur. Quod ſuadere intendit ſic. Quia niſi ab eccleſia expreſſe, ac per diſtinctum pręceptum prohiberentur carnes diebus ieiunij, ſane ex vi ſolius pręcepti de ieiunio, neque explicite neque implicite prohiberentur carnes diebus ieiunij, & quidem non explicitè, vt ipſemet Bardi fatetur: neque implicite, nam lex omnis oneroſa, cum ſit ſtrictè ſumenda, niſi quid aliud expreſſe addat, non habet pro obiecto, niſi ſolam, ac nudam eſſentiam impoſiti oneris, & ſic pręceptum de ieiunio non importaſſet tunc, niſi vnicam comeſtionẽ; quod patet, nam ieiunium vt ſic, de ſe, & ex natura ſua, non dicit niſi vnicam comeſtionem, nam vt teſtatur Caietanus, & alij Doctores ieiunium veteris legis erat verum ieiunium, & tamen conſiſtebat tantum in vnica comeſtione ad veſperam: ergo &c. atque adeo nunc ſolum explicitè, ſeu dicere prohi-

hibentur carnes diebus ieiunij, & ſic nequit Barbi confugere ad prohibitionem carnium implicitam, ſeu indirectam. Hæc Latius.

41 Verum enim vero Doctor Don Carolus Latius minimè penetrauit reſpõſionem ſupra datam ab erudito Patre Franciſco Bardi ipſe enim non dicit, quod præceptum poſitiuum ieiunij eccleſiaſtici non includat preceptum negatiuum, abſtinentię à carnibus, cum dictũ præceptum de vnica comeſtione obliget prout cadit ſub illa ſpeciali forma abſtinẽtię à carnibus, à qua dependet tamquã à cauſa, ſolum enim dicit, quod vnica comeſtio non pręcipitur ſeorſim ab abſtinentia carniũ, ſed ſimul cum ipſa, & per idem pręceptum de ieiuuio, taliter quod immediate, & explicitè ex vi talis præcepti de ieiunio præcipiatur vnica comeſtio; indirectè tamen, & mediatè abſtinentia à carnibus, ſine qua ieiunium Eccleſiaſticum, quod modo datur, eſſentialiter exiſtere non poteſt; cum ieiuniũ eccleſiaſticum duo includat, alterum tamquam materiam nimirum vnicam comeſtionem, alterum vero tamquam formã, nempe abſtinentiam à carnibus quod totum peęcipitur vnico pręcepto, quo directè, & immediatè pręcipitur vnica comeſtio, & mediate, & indirectè abſtinentia carnium; cum quo tamen bene ſtare poteſt, quod Eccleſia poſſit pręcipere directe, & immediate abſtinentiam à carnibus, & ſine eo quod nec immediatè, & directe, nec mediate, & indirectè pręcipiat vnicam comeſtionem: imo cõpatiatur pręceptum immediatum abſtinendi à caanibus, cũ pluribus comeſtionibus, ſeu refectionibus, vt praxis ipſa docet; quando pręcipitur dicta abſtinentia à carnibus per ſe independenter à ieiunio, vt habetur in ſacris canonibus; ideoque in pręcepto ieiunij eccleſiaſtici vnica comeſtio, & abſtinentia à carnibus, ſe habent tãquam ſuperius, & inferius; vnica enim comeſtio in die ieiunij dependet eſſentialiter tamquã à forma ab abſtinentia carniũ; abſtinentia autem à carnibus non dependet eſſentialiter ab vnica comeſtione; cum optimè poſſit ſaluari pręceptum negatiuum abſtinentię à carnibus, cum pluribus comeſtionibus, ſeu refectionibus; vt patet in adoleſcentulis qui ante annum 21. non tenentur ad ieiunium eccleſiaſticum obſeruandũ ſub mortali, & tamen tenentur obſeruare abſtinẽtiam à carnibus in diebus ieiunij; & ideò diſpẽſatus ad plures comeſtiones, non eſt diſpenſatus ad carnes, quia remanet diſtinctum pręceptum pohibens per ſe directè, & immediatè ẽſus carniũ, quod obligat etiam eos, qui non ſunt capaces obligationis ieiunandi: ergo recte Doctus Pater Franciſcus Bardi diſtinguit de prohibitione eſus carnium per ſe directa, & immediata, et de prohibitione mediata, et indirecta; & ſic nõ eſt confugere ad prohibitionem carnium implicitam, & indirectam, vt male iudicat D. Carolus Latius; ſed potius ſupponere doctrinam veram, & luce clariorem. Neque id, quod in ſui fauorem adducit dictus D. Carolus Latius, alicuius eſt roboris ad impugnandam veram Doctrinam Patris Frãciſci Bardi, nam falsò ſupponit, quod

nisi

Digitized by Google

niſi ab Eccleſia expreſſe, & explicite, ac per diſtinctum præceptum prohiberentur carnes diebus ieiunij ſane ex vi ſolius præcepti de ieiunio, neque explicite, neque implicitè prohiberentur carnes diebus ieiunij; nam licet lex omnis oneroſa ſit ſtrictè ſumenda, & niſi expreſſè exprimat onus, non habet pro obiecto, niſi nudam eſſentiam impoſiti oneris: falſum aſſerit; quod Eccleſia in præcepto de ieiunio præcipiat tantum vnicam nudam comeſtionem, Eccleſia enim præcipit in die ieunij vnicam comeſtionem, ſub tali determinata forma nempe ſub abſtinētia à carnibus, quæ eſt forma eſſentialiter conſtituens eſſentiam ieiunij, à quà ſeparari non poteſt; in quo ſenſu aſſerit Pater Franciſcus Bardi; quod præceptum de ieiunio præcipit duo, aliud directe, & immediate, nempe vnicam comeſtionem, & aliud mediate, & implicitè, ſeu indirectè, nempe abſtinentiam à carnibus; quæ duo licet non mutuè ſeparari poſſint, cum poſſit dari abſtinentia à carnibus abſque ieiunio non tamen mutuò ſunt ſeparabilia, cum non poſſit eſſe, neque exiſtere ieiunium eccleſiaſticum, quod modo datur, & ab Eccleſia præcipitur abſq; abſtinentia à carnibus, quia nulla eſſentia alicuius rei poteſt exiſtere abſque ſua forma conſtitutiua, & cum abſtinentia à carnibus ſit forma conſtitutiua eſſentiæ ieiunij Eccleſiaſtici, non pōt abſq; illa perſiſtere, et licet ieiunium, vt ſic poſſit ſaluari, in vnica comeſtione ſub tali, vel tali determinata forma, vt in ieiunio veteris legis, quod conſiſtebat in vnica comeſtione poſt Veſperam ſine delectu ciborum; attamen ieiunium eccleſiaſticum, quod modo datur, & ab Eccleſia præcipitur, habet pro forma abſtinentiam à carnibus, qua ſublata, corruit totum ieiuniū. Quare falsò docet Don Carolus Latius dicta difficult. 8. num. 39 quod abſtinentia à carnibus, non eſt de eſſentia ieiunij Eccleſiaſtici, ſed mera perfectio accidentalis illi ſuperaddita, vt effugiat vim, & efficaciam argumentorum noſtræ ſententiæ.

42 Ad ſecundum fundamentum eiuſdem ſententiæ reſpondetur negando maiorem: nam eo ipſo quod ſummus Pontifex cū aliquo diſpenſet ad edendas casnes in diebus ieiunij, eo ipſo iſte talis intelligitur diſpenſatus in ieiunio; quia per talem diſpenſationem abſtinentiæ à carnibus aufertur forma, ſeu ratio eſſentialis conſtituens ieiunium Eccleſiaſticum in eſſe ieunij, & conſequenter obligatio ſeruandi ieiunium, ideoque falſum eſt aſſerere, quod qui carnibus veſcitur in diebus ieiunij ob talem diſpenſationem, verè ieiunet, aut habeat meritum ieiunij, formaliter, & eſſentialiter loquendo, licet habeat meritum ſimplicis abſtinentiæ, ſi vtendo carnibus in die ieiunij, vnicam tantum comeſtionem faciat; quod manifeſte patet: nam meritū ieiunij Eccleſiaſtici fūdatur in eſſentia, & ratione eſſentiali ipſius ieiunij; atqui ſublata abſtinentia à carnibus aufertur eſsētia ieiunij eccleſiaſtici abſolute, & ſimpliciter, vt ſupra probauimus: ergo cōſequēter aufertur meritū ieiunij Eccleſiaſtici propriè, & eſſentialiter loquendo, quamuis habeat meritum ſimplicis abſtinentiæ ſeruando formam

ieiunij in vnica tantum comeſtione diurna. Quare conceſſa minori, neganda eſt conſequẽtia: nam ratio, ob quam minor eſt vera ſcilicet, quod diſpenſatus ad plures comeſtiones vere non ieiunet, nec meritum ieiunij habeat, non eſt illa, quam aſſignat argumentũ, nempe quod abſtinentia à carnibus non ſit de eſſentia ieiunij Eccleſiaſtici, quod modo datur, & ab Eccleſia præcipitur, quod ſpecie diſtinguitur à ieiunio veteris legis; ſed alia valdè diuerſa, quam ſupra inſinuauimus, ſcilicet, quod diſpenſatus ad plures comeſtiones non cenſetur diſpenſatus ad carnes, quia remanet diſtinctum præceptum negatiuum de non comedendis carnibus, quod obligat etiam eos, qui non ſunt capaces obligationis ieiunandi. Et ideo licet abſtinentia à carnibus, non ſit de eſſentia ieiunii prout abſtrahit à ieiunio veteris, & nouæ legis, non tamen ſequitur, quod tantum vnica comeſtio in die ieiunij, ſit de eſſentia ieiunij, vt ſic prout abſtrahit ab vtroque ſupradicto ieiunio. Vnica enim comeſtio eſt materia quaſi generica reſpectu ieiunij vt ſic, quæ prout contrahitur, & cadit ſub forma abſtinentię à carnibus, conſtituit eſſentialiter ieiuniũ Eccleſiaſticum, quod modo datur, quamuis contracta; per aliam formam, conſtituerit ieiunium veteris legis, ex quo nõ ſequitur, quod abſtinentia à carnibus, nõ ſit forma eſſentialiter conſtituens ieiunium Eccleſiaſticum, quod modo datur, vt ex ſe notum eſt. Nam pręceptum ieiunij Eccleſiaſtici, eſt vnicum tãtum, pręcipiens actum virtutis abſtinẽtię cũ tali forma.

43 Sed dices, ergo diſpenſatus à Pontifice in ieiunio cenſetur diſpenſatus ad edendas carnes. Reſpondeo negando conſequentiam, quia præceptum de non comedendis carnibus, non pertinet ad pręceptum de ieiunio, ſed eſt diſtinctum ab ipſo, nam eſt vniuerſalius, & pręceptum negatiuum. Præceptum autem ieiunij etiam vt includit abſtinentiam à carnibus eſt poſitiuum, quia præcipit talem abſtinentiam, tamquam actum virtutis, ſub tali determinata forma, & ideo licet diſpenſatus ad carnes, intelligatur diſpenſatus in ieiunio, quia ieiunium includit eſſentialiter abſtinentiam à carnibus, non tamen valet è contra, diſpenſatus in ieiunio, eſt diſpenſatus ad edẽdas carnes, quia præceptum negatiuum de non comedendis carnibus, non includit eſſentialiter vnicam tantum comeſtionem, ſicut ieiunium, & eſt pręceptum ſeoarabile à pręcepto ieiunij, vt ſupra diximus.

44 Ad tertium argumentũ reſpõdetur, quod diſpenſatio quo ad carnes non eſt propriè priuilegium, quia priuilegium tunc habet locũ quãdo lex alioquin obligat, cum autẽ in caſu noſro lex non obliget, ideò diſpẽſatio eſt declaratio, quod lex nõ obliget. Deinde quia licet eſſet priuilegiũ, & ſtrictè interpretaretur, & reſtringeretur, adhuc nõ remaneret obligatio ad vnicam tantũ comeſtionẽ, ſeu refectionẽ, quia adhuc per ipsũ tolleretur forma ieiunij eccleſiaſtici, & ideo nõ poſſet ſubſiſtere obligatio ad ipsũ. Quare neganda eſt conſequentia, & ad probationem ibi incluſam, reſpõdeo, quod licet pręceptum de abſtinentia à carnibus ſit ſeparabile ab

ab vnica comeſtione, non autem vnica comeſtio in ieiunio eſt ſeparabilis ab aſtinentia à carnibus; & ideò non ſit illatio noſtra à diuerſis, ſeu ſeparatis, cum ieiunium non poſſit ſeparari ab abſtinentia à carnibus, licet abſtinentia à carnibus ſit ſeparabilis, & actu ſeparatur à ieiunio vt ſupra diximus.

45 Ad quartum conceſſa maiori, & minori neganda eſt conſequentia, quia quando alicui cõceditur eſus carnium in diebus ieiunij, licet ei concedatur iterata comeſtio, non illi conceditur, quia ſit neceſſaria, ita ut teneatur neceſſario iteratam comeſtionem facere, ſed quia tollitur obligatio ieiunandi, vnde per talem diſpenſationẽ veſcendi carnibus in die ieiunij, res reducitur ad illum ſtatum, in quo non adeſt præceptum de ieiunio, & tantũ abeſt, quod hoc ſit contra intentionem Eccleſiæ, quod potius ſit ſecundum ipſam, nam cum præcipiat ieiunium, cum tali forma, ſcilicet cum abſtinentia à carnibus, intendit quod non ſeruetur, aut debeat ſeruari; quando non poteſt fieri cum tali forma, hoc enim eſt ſecundum rerum naturas; atq; adeò ſecundum prudentem intentionem, quæ debet conformari naturis rerum, vt deſtructa forma, ceſſet res. Si autem voluiſſet Eccleſia, quod ſeruaretur ieiunium cum carnium comeſtione, & vnica refectione, neceſſe erat, quod preciperet ieiunium cum duplici forma: itaut quando vnum locum non haberet, ſuccederet alterum, quod tamen non facit, neque apparet præceptum de ieiunio cum carnibus; & ita quando dicitur, quod ieiunium eſt inſtitutũ ab Eccleſia ad cohibenda peccata, & concupiſcentiam refrenandam, intelligitur ieiunium ab Eccleſia eſſe inſtitutum cum tali forma; quare quando locum non habet forma, ceſſat intentio Eccleſię cohibendi concupiſcentias.

46 Ad quintum reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Licet enim diſpenſatio quando conceditur ab aliquo Papa inferiori, non debeat concedi ſine cauſa legitima, non tamen ſequitur, quod diſpenſatus ad carnes, non ſit diſpenſatus ad plures comeſtiones, etiam ſi eis non indigeat, hoc enim ſolum ſequeretur, quando diſpenſatio ad plures comeſtiones eſſet diuerſa à diſpenſatione ad edendas carnes, cum vero ſit vna, & eadem, quia per talem diſpenſationem diſpenſatur in actu ſubſtantiali ieiunij. Ideo diſpenſatus ad edendas carnes, intelligitur diſpenſatus in iterata comeſtione, etiam ſi ei vnica ſufficiat. Et ſicut plures extra ieiunium ſecunda refectione nõ indigent, & tamen poſſunt eam ſumere, ita etiam diſpenſatione facta quoad carnes, poſſunt diſpenſari ſuper ſecunda refectione, etiam ſi ea non indigeant, quia non adeſt amplius de vnica comeſtione obligatio, cum præceptum ieiunij ſit ſublatum per diſpenſationem ad edendas carues, vt ſupra probatum eſt; ex eo quod ſublata abſtinentia à carnibus tollitur forma eſſentialiter conſtitutiua ieiunij.

RESOLVTIO TERTIA.

Vtrum diſpenſatus ad edendas carnes in diebus ieiunij, teneatur ieiunare in illa die in qua ex ſua libera electione vult ſe abſtinere à carnibus?

47 IN duplici ſenſu poteſt intelligi difficultas huius reſolutionis. Primo an qui intuitu infirmitatis, aut debilitatis, carnibus veſcitur, teneatur ieiunare his diebus, quibus libito ſuo non vult comedere carnes? Secundo an ſaltem qui non intuitu infirmitatis præſentis, ſed ob præſeruationem futuræ, carnes ex diſpenſatione comedit, teneatur ieiunare (ſi alias habeat vires) illis diebus, quibus non vult carnibus veſci? Quoad primam partem difficultatis, ſeu primum ſenſum illius, omnes Auctores, qui in reſolutione præcedenti affirmarunt abſolute, & abſq; aliqua limitatione, quod diſpenſatus ad carnes edendas in diebus ieiunij tenetur ieiunium ſeruare conſequenter tenetur dicere in hac difficultate, quod qui diſpenſatus ad edendas carnes in die ieiunij, pro ſuo libito à carnibus abſtinetur in illis diebus tenetur ieiunium ſeruare, niſi infirmitas ſit actualis, aut tanta debilitas ſubiecti, vt illi non ſufficiat vnica comeſtio.

48 Auctores vero relati pro tertia ſententia in reſolutione præcedenti, licet conſentiant, quod diſpenſatus ad edendas carnes in diebus ieiunii ratione infirmitatis, aut debilitatis, nõ teneatur ad obſeruationem ieiunij, & conſequenter quod ſi in aliquibus diebus à carnibus ſe abſtineat pro ſua volũtate, non teneatur ad obſeruationem ieiunij, nihilominus conſequenter affirmare tenentur, quod diſpenſatus ad vſus carnium non ratione infirmitatis, aut debilitatis, ſed ob præſeruationem futuræ infirmitatis, ſi aliàs habeat vires tenetur ab obſeruationem ieiunij.

49 Ex Auctoribus autem relatis pro ſecunda ſententia dictæ præcedentis Reſolutionis, qui affirmarunt; quod diſpenſatus ad vſus carnium, intelligitur diſpenſatus abſolutè in lege ieiunij; aliqui ex illis affirmant, quod diſpenſatus ad eſus carnium, ſiue ratione infirmitatis, aut debilitatis ſiue ob præſeruationem tantum futuræ infirmitatis, ſi in aliquibus diebus ieiunij, pro ſuo libito mãducet piſces, aut oua, & lacticinia, non tenetur ad obſeruationem ieiunij. Primam partem huius ſententiæ tenent Pater Thoma Sanchez lib. 5. conſil. cap. 1. dub 30. num. 3. Trullench. lib. 3. in Decalog. cap. 2. dub. 2. num. 7. Megal. tom. 2. Reſolut. variar. reſolut. 153. numer. 5. Carolus Zambran. auctor caſuum conſciẽtiæ Bononienſis Anno Domini 1637. caſ. 2. menſe Ianuar. Ad primum quæſitum. Pat. Zacharias Paſqualig. in *praxi de* ieiunio deciſ. 268. Pater Franciſcus Bardi in explicat. bullæ Cruciatæ part. 2. tract. 3 cap. 1. ſect. 7. concl. 1. num. 96. Diana part. 4. tract. 4. reſolut. 189. & part. 10. tract. 13. reſol. 43. §. notandum eſt hic. Carolus Bauſius de Miſcell. caſuum conſc. tom. 2. opuſc. 1. quæſt. 98. Pater Leander à ſanctiſſimo Sacram. part. 3. tract. 5. de obſeruatione ieiuniorum diſp. 8. quæſt. 34. D. Marcus Vidal in Arca vitali tract. de ieiun. Inquiſit. 1. n. 42.

Cuius

Digitized by Google

Cuius rationem reddunt, quia in infirmo, aut debilis ſalutis ratione infirmitatis, aut debilitatis exiſtit cauſa ſufficiens, excuſans ipſum ab obligatione ieiunij: ergo etiam ſi à carnibus ſe abſtineat in aliquibus ieiunij diebus, in quibus carnes edere poteſt, non tenebitur ad ieiunium. Antecedens eſt manifeſtum, nam multoties ratione debilitatis, ex Conſilio Medicorum, multi excuſantur à lege ieiunij, etiam ſi non diſpenſentur ad edendas carnes, vt ipſamet experientia docet. Cõſequentia vero probatur, nam diſpenſatus quoad rem ſuperiorem, intelligitur diſpenſatus quoad inferiorem in eodem genere maxime quando hæc inferior quoad ſubſiſtentiam ſui eſſe dependet à ſuperiori; atqui obſeruatio ieiunij Eccleſiaſtici per vnicam comeſtionem, eſt, quid inferior obligationi abſtinendi à carnibus in die ieiunij, & eſſentialiter dependet quoad ſui exiſtentiam ab ipſa abſtinentia à carnibus cum ſit forma eſſentialiter cõſtituens eſſentiam ieiunij: ergo diſpenſatus ad edendas carnes in diebus ieiunij ratione infirmitatis, aut debilitatis, ſi ab eſu carnium in aliquibus ieiunij diebus pro ſua deuotione, aut libera voluntate ſe abſtineat, manebit liber ab obligatione præcepti ieiunij dictis diebus.

50 Secundam autem partem dictæ ſententiæ ſubſtinent. Auctor caſuum conſcientiæ loco ſuperius citato verſu reſpõdeo ſecundo per hæc verba: obtẽta legitima diſpenſatione ad carnes edendas, non videri obligatum ad ieiunium, ijs diebus, quibus diſpenſatus, ex ſua deuotione abſtinet ab eſu carnium; etiam ſi alioquin habeat manifeſtas vires, & ſanitatem ad ieiunandum. Pater Zacharias Paſqualigus loco ſuperius citato num. 3. Don Marcus Vidal vbi ſupra dicto num. 42. in fine. Pater Leander à ſanctiſſimo Sacramento dict. tractat. 5. diſp. 8. quæſt. 35.

51 Probatur primo hæc ſentẽtia quoad dictam ſecundã partem à Patre Zacharia Paſqualigo dict. num. 3. quia diſpenſatio ad edendas carnes, ſi ſit abſoluta, & pro ſingulis diebus, tollit obligationem, non ſolum abſtinendi à carnibus, ſed etiam abſtinendi à pluribus refectionibus: ergo diſpenſatus abſolute ad edendas carnes, ſi ob ſui deuotionem, aut liberam voluntatem ſe abſtineat ab eſu carnium, non erit obligatus ad obſeruationem ieiunij, etiam ſi vires ad ieiunandum habeat. Antecedens videtur certum: nam diſpenſatio ad eſum carnium, tollit formam eſſentialẽ conſtitutiuam ieiunij in eſſe talis, cum non poſſit extare præceptum ieiunij abſque abſtinentia à carnibus. Conſequentia verò probatur. nam diſpẽſatus abſolutè ad carnes comedendas, ſi aliquo die non vult illas comedere, non habet à quo illi ponatur obligatio ſeruandi præceptum ieiunij, cum talis obligatio ſublata ſit per diſpenſationem abſolutam, veſcendi carnibus, quæ eo ipſo, quod abſoluta ſit, & non cõditionata ſi nimirum vtatur carnibus, non reuiuiſcit, ex eo quod non vtatur; neque obſtat quod ieiunium poſſet habere locum, eo ipſo, quod prædictus diſpenſatus ad comedendas carnes, quando dicta diſpenſatione non vtitur, habet

vires

vires ad ieiunandum; quia hoc non ſufficit, vt quis teneatur ieiunare, alioquin ſemper teneretur quando non comedit carnes, ſed inſuper requiritur obligatio.

52 Etſi illi reſpondeas cum Sāchez talē teneri ad obſeruationem ieiunij in illis diebus, in quibus pro ſua deuotione, aut libertate abſtinetur ab eſu carnium, quia ſufficienter reficitur in prandio cum piſcibus; ideoque poſtea teneri ad ieiunium. Contra arguit Paſqualigus, quia ſicut extra dies ieiunij, ſufficienter refectus cum piſcibus in prandio, non tenetur ieiunare, quia non adeſt obligatio ad ieiunium, quę nō conſurgit ex hac ſufficienti refectione, ita neque in diſpenſato conſurget in diebus ieiunij, ex hac ſufficienti refectione, quia talis refectio non eſt potēs ad eam inducendam, etſi non adeſt ex hoc capite, ex nullo aderit, quia obligatio pręcepti iam ſublata eſt per diſpēſationem.

53 Secundo eamdem partem probat idem Paſqualigus nu. 5. dictę deciſionis, quia quando aliqua liberè fiunt, & abſque obligatione, quę alias erant de neceſſitate, & obligatione poſſunt inuicem ſeparari, & vnum fieri ſine alio; quia ex eo quod circa ipſa adeſt libertas, poteſt eligi vnum ſine alio. Sic quādo primo quis confitetur mortalia, tenetur ſingula confiteri, ſi autem denuo illa confiteatur, poteſt vnum ſine alio cōfiteri, quia ſunt facta materia voluntaria ergo cum diſpenſatus nō habeat obligationem ieiunādi, ſed ei liberum ſit ieiunare, & nō ieiunare, poterit eligere vnum ex ijs, quibus ieiunium cōſtat, nempe abſtinētiam à carnibus; & non eligere alterum, nempe vnicam comeſtionem. Ex quibus colligit Paſqualigus nu. 6. quod diſpenſatus ad carnes, etiam ſi in prandio, vſus ſit piſcibus, poterit in Cęna, vti carnibus, quia abſtinentia à carnibus eſt ipſi omnino voluntaria, & quia poteſt vti diſpenſatione ad libitum, & eo modo quo voluerit, nam diſpenſatio non cogit diſpenſatum, vt illa vtatur, & ſi eſt diuiſibilis, poteſt illa vti quoad vnam partem, & non quoad aliam, quia ſtatim, ac eſt facta, remanet ſub eius poteſtate. Quod etiam habet locum (inquit Paſqualigus) etiamſi habuerit propoſitū nō comedendi, imo etiam ieiunādi, quia tale propoſitum eſt ipſi liberum, & ideo poteſt mutari. Eiſdem fundamentis dictum partem huius ſententię probat Pater Leander à ſanctiſſimo Sacramento dict. quæſt. 35.

54 Dicendum eſt. Primo diſpēſatus abſolutè ad edendas carnes in diebus ieiunij ratione infirmitatis, aut debilitatis, ſi aliquibus diebus, vel ratione deuotionis, vel ob ſuam liberam voluntatem ab eſu carniū ſe abſtineat, non tenetur dictis diebus ieiunare, ſed poteſt libere plures ſumere refectiones, ſeu comeſtiones facere. Hæc concluſio patet ex dictis pro prima parte pręcedentis ſententię, & poteſt iterum ſic ſuaderi; quia adęquatum obiectum dictæ diſpenſationis eſt; & bonum nutrimētum ex qualitate ciborum, & recuperatio virium corporalium: ergo diſpenſatus ad comedendas carnes ob infirmitatem, aut ob virium debilitatem ex infirmitate præſenti, vel præterita proue-

uenientem, ſi in aliquibus ieiunij diebus non vtatur diſpenſatione eſus carnium, ſed comedat piſces, aut oua, & lacticinia non erit obligatus ad obſeruationem ieiunij in dictis diebus, ſed poterit libere pluries comedere, ſiue piſces, ſiue carnes. Antecedens eſt certum & conſequentia probatur, nam quando diſpenſatus ad eſum carnium ratione infirmitatis, aut debilitatis, noluerit, vti diſpenſatione quoad primum ipſi integrum relinqui videtur vti illa quoad ſecundum, nempe quoad non ieiunandum, quia in tali caſu remanet cauſa, ob quam diſpenſatio fuit conceſſa, nempe virium recuperatio: ergo hæc eſt ſufficiens, vt prædictus ad ieiunium non teneatur; etiam ſi in dictis diebus, non vtatur carnibus ob ſui deuotionem, aut liberam voluntatē.

55 Dicendum eſt 2. diſpenſatus ad comedendas carnes in diebus ieiunij nō intuitu infirmitatis pręſentis, aut debilitatis ortæ ex infirmitate pręſenti, aut præterita, ſed ſolum ob preſeruationem futurę infirmitatis; quam timere poteſt probabiliter, ſi carnibus non vtatur, etiamſi diſpenſatio illi facta, ſit abſoluta, pro omnibus ieiunij diebus, ſi pro ſua libertate, aut ratione deuotionis in aliquibus ex illis non vtatur diſpenſatione veſcēdi carnibus, tenebitur ſub mortali ad obſeruandum præceptum ieiunij eccleſiaſtici in talibus diebus. Hanc cōcluſionem tam certam iudico, vt oppoſitam non iudicem tutam in praxi. ita defendunt grauiſſimi Doctores Thoma Sanchez tom. 2. conſil. moral. lib. 5. dub. 30. num. 2. Trullench. lib. 3. in Decalog. cap. 2. dub. 2. num. 7. Pater Antoninus Diana part 4. tract. 4. reſolut. 189. & part. 10. tractat. 13. reſolut. 43. §. notandū eſt hic obiter. in fine. Carolus Bauſius de miſcell. caſuum conſcientiæ tom. 2. opuſcul. 1. queſt. 98. Eruditus Pater Franciſcus Bardi in explicat. Bullæ Cruciatę part. 2. tract. 3. cap. 1. ſect. 7. num. 97.

56 Probatur hęc noſtra cōcluſio vnico, ſed validiſſimo fūdamento. Nam ideo diſpenſatus abſolute ad edendas carnes in diebus ieunij ratione vitandi futuram infirmitatē, quę ſumptione ciborum alterius qualitatis à carnibus poteſt ei euenire non tenetur ad ſeruādum pręceptum ieiunij, in quantum virtute dictę diſpenſationis, ponit aliquid eſſentialiter incompatibile cum eſſentia ipſius ieiunij, nempe comeſtionem carnium; atqui pręedicto motiuo diſpenſatus ad eſum carnium in pręedictis diebus, quando actu non vtitur pręedicta diſpēſatione in aliquibus ex illis, ſed comedit piſces, aut oua, & lacticinia, non ponit aliquid eſſentialiter incompatibile cum eſſentia ipſius ieiunij, ſed potius compatibile: ergo nulla in ipſo reperitur tunc cauſa excuſans illum ab obſeruatione ieiunij. Maior huius diſcurſus conſtat ex dictis reſol. pręcedent. nam ideo diſpenſatus ad eſum carnium, quando tali diſpenſatione vtitur in diebus ieiunij Eccleſiaſtici, non tenetur ad obſeruationem ieiunij, quia abſtinentia à carnibus eſt forma eſſentialiter conſtituens eſſentiā ieiunij ſimul cum vnica comeſtione diurna, qua forma ſublata, aufertur, & exiſtere non valet eſſentia ieiunij. Minor autem ex ſe eſt manifeſta, nā eſus

piſcium

Digitized by Google

piſcium, ouorum,& lacticiniorum, non opponuntur eſſentię ieiunij eccleſiaſtici, vt omnes fatentur, & ita diſpenſatus ad edenda oua, & lacticinia in diebus quadrageſimalibus tenebitur ad obſeruationem ieiunij. Conſequentia vero probatur, quia quotieſcumque aliquis habet ſufficientęs vires ad obſeruandum ieiunium eccleſiaſticum, in diebus præceptis ab Eccleſia, & non ponit aliquid incompoſſibile cum eſſentia ieiunij, etiam ſi ex diſpenſatione legitima, illud ponere valeat, toties tenetur ad obſeruationem præcepti de ieiunio; atqui qui in diebus ieiunij comedit piſces, aut oua, & lacticinia, & habet vires ad ieiunandum abſque incommodo propriæ ſalutis, licet habeat facultatem veſcendi carnibus ratione diſpenſationis, dum illis non veſcitur, non ponit aliquid eſſentialiter incompatibile cum eſſentia ieiunij Eccleſiaſtici: ergo in dicto caſu ieiunium obſeruare tenetur.

57 Nec valet, ſi dicas, quod diſpenſatio in ieiunio eſt acceſſoria ad diſpenſationem carniū: ergo ille, qui eſt diſpenſatus ad edendas carnes, & eſt in ſua libertate eas comedere, vel non comedere, erit conſequēter in eius libertate ieiunare, vel non ieiunare. Hoc inquam nō valet: nam vt recte docet Pater Frāciſcus Bardi vbi ſupra num. *99.* diſpenſatio in ieiunio non eſt directe intenta per ſe, ſed ſolū indirectè, & per accidens in quantum ſcilicet carnium comeſtionem inuoluit, quę eſt incompoſſibilis cum ieiunio. Quare licet ſit in poteſtate illius, qui diſpenſationem habeat ad edendas carnes in die ieiunij, ieiunare, vel non ieiunare ex ſuppoſitione, quod in die ieiunij ratione dictæ diſpēſationis carnibus vtatur, non tamen eſt in ſua libera poteſtate ieiunare, vel non ieiunare abſolutè; quia intantum eſt, in ſua poteſtate ieiunare vel non ieiunare, in quantum eſt in ſua poteſtate, ponere aliquid eſſentialiter incompoſſibile cum eſſentia ieiunij: ergo dum illud incompoſſibile non ponit actu, non erit in ſua poteſtate abſolutè loquēdo ieiunare, vel non ieiunare in illis diebus in quibus à carnibus abſtinetur pro ſua libera voluntate.

58 Ad primum fundamentum oppoſitę ſententię pro ſecunda eius parte, in qua cum *noſtra* ſecunda concluſione opponitur reſpondetur diſtinguendo antecedens. Diſpenſatio ad edendas carnes, ſi abſoluta ſit non ſolum tollit obligationem abſtinendi à carnibus, ſed etiam abſtinendi à pluribus comeſtionibus. A pluribus comeſtionibus abſolute nego antecedens. à pluribus comeſtionibus conditionate, & ex ſuppoſitione, quod actu in diebus ieiunij carnibus vtatur concedo antecedens, nam diſpenſatio ad eſum carnium non tollit *formam* eſſentialem conſtitutiuam ieiunij niſi tantum in actu primo, non autem in actu ſecundo niſi habens talem diſpenſationem, ea vtatur in die ieiunij, carnes comedendo. Quare neganda eſt conſequentia; & ad eius probationem dico quod licet diſpenſatus ad carnes cōmedendas diſpēſatione abſoluta, ſi aliquo die non vult illas comedere, non habeat à quo ei tunc noua obligatio imponatur; tamen habet antiquam impoſitā obligationem

gationem ab Eccleſia ijs, qui impedimento carent ad ieiunandum; atqui poſito, quod ille qui habet prædictam diſpẽſationem ſe abſtineat à carnibus, nullum habet impedimentum ad ieiunandum: ergo erit ad ieiunium obligatus. Probo conſequentiam, quia ſuſpenſio illa in lege ieiunij eſt dependẽter ab iſta conditione, ſcilicet, vt non ponatur aliquod impedimentum imcompoſſibile cũ ieiunio; atqui quando prędictus diſpenſatus ad edendas carnes, actu in aliquo die ieiunij carnibus non veſcitur, ſed ab eſu carnium abſtinetur, non ponit aliquid incompoſſibile cum ieiunio: ergo tenetur ad ieiunandum.

59 Ex quibus deducitur ſolutionem ſuperius datam ex doctrina Sanchez, ſi recte intelligatur, optimam eſſe. Sanchez enim non dicit, quod ſufficiens refectio in prandio cum piſcibus eſt cauſa adæquata, ſeu motiuum totale obligans diſpenſatio ad comedendas carnes in die ieiunij, vt teneatur ad obſeruationem ieiunij; ſed quia diſpenſatio iſta ad edendas carnes in diebus ieiunij conceſſa non ratione infirmitatis, ſeu debilitatis, ſed ad præſeruandũ à futura infirmitate, ſolum reſpicit, vt adæquatum obiectum bonum nutrimentum ex qualitate ciborum, & non corroborationem virium; nam iam ſupponimus diſpenſatum eſſe robuſtum, & pati poſſe afflictionem ieiunij; ex quo recte infert Sanchez quod cum ob piſcium, ſeu ouorum comeſtione poſſit iſte talis habere nutrimentum cauſandum ex comeſtione carnium, per quod poſſit ſufficienter refici, ceſſat totaliter finis diſpenſationis, atque adeo facta tali hypotheſi, remanent omnia iuxta diſpoſitionem iuris cõmunis, at proinde vrgebit obligatio ieiunij. Contra quam Doctrinam nihil valet id, quod obijcitur à Paſqualigo, nam nec ſufficienter refectio habita cum piſcibus eſt cauſa adæquata obligans ad ſeruandum ieiunium ab illo, qui à carnibus abſtineretur in die ieiunij, non vtendo diſpenſatione habita ad illas edendas, vt ſupra diximus in reſponſione argumenti. Nec ex piſcium comeſtione conſurgit noua obligatio ad obſeruationem ieiunij in tali caſu, ſed ex tali comeſtione remanet antiqua Eccleſiaſtica obligatio impoſita ijs, qui impedimento carent ad ieiunandum, vt teneantur ſeruare pręceptum ieiunij, & cum prædictus diſpenſatus ad veſcẽdas carnes, eo ipſo quod ab eſu earum ſe abſtineat, & piſces comedat in die ieiunij, nullũ ponat impedimentum incompatibile cum ieiunio; remanet conſequenter obligatus ad ieiunandum iuxta diſpoſitionem iuris communis vt ſupra diximus.

60 Ad ſecundum fundamẽtum eiuſdem P. Zachariæ Paſqualigi reſpondetur diſtinguendo antecedens, quando aliqua libere fiũt abſq; obligatione, quę alias erant de neceſſitate, & obligatione poſſunt inuicem ſeparari, & vnũ fieri ſine alio, quãdo ea quæ ſunt diuerſa, & ſeparabilia per ſe conceduntur cõcedo antecedens, quãdo vnũ ex illis cõceditur ex ſuppoſitione alteri⁹ nego antecedens. Cum autẽ in noſtro caſu facultas ad plures comeſtiones in die ieiunij concedatur dependẽter ab eſu car-

nium in die ieiunij; ideo nõ põt eligi libere pluries in die ieiunij comedere abſolutè,& independẽter ab vſu diſpenſationis veſcendi carnibus in die ieiunij &ita licet, qui eligit carnibus veſci, poſſit abſtinere à pluribus comeſtionibus in die ieiunij, & vnicam ſolum comeſtionem facere pro ſua libertate,nõ tamen poteſt abſolute pro ſuo libito pluries in die comedere, abſtinendo ſe pro ſua libertate ab eſu carniũ, quia facultas pluries in die comedendi in die ieiunij conceditur dependenter ab eſu carnium, virtute ſupradictæ diſpenſationis ad edẽdas carnes conceſſæ. Nec exemplũ in argumento allegatũ aliquid conuincit, nam ſicut confeſſio omnium peccatorum mortaliũ in prima confeſſione eſt neceſſaria abſolute, & independẽter à conditione, ita peccata mortalia iam iterum ritè confeſſa ſunt materia abſolute libera, & voluntaria, & ſic poteſt vnũ peccatum iam confeſſum abſolutè confiteri ſine alio in ſecunda confeſſione. Quæ ratio nõ contingit in noſtro caſu, nam facultas pluries in die ieiunij comedendi, non conceditur abſolute, ſed conditionate dependenter, ſcilicet ab eſu carnium. Vnde infero, quod diſpenſatus ad veſcendas carnes in die ieiunij, non ad recuperandam ſalutem, vel ob debilitatem, ſed ad præcauendã præciſe futurã infirmitatem, ſi pro ſua libertate in die ieunij à carnibus ſe abſtineat in meridie,nõ põteſt veſperè, neque piſces, neq; carnes, aut quidquã aliud comedere, ſed ordinariam dũtaxat refectiunculam ſumere, quæ ſumi conſueuit ab alijs in die ieiunij: nam poſito quod mane prædictus diſpẽſatus comedit piſces vel oua, & lacticinia, poſtea non eſt in eius arbitrio piſces, aut aliud edere, nam libertas ad comedendas, vel non comedendas carnes ſuppoſita prædicta abſoluta diſpenſatione ſolum eſt in prima comeſtione, non vero in reliquis, ſi nulla poſita fuerit conditio incompoſſibilis cum ieiunio qualis eſt eſus carnium; ea enim poſita cum ieiunium eo die, non ſit amplius reparabile reſtat facultas ad comedendos quoſcumque cibos. Quare diſtinguendum eſt ſimiliter conſequens diſpẽſatus nõ habet obligationem ieiunandi,ſed ei liberum eſt ieiunare, & non ieiunare, ſi ponatur aliqua cõditio incompatibilis cũ ieiunio, qualis eſt eſus carnium cõcedo cõſequentiam, ſi talis cõditio nõ ponatur nego cõſequẽtiam; nã licet ei liberum ſit eligere abſtinẽtiam à carnibus,& nõ eligere plures comeſtiones,ſed vnicam tatũ,cum abſtinẽtia à carnibus, nõ depẽdeat eſſentialiter à pluribus comeſtionibus,nõ tamen põt ꝑ ſua libertate eligere plures comeſtiones in die ieiunij cum abſtinentia à carnibus; nã plures comeſtiones in die ieiunij nõ cõceduntur abſolutè,ſed cõditionate depẽdẽter, *ſcilicet* ab eſu carnium in die ieiunij.

61 Ex quibus infero falſo affirmare Paſqualigũ cõtra Sanchez dicta deciſione 268. numer. 6. quod diſpenſatus ad carnes, etiam ſi in prandio vſus ſit piſcibus poterit in cœna, vti carnibus. Nam libertas in diſpenſato ad comedendas, vel non comedendas carnes ſolum eſt in prima comeſtione, non vero in reliquis, vt ſupra diximus, niſi in prima comeſtione pona-

natur aliquid incōpoſſibile cū ieiunio, qualis eſt carnis comeſtio, qua poſita cum amplius nō obliget præceptū ieiunij, nec poſſit reparari, poteſt vtique veſperi carnes, aut alios cibos ſumere. Doctrina enim Paſqualigi ad oppoſitum inferendum fundatur in vna ſuppoſitione falſa, nempe, quod diſpenſatus ad edendas carnes in diebus ieiunij abſoluta diſpenſatione, ſiue prædicta diſpenſatio ſit facta ratione infirmitatis, aut debilitatis ortæ ex infirmitate præſenti, vel præterita, ſiue ſit tantum facta ad præcauendam futuram infirmitatem, quæ poteſt euenire ſubiecto ratione talis qualitatis ciborū, ſit abſolute liber ab obligatione ieiunij. Quę ſuppoſitio vt ſupra probauimus eſt omnino falſa, cum abſolutio ab obligatione ieiunij, ſit conceſſa dependenter à comeſtione carnium propter incompoſſibilitatem cum ieiunio, vt ſupra probatum manet. Vide reliqua quæ hic dici poſſunt apud Eruditum Patrem Bardi loco ſuperius citato vindicatione in Patrem Andream Mendo A. num.106. vbi acutè vt ſolet hanc noſtram concluſionem corroborat, & defēdit.

RESOLVTIO QVARTA.

Vtrùm vbi eſus ouorum in Quadrageſima eſt prohibitus, nec adeſt priuilegium bullæ Cruciatæ, qui in quadrageſima nō poteſt ieiunare, niſi comedendo oua, & lacticinia eo quod ex alijs cibis non habeat ſufficientem refectionem, teneatur comedere oua, & ieiunare.

62 PRima ſententia affirmat, quod in hoc caſu iſte talis tenetur oua, & lacticinia comedere, vt adimpleat præceptum ieiunij Eccleſiaſtici. ita Pater Thomas Sanchez tom. 2. conſil. lib.5.cap.1. dub.32. Diana part.10.tract.12.reſolut.46. (quæ in impreſſione Venetiana anno 1652. per errorem impreſſionis eſt 45.) S. at difficultas eſt. Pater Leander à Sanctiſſimo Sacramento parte 3. tract. 5. de obſeruatione ieiuniorum quæſt.36. Et hanc ſententiam à fortiori amplecti debet Fagundez cum in 4. præcept. Eccleſiæ, lib.1.cap.2.nu.12. affirmet quod præceptum iure ſtatutum in cap. denique diſt.4 de non edendis ouis, & lacticiniis, non obligare ad mortale, ſed tantum ad veniale ſecluſa conſuetudine, & Pellizarius, qui tom.1.manual. regularium tract.5.cap.5.num.20 & 21. idē affirmat cum Fagundez.

63 Fundamentum Patris Sanchez, & aliorum DD. (præter Fagundez, & Pellizarium) ad ſubſtinendam hanc ſententiam eſt, quia quotieſcumque concurrunt duo præcepta eccleſiaſtica, obligantia ad mortale, quando vnum eſt principalius alio, debet adimpleri quod eſt principalius, ſi vtrumque adimpleri non poteſt; atqui præceptum Eccleſiaſticū de ieiunio ſeruando in quadrageſima eſt principalius, quam præceptum de non edendis ouis, & lacticiniis in eadem quadrageſima: ergo extante dicta prohibitione, qui non poteſt ieiunium ſeruare niſi comedendo oua, & lacticinia, eo quod ex alijs cibis, non habeat ſufficientem refectionem, tenetur oua, & lacticinia comedere, vt poſſit præceptum ieiunij adimplere. Probatur maior, quia ille, qui non poteſt ieiunare niſi antici-

pando horã prandij cõſuetam, tenetur illam anticipare, licet alias determinatio horæ prædictæ obliget ad mortale, vt poſſit præceptum ieiunij adimplere, non alia de cauſa, niſi quia præceptũ ieiunij eſt principalius, quam hora conſueta aſſignata ad prandium in die ieiunij: ergo quando concurrunt duo præcepta, quorum vnum eſt principalius alio, & vtrumque non poteſt ſeruari, debet omitti minus principale, vt poſſit principalius adimpleri.

64 Secunda ſententia, negat prædictum teneri in ſupradicto caſu ad edenda oua, & lacticinia in quadrageſima, vt præceptum ieiunij adimplere valeat. ita Pater Zacharias Paſqualigus in praxi de ieiunio eccleſiaſtico, & naturali deciſione 272. num. 2. Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia in caſu propoſito concurrũt duo præcepta, alterum de ieiunio, alterum de abſtinentia à lacticinijs, & ouis; atqui prçceptũ de abſtinentia à lacticinijs, & ouis, eſt vniuerſalius, quam prçceptum de ieiunio: ergo quando hçc duo præcepta ſimul adimpleri non poſſunt vt in caſu propoſito, obſeruandũ eſt præceptum vniuerſalius, ſcilicet de non edendis ouis, & lacticinijs in quadrageſima, & omittendum minus vniuerſale, ſcilicet prçceptum ieiunandi. Maior eſt certa, cum Eccleſia in quadrageſima prçcipiat ieiunium obſeruandum, & ſimul prçcipiat abſtinentiam ab ouis, & lacticinijs, vt conſtat ex cap. denique diſt. 4. ibi: par autem eſt vt quibus diebus à carne animalium abſtinemus, ab omnibus quoque quæ ſementinam carnis trahunt originem ieiunemus, à lacte videlicet, caſeo, & ouis. Minor autem probatur, quia prçceptum de non edendis ouis, & lacticinijs in quadrageſima obligat omnes, etiam adoleſcentes, qui ex legitima cauſa non poſſunt ieiunare, quando alias non requirunt vſus ouorum, & lacticiniorum, prçceptum autem de ieiunio, non obligat omnes, ſiquidem non obligat adoleſcentes vſque ad 21. ætatis annum expletum: ergo præceptum de non edendis ouis, & lacticinijs in quadrageſima eſt vniuerſalius, quã præceptum de ſeruando ieiunio: ergo in caſu præſenti debet cedere præceptum de ieiunio, ſuppoſito quod vtrumque obliget ad mortale. Probatur conſequentia, quia in concurrentia prçceptorem, minus vniuerſale cedit vniuerſaliori, quãdo ſunt eiuſdem generis, nam hoc videtur eſſe de intentione Eccleſiæ, quç vult primo loco obligare præceptum vniuerſalius deinde minus vniuerſale, ſi habet locum; ideoque extẽdit ad plures prçceptum magis vniuerſale, tamquam illud, quod primo loco intendit ſeruari: ergo cum prçceptum de non edendis ouis, & lacticinijs ſit vniuerſalius, quam præceptum de obſeruando ieiunio in diebus quadrageſimalibus in caſu noſtro debet ſeruari prçceptũ de non edendis ouis, & lacticinijs, omittendo prçceptum de ieiunio. Probatur antecedens huius probationis, quia prçceptum miuns vniuerſale ſuperaddii vniuerſaliori, quando ſunt in eodem genere, vnde obligatio quoque ipſius eſt poſterior natura obligatione præcepti vniuerſalioris, & ideo prior ceſ-

ceſſare debet, & cedere, quãdo non poteſt extare ſimul cum ipſo.

15 Aduertendum tamen eſt cũ eodem Paſqualigo, quod doctrina huius ſententiæ locum habet facta ſuppoſitione, quod pręceptum de nõ edendis ouis, & lacticinijs in quadrageſima obliget ad mortale; nam in ſententia Fagundez, & Pellizzarij ſuperius citati, qui iudicant prędictum pręceptum non obligare ad mortale, ſed tantũ ad veniale (ſecluſa omni conſuetudine in contrarium obligante ad mortale) non habet locum doctrina huius ſententię, nec eius fundamentum cõuincit, nam quando concurrũt duo pręcepta vnum obligans ad mortale, & aliud ad veniale, cedere debet illud quod obligat ad veniale, & pręualere illud, quod obligat ad mortale.

16 Ex his ſententijs prima mihi valde probabilis videtur. Secũdum tamen probabiliorem iudico. Itaque ad fundamentum Patris Thomæ Sanchez allegatum pro prima ſententia reſpondetur diſtinguendo maiorem, quando concurrunt duo pręcepta, vnum principalius, & aliud minus principale, ſi vtrumque non poſſunt ſimul obſeruari, debet obſeruari pręceptum principalius, ſi tale pręceptum ſit vniuerſalius cõcedo maiorem, ſi non ſit vniuerſalius, ſed minus principale vniuerſalius ſit nego maiorẽ, & conceſſa minori ſub eadem diſtintione neganda eſt conſequentia. Et ad probationem maioris reſpondeo quod anticipatio horę ieiunij debet fieri ab eo, qui ſeruando horam cõſuetam, pręceptum ieiunij obſeruare non valet, quia hora determinata comedendi in die ieiunij, non eſt de eſſentia ipſius ieiunij, ſed tantum circumſtantia accidentalis, vt docent Palatius in 4. diſt. 15. diſput. 8. §. & rurſus poſt ſextam cõcluſionem. Medina lib. 1. ſummę cap. 14. §. 10. Nauarrus in manuali cap. 21. nu. 22. in manuali latino, & in Hiſpano num. 21. Bonacina diſput. vlt. de pręcept. Eccleſię quęſt. 1. punct. 4. nu 3. Boſſius de Iubileo, ſection. 4. caſu 18. Pater Thomas Sãchez tom. 2. conſil. moral. lib. 5. cap. 1. dub. 28. num. 2. Paſqualigus in praxi de ieiunio deciſione 145. Leander à ſanctiſſimo Sacram. part. 3. tract. 5. de obſeruatione ieiuniorum diſp. 6. quęſt. 8. Vnde in probabiliori ſententia, qui ſine cauſa notabiliter anticipat horam comedendi in die ieiunij, non violat ieiuniũ, nec mortaliter peccat, vt tenet Paſqualigus, vbi ſupra deciſion. 146. nu. 4. vbi pro hac opinione citat Innocent. capit. 1. de obſeruatione ieiunij. Ioannem Andream Ancharanũ, & alios Canoniſtas; eam etiam defendit Pater Leander à Sanctiſſimo Sacramento dict. quęſt. 8. citans Viuald. in Append. cap. 15. de ieiunio Quadrageſimę num. 59. Leſſium lib. 4. de iuſtit. cap. 2. dub. 2. num. 13. Toletum lib. 6. cap. 2. numer. 5. Filiucium tract. 27. part. 2. cap. 5. num. 72. Lopez 2. part. inſtruct. conſci. cap. 112. Ludouic. à Cruce in bull. Cruciat. diſp. 1. cap. 5. dub. 14. num. 3. in fine Trullenchlib. 3. in Decalog. cap. 2. dub. 4. nu. 13. Aſcanium Tamburin. tom. 2. de iure Abb. diſput. 12. quęſt. 10. num. 6. in vltim. Editione; Patrem Magiſtrum Ioannem Baptiſtam Lezana in ſumma, verbo ieiunium num. 5. Fernã-

dez

dez part.2.exam.Theolog.moral.cap.8.§.3.num. 6. Molſeſius tom.1.ſummę tract. 10. cap. 5. num.16.Dianam part.1.tract.9 reſolut.27.verſu hęc opinio, & alios, qui apud ipſum, & apud Paſqualigum videri poſſunt. Cuius ratio eſt, quia non ſeruata hora conſueta, & pręfixa ad comedendum in die ieiunij optime ſeruatur tota ſubſtantia ieiunij, cum prędicta hora pręfixa, non ſit de ſubſtantia ipſius ieiunij: ergo non ſeruata hora, adhuc ſatisfit pręcepto ieiunandi quoad pręceptum obligationis; atqui quando pręceptum impletur ſecundum ſubſtantiam, etiamſi pretermittatur aliqua circumſtantia, nō committitur peccatum mortale: ergo anticipare abſque cauſa horam prandij in die ieiunij, non erit peccatum mortale. Et etiam ſi concedatur cum Ioanne Sancio in ſelect. diſput. 52. num. 5. quod anticipare ſine cauſa notabiliter horam comedendi, in die ieiunij, ſit mortale peccatum; nihilominus probatio maioris argumenti Pater Sanchez ex hoc capite deſumpta, non conuincit, nam in hoc caſu non concurrunt duo precepta eccleſiaſtica, ſed vnum pręceptum de ieiunio, ſcilicet ſeruando cum tali circumſtantia accidentali eſſentię ieiunij, ſcilicet comedendi in tali hora pręfixa. Quare qui non poteſt ieiunare comedendo in tali hora, tenetur horam anticipare, vt pręceptum ieiunij adimpleat in quo caſu non omittit adimplere aliquod pręceptum, ſed omittit aliquod accidens pręcepti ieiunij, vt meliori modo poſſit pręceptū ieiunij quoad ſubſtantiam adimplere; in noſtro autem caſu cōcurrunt duo pręcepta, vnum de non edēdis ouis, & lacticinijs in diebus quadrageſimę, & aliud de ieiunio ſeruando, & cum non poſſint ſimul obſeruari, vt ſupponitur, ſed debeat vnū omitti, vt aliud ſeruetur, debet omitti, quod eſt minus vniuerſale in eodem genere, & ſeruare vniuerſalius, licet principalius non ſit, cum autem pręceptum de non edēdis ouis, & lacticinijs in diebus quadrageſimalibus vniuerſalius ſit, quam pręceptum de ieiunio illud eſt obſeruandum, & hoc omittendum, vt diximus in probatione noſtrę ſententię.

RESOLVTIO QVINTA.

Vtrum detur pręceptum Eccleſiaſticum prohibens ſub mortali oua, & lacticinia in diebus quadrageſimalibus.

67 PArtem negatiuam acriter defendit Pater Stefanus Fagundez in pręcepta Eccleſię pręcept.4.lib.1.cap.2.num. 12. in prima edictione Lugdunēſi 1626. & in ſecunda Editione etiam Lugdunenſi anno 1632. num. 15. & ſeqq. qui affirmat hanc eſſe ſententiam communiſſimam apud Luſitanos ſiquidem omnes Doctor. Academię Conimbricenſis, & Eborenſis ab ipſo conſulti, eam vocauerūt multo veriorem, & probabiliorem, ſolidioribuſque fundamētis ſtabilitam. Quem nouiſſimè ſequitur Pellizarius tom.1.manual. Regularium tract. 5. cap. 5.num.20.& 21. Pro hac ſententia Amadeus Guimenius in ſuo Opuſculo aduerſus quorumdā expoſtulationes contra nonullas Ieſuitarum opiniones morales tract. de ieiunio propoſ. 7.numero 3. prope finem citat Emi-

Eminentiſſimum Cardinalem Caietanum falſiſſime tamen, vt ſtatim videbimus. Verba Guimenij hęc ſunt. Caietanus autē ibi (ſcilicet verbo ieiunium) cap.1. cum loquitur de ieiunijs quadrageſimæ ſic inquit. Inter Quadrageſimam, & alia ieiunia hoc intereſt, quod quadrageſima etiam requirit abſtinentiam ab ouis, & lacticinijs, vbi conſuetudo eſt, vbi autem conſuetudo non eſt, non licet. Hæc Caietanus, vbi ſolum dicit ex conſuetudine poſſe eſſe peccatum mortale ex iure vero id nō licere, quod de veniali tantum intelligit Palatius ſupra. Huc vſque Guimenius. Sed quam falsò hanc ſententiam tribuat Eminentiſſimo Caietano; expreſse conſtat ex legitimis, & veris verbis ipſius met Caietani dict.cap.1.verbo ieiunium. Sic enim inquit. Quoad primum de neceſſitate ieunij ſunt tria, ſcilicet qualitas ciborum, hora competens, & vnica comeſtio. Exigit quippe omne Eccleſiæ ieiunium abſtinentiam ab eſu carnium, ſed inter Quadrageſimam, & alia ieiunia hoc intereſt, quod Quadrageſima requirit etiam abſtinentiam ab ouis, & lacticinijs. In alijs autem ieiunijs poteſt quiſque vti ouis, & lacticinijs vbi conſuetudo eſt, vbi autem non eſt cōſuetudo non licet. Hęc Caietanus. Videat ergo Amadæus Guimenius qua fidelitate, vt inferat Eminentiſſimum Caietanū ſubſtinere, quod ſolum ratione conſuetudinis, ſit peccatum mortale vti ouis, & lacticinijs in diebus quadrageſimalibus, non vero ex iure, ſed tantum dumtaxat veniale; verba illius euertit, & non fideliter recitat, coniungendo illa verba, vbi cōſuetudo eſt immediate cum illis verbis antecedentibus Caietani, inter quadrageſimam, & alia ieiunia hoc intereſt, quod quadrageſima etiam requirit abſtinentiam ab ouis, & lacticinijs vbi conſuetudo eſt; cum Caietanus nō apponat illa verba conſuetudo eſt immediate ibi, ſed interponat prius hæc in alijs autem ieiunijs poteſt quiſque vti ouis, & lacticinijs, vbi conſuetudo eſt, vbi autem conſuetudo non eſt, non licet. In quibus verbis Caietanus clarè docet ſolum in alijs ieiunijs à quadrageſima licere vti ouis, & lacticinijs, vbi conſuetudo eſt, non autem vbi conſuetudo non eſt. Non autem loquitur de diebus quadrageſimalibus, de quibus dicit, quod etiam in illis requiritur præter abſtinētiam à carnibus, abſtinentia ab ouis, & lacticinijs, & cum abſtinentia à carnibus in quadrageſima ex mēte Caietani obliget ad mortale, ex prohibitione iuris, etiam abſtinentia ab ouis & lacticinijs in quadrageſima ſecundum Doctrinam Caietani, debet obligare ad mortale ex prohibitione eiuſdem iuris: ergo tantum diſtat Caietanum ſtare pro hac opinione, quantū ſol diſtat à tenebris.

68 In numero autem 4. eiuſdem ſeptime propoſitionis, idem Amadęus Guimenius, vt probet Caietanum docere in verbis ſuperius relatis, quod vti ouis, & lacticinijs in diebus quadrageſimalibus ex vi iuris ſecluſa conſuetudine in contrarium, non ſit peccatum mortale, ſed veniale tantum affirmat Eminentiſſimum Caietanum docere, aliam difficiliorem doctrinam, nempe non dari in Eccleſia præceptū ieiunij obligans

gans ſub mortali. Vnde tenetur (inquit Guimenius) dicere huiuſmodi obligationem, non ex iure, ſed ex conſuetudine ortã fuiſſe. Et vt probet hanc eſſe doctrinam Caietani in ſumma, verbo ieiunium, verba ipſius Caietani refert, quæ hęc eſſe affirmat. Ex communi interpretatione videtur vinculum pręcepti obligãtis ad mortale, transgreſſores ex inobedientia, vel contemptu. Et hoc ego nõ audeo ex iure ſcripto aſſerere, quia nullibi ſcio ſcriptum eſſe pręceptum obligans ad mortale non ieiunantem, quamuis inueniatur præceptum, hoc eſt ſtatutum obligans. Hoc eſt inuenitur pręceptnm prout diſtinguitur contra Conſilium; & non præceptum anthonomaticè, quod ſolum obligat ad mortale. Hęc Caietanus circa pręceptum ieiunij, & eadem Fagũdez circa abſtinẽdi à lacticinijs præceptum. Hæc ſunt legitima verba Amadæi Guimenij in dicto num. 4.

69 Sed antequam examinemus an verum ſit, vel non, Eminẽtiſſimum Caietanum docere, non dari in Eccleſia pręceptũ ieiunij obligans ſub mortali, examinare oportet an recte, & fideliter Amadęus Guimenius referat verba Caietani, & ſic recurrere oportet ad ipſũ Catanum, & confrontare eius verba, cum verbis relatis ab ipſo Guimenio, vt omni ex parte veritas appareat. Caietanus igitur, vt legenti manifeſte apparebit, in ſumma verbo ieiuniũ. cap. 4. cuius titulus eſt vinculũ ad ieiunium abſtringens, quale ſit. Sic ait. Ad quartum (quale ſcilicet eſt vinculum, quo tenemur ad Eccleſiæ ieiunia) ex communi interpretatione videtur vinculum præcepti obligantis ad mortale trãſgreſſores, ex inobedientia, vel contemptu, quia contra obedientiam directe ageretur, & hoc habetur pro certo, vel ſine rationabili cauſa vera, aut extimata, vel authorizata, non habita generali, aut ſpeciali gratia ſummi Pontificis, quia tunc ſcienter ageretur contra opus pręceptum. Et hoc ego non audeo ex iure ſcripto aſſerere, quia nullibi ſcio ſcriptum eſſe præceptum obligans ad mortale non ieiunantem, quamuis inueniatur pręceptum, hoc eſt ſtatutum obligans, hoc eſt inuenitur pręceptum, vt diſtinguitur contra Conſilium, & non pręceptum habes infra, & propterea quantum eſt ex iure ſcripto nullum cognoſco inuenire mortale peccatum in fractione ieiunij Eccleſię, ſi deſit contẽptus. Hæc ſunt verba legitima Caietani, non autem illa, quæ citantur, & referuntur à Guimenio, cum coniungat propoſitiones omnino ſeparatas in vnum; & ita ad minus ex hoc capite infideliter verba Caietani refert.

70 An autem ex pręd ictis verbis Caietani deduci poſſit ipſũ tenere, nõ dari in Eccleſia pręceptum ieiunij obligãs ſub mortali, examinare oportet; & vt eiuſdem Caietani mens capiatur, recurrere oportet, ad ea quę docet in Commentarijs Diui Thomę 2. 2. quęſt. 147. art. 3. vbi ipſemet Caietanus ſe citat in dicto capite 4. ſuperius citato. ibi enim Angelicus Pręceptor Diuus Thomas poſtquã pręmiſit in primo articulo eiuſdem quęſtionis, quod ieiunium ſit actus virtutis, & in ſecundo, quod ieiunium ſit actus obedientię

dientię. In 3. inquirit vtrum ieiunium ſit ſub præcepto. In qua difficultate reſoluit in corpore articuli ieiunium vt ſic, & in communi acceptum, cadere ſub pręcepto legis naturę determinatio autem temporis, & modi ieiunandi ſecundum conuenientiam, & vtilitatem populi Chriſtiani, cadere ſub præcepto iuris poſitiui, quod eſt à Prælatis Eccleſię inſtitutũ. Et hoc eſſe ieiunium Eccleſiæ; aliud vero naturæ. In cuius articuli Commentum Eminentiſſimus Cardinalis Çaietanus §. ad huius euidẽtiam. poſtquã ſupponit, quod ieiunium Eccleſiaſticum, de quo eſt ſermo. In ſui obſeruatione duplex virtus inuenitur ſcilicet, obedientia, & abſtinentia, nam ieiunãdo exequitur homo Eccleſiæ præceptum, & per hoc obedit, & medium ab Eccleſiaſtica prudentia determinatum in cibo, & potu ſeruat, & per hoc abſtinet. Quare iuxta dictas duas virtutes, quæ in ieiunio inueniuntur, duo quoque vitia cõtrariantur ieiunio, ſcilicet inobedientia, & gula, & ait: quod ex parte inobedientiæ non eſt peccatum mortale tranſgredi principia, & ſtatuta iuris poſitiui, niſi propter contemptum: quoniam ſolus contemptus eſt formalis inobedientia mortalis vt patet ex dictis tract. de obedientia. Ex parte verò abſtinẽtiæ, quæ remedium quoddam præcepta eſt non eſt peccatum mortale, niſi impediatur finis intentus per talem abſtinentiã. Et loquendo de vtroq; modo tranſgrediendi ieiunium de qua eſt ſermo in littera D. Thomæ ſupponit, quod in primo omnes conueniunt ſcilicet, quod violans ieiunium eccleſiæ ex contemptu peccat mortaliter. Circa ſecundum vero modum tranſgrediendi ieiunium eccleſiaſticum duas proponit difficultates. Prima eſt qualis eſt tranſgreſſio ieiunij impediens finem itentum per talem abſtinentiam. Secunda vero; ſi conſtituit mortale peccatum. Et reſpondendo ad ſecundam ſupponit dictam difficultatem tractare Diuum Thomam in 4. sẽtentiar. diſt. 15. quæſt. 3. art. 1. quæſtiuncula 4. ad 3. dum dicit intentioni legiſlatoris obiat, qui ex contemptu, vel ſine aliqua rationabili cauſa, ordinationem non ſeruat. Quam expoſitionem in hoc articulo inſinuat Diuus Thomas, dum cõtra tranſgreſſorem, vel ex contemptu, vel ex impedimento finis, diſtinguit non ſeruare ex rationabili cauſa, ſubdendo. Si autem ex aliqua rationabili cauſa &c. Et quod per hęc clare patet, quæ & qualis tranſgreſſio eſt impediens finem. Qua ſuppoſitione facta, inquit. An autem ſit mortale peccatum ſemper huiuſmodi trãſgreſſio apud auctorem non vertitur in dubium: quia expreſſe in littera dicitur, quod talis trangreſſio eſt peccatum mortale. Sed ex aliorum dictis dubium habet; nã quidã videntur velle, quod tranſgreſſio ieiunij ex contẽptu ſola eſt peccatum mortale: quidam autem etiam illa quæ eſt ſine cauſa, eſt peccatũ mortale. nã illa, quæ fit ex cauſa, non ex toto ſufficiente, peccatũ veniale eſt. Inter iſtas autẽ opiniones (inquit Caietan.) prima à ratione longe eſt, ſuppoſito quod Eccleſia ieiunium præceperit, quoniã ſolã obediẽtiam in Eccleſiæ præceptis cõſiderauit: cũ tamẽ vltra communẽ cõditionem

Digitized by Google

nē præceptorū,quā attendit obedientia, oporteat conſiderare actū virtutis, qui ſub pręcepto ponitur,& finis eius. Et propterea Auctor duas radices trāſgreſſionis poſuit, alterā ex parte authoritatis præceptiuæ, & alterā ex parte finis intenti per per actū imperatum à lege. Hęc enim duo ſunt principalia in qualibet lege, ad quæ cætera ordinantur. Et propterea pęnes ambo trāſgreſſio mortalis,quaſi principium legalis vitę tollēs denominatur. Secunda vero opinio multum inniti videtur ęquitati, ne lex poſitiua nimis dura ſit, & poteſt ad auctoris doctrinam reduci diſtinguēdo de cauſa rationabili, ſcilic. ſimpliciter, & abſolute; vel ſecundū extimationem, nam nō ſeruare ieiunium ex cauſa rationabili ſimpliciter, & abſolutè non eſt contra præceptum eccleſiæ, quod intelligitur ceſſante rationabili cauſa ad oppoſitū, & hoc eſt clarum. Et ſimiliter ſi non ſeruo ieiunium ex cauſa rationabili ſecūdum meam extimationem abſque fraude, puta, quia videtur mihi quod ſim adeo debilis, vt non comprehendar ſub obligatis ad ieiunium, quamuis in veritate non ſit in me debilitas ſufficiēs ad eximēdū me à vinculo ieiunij, excuſor à peccato mortali,quamuis peccem venialiter, ſi abſq; paſtoris indulto negligēter meas vires examinans, violaui ieiunium. Ad quæſitum ergo reſpōdēdo dicitur quod ſoluens eccleſiæ ieiuniū ſine cauſa rationabili, tam abſolutè, quam ſecundum extimationem ſuam peccat mortaliter quoniā talis, & tranſgreditur medium abſtinentię ſtatutum ab eccleſia, & tranſgreditur ſic, vt impediat legiſlatorem à fine intento in ipſo homine potente ieiunare, dū ſine omni rationabili cauſa mediū renuit in ipſo ad finem. Ex quibus verbis manifeſtè apparet *Eminētiſsimū* Caietanum numquam docere non dari in eccleſia pręceptum ieiunij obligās ad mortale cū oppoſitum in verbis ſuperius relatis ex ipſo Caietano conſtet; ſiquidem, vt vidimus, affirmat, quod trāſgreſſio ieiunij eccleſiaſtici abſque neceſſitate, vel abſolute, vel ſecundum exiſtimationem eſt peccatum mortale; licet tā in ſumma, quam in 2.2. loco ſuperius citato in fine illius §. ſuperius citati ad huius euidētiā; doceat, quod ſi attendatur pręceptum impoſitum ab Eccleſia obſeruandi ieiunium quantum eſt ex vi verborum non cōſtet ieiunium eccleſiaſticum ab Eccleſia pręcipi pręcepto ſtrictè ſumpto. Verba illius ſunt in fine dicti §. & citò quod niſi cōmunis chriſtianæ Eccleſię interpręratio ſuſciperet ſtatutum ieiunij eſſe, non ſimplex ſtatutū, ſed habere vim pręceptiuā ſtrictè ſumendo pręceptum, verū proculdubio eſſet, quod non niſi propter contemptum tranſgreſſio ieiunij, eſſet peccatum mortale, quoniam in *ſimpliciū* ſtatutorum materia trāſgreſſio medij, & impeditio finis licet ſit mala, nō tñ mortale inducit peccatū, niſi materia illa ad charitatē Dei, ac proximi neceſſaria ſit, ꝙ in propoſito cōſtat nō habere locū: quia ieiuniū huiuſmodi cōſtat nec ad Dei, nec ad proximi dilectionē eſſe neceſſariū, & hoc dixerim, quia ex vi verborū nullibi ieiuniū eccleſiaſticū inuenitur pręceptum, loquēdo de pręcepto ſtrictè. vbi vt vides Caiet. duo dicit, & ꝙ pręceptū

Eccle-

Digitized by Google

eccleſiaſticũ de ieiunio hẽt vim pręceptiuã,& ſtrictè ſumẽdo pceptum ex cõi interpretatione chriſtianæ Eccleſiæ, q̄ ſufficit, vt teneamur affirmare dictum præceptum Eccleſiaſticum de ieiunio eſſe præceptiuũ, & ſtrictè ſumendum,cum communis Eccleſiæ vſus generaliter receptus ſit optima legũ interpretatio. Quod ſi hoc non eſſet, ait Caietanus: præceptum de ieiunio non obligaret ad mortale propter rationẽ ab ipſo allegatã, nõ autẽ affirmat, quod præceptũ Eccleſiaſticũ de ieiunio,vt modo eſt receptũ in Eccleſia Dei, & interpretatũ, nõ ſit præceptiuum rigoroſum obligans ad mortale, ſed ſolum affirmat, quod licet obliget ad mortale, vt præceptum præceptiuum rigoroſum, hoc tamen non conſtat ex vi verborum ipſius præcepti, quia ex vi verborũ nullibi ieiuniũ eccleſiaſticũ inuenitur præceptũ loquendo de præcepto ſtricte. Quod valdè diuerſũ eſt ab eo q̄ illi falsò attribuit Amadæus Guimenius affirmãdo Caietanum tenere,& docere nõ dari in eccleſia pręceptũ ieiunii obligans ſub mortali,cũ oppoſitũ tã in ſũma,quã in 2.2 in cõmẽto D.Thom. doceat,vt cõſtat ex ſuperius dictis.

71 Vidimus iam Caietanum nõ ſtare pro hac opinione. Videamus qui ſĩt Auctores, qui pręter Fagundez, & Pellizarium eam ſequuntur. Pro hac opinione citantur communiter tã à Fagundez quam ab alijs Doctoribus, qui hanc difficultatẽ tractant Dominic. in cap. denique diſt. 4. in compendio ad finem cap. num. 5. vbi ponderãs textum, inquit, quod particula Par, non ſtat ſimilitudinarie, ſed ponitur pro æquo,& iuſto; vnde non præcipit Pontifex abſtinentiam à ſementinis, ſed ſolum dicit æquum, & iuſtum eſſe abſtinere. Paulus Palatius Hiſpanus Granatenſis in Annotat. ad ſumm. Caiet. Hiſpano idiomate ſcript. verbo Ayuno cap.4. Petrus Allagona in dict. cap. denique diſt. 4. vbi affirmant, quod omnia, quæ habentur in illo capite, aut ſunt de conſuetudine, aut ſunt iam antiquata, conſentit gloſſ. in dict. cap. denique verbo Par, inquiens, Par ideſt æquum, & iuſtum, vnde non agnoſcit pręceptum, conſetit etiam Gratianus ad finem dicti capitis denique, ſubdit, nec etſi legibus conſtituta ſunt tamen, quia communi vſu approbata ſunt, ſe non obſeruantes, tranſgreſſionis reos non arguunt &c. & paulò poſt, niſi fortè quis dicat hæc non decernendo eſſe ſtatuta, ſed ex optando conſcripta. Decretum vero neceſſitatem facit, exortatio autem liberam voluntatem excitat. Sic habentur in Cod. antiquis (vt teſtatur Paſqualigus dict. deciſ. *71.* num.3. in fine) in recentioribus autem hæc eadem verba ponũtur in margine. Pro hac ſententia citat Paſqualigum dict. tract de ieiunio deciſ. *71*. Pater Leãder à Sanctiſſimo Sacramento part. *3*. tract. *5*. de obſeruatione ieiuniorum diſputat. 3. quæſt. 2. immeritò tamen, nam Paſqualigus ſtat pro oppoſita ſententia nam licet in dicta deciſione poſtquam vtramque propoſuit ſententiam ad argumenta facta in fauorem ſententiæ affirmantis dari præceptum obligans ad mortale, de non edendis ouis, & lacticinijs in quadrageſima, reſpondeat tamen num. 16. dictæ deciſionis inquit. Et quidem

dem pro priori ſententia habet magnam vim cõmunis ſenſus, qui non ſolum eſt ſenſus Doctorum, ſed etiam cæterorum fidelium, etiam ipſorum Paſtorum, qui omnes vnanimiter putant oua, & lacticinia prohiberi in quadrageſima ſub mortali. Et numer. 17. inquit accedit etiam quod præceptum deduci poteſt ex ipſo textu cap. denique diſt. 4. Si accipiatur in eo ſenſu, in quo videtur accipiendum. Et num. 15. prius dixerat hæc pro vtraque ſententia aſſerri poſſunt, vt autem proferãt quid ſentio, exiſtimo poſteriorem ſententiam habere fundamentum ex ratione, priorem autem ita auctoritate eſſe firmatam, vt nondum ſit ab ipſa recedendum, ſed expectãdum quid tempus afferat fieri enim poteſt, quod proceſſu temporis, aut poſterior ſententia magis auctoritate ſtabiliatur, aut etiam, quod cadat, & potiora fundamenta pro priori reperiantur.

72 Probatur primo hęc ſententia, quia ſi eſſet præceptum obligans ad mortale de non edendis ouis, & lacticinijs in diebus quadrageſimalibus, hoc colligeretur ſolum ęx capit. denique diſt. 4. propter illa verba. Par autem eſt, vt quibus diebus à carnibus animalium abſtinemus, ab omnibus quoque, quæ ſementinam carnis trahũt originem, ieiunemus, à lacte videlicet caſeo, & ouis; atqui ex his verbis non colligitur prohiberi oua, & lacticinia ſub mortali, imo potius colligi poteſt contrarium: ergo dicendum eſt nõ dari pręceptum Eccleſiaſticum prohibens oua, & lacticinia in quadrageſima ſub mortali. Maior videtur manifeſta, nam nullum alium textum reperire poſſumus, in quo in iure eſus lacticiniorum in quadrageſima prohibeatur, præter textum allegatum in cap. denique; quia licet ab aliquibus allegetur canon. 56. Concilij Trullani ſexti Synodi Generalis, vbi expreſſe prohibentur oua, & lacticinia; hoc nihil conuincit, quia Canones iſti Trullani communiter non recipiuntur, cum editi non fuerint ab ipſo Concilio, ſed à quibuſdam *Epiſcopis*, qui peracto Concilio, conuenerũt ſimul in Palatio Trullano Imperatoris Iuſtiniani, & ſine auctoritate Summi Pontificis cõgregati Canones illos ediderũt vt concedunt etiam Auctores oppoſitę ſententiæ. Minor autem probatur, quia particula Par eſt, non eſt præceptiua, vt per ſe patet, & notat gloſſa ibidem Par eſt, ideſt æquum, & iuſtum, ſed tantũ ſignificat quod conueniens, & æquum ſit: ergo ex textu pręallegato ex capite denique non colligitur lacticinia eſſe prohibita in quadrageſima præcepro obligante ad mortale, ſed potius colligitur contrarium.

73 Quod confirmari poteſt, quia Summus Pontifex S. Gregorius in illo cap. denique, *reſpondet* pluribus quæſtionibus ab Auguſtino Anglorum Epiſcopo propoſitis, & omnes ſoluit per verba clara, & abſolute, aut affirmatiua, aut negatiua, quando autem reſpondet quæſtioni, an in quadrageſima abſtinendum ſit à ſementinis, mutat modum reſpondendi, & nõ dicit abſolute eſſe abſtinendum ſed par eſse vt abſtineamus, vt indicaret ſe hoc non præcipere, ſed tantum proponere, vt quid conueniens.

Se-

Digitized by Google

74 Secundo probatur hæc ſententia, quia vt lex ſub mortali peccato inducere valeat obligationem, debet continere verba præceptiua clara, vt habetur ex capite erit autem lex diſt. 4. ibi. Erit autem lex honeſta, iuſta, poſſibilis ſecundũ naturam, ſecundum Patriæ cõſuetudinem, loca temporique conueniens, neceſſaria, vtilis, manifeſta quoque, ne aliquid per obſcuritatem in captionem contineat nullo priuato commodo, ſed pro communi ciuiũ vtilitate conſcripta; atqui in caſu noſtro lex non continet verba clara ſignificantia præceptum, ſed potius contraria præcepto, ſiquidem abſtinentiam à ſementinis, reducunt ad quamdam conuenientiam: ergo dicendum eſt præceptum de abſtinentia ab ouis, & lacticinijs in quadrageſima nõ obligare ſub mortali.

75 Tertio probatur, quia non ſunt multiplicandę obligationes abſque neceſſitate, quę obligent ſub peccato mortali, niſi ex ipſis clare conſtet, nec ſunt extendendę, quando lex non extendit; atqui clare non conſtat de pręcepto obligante ſub mortali prohibente edere oua, & lacticinia in quadrageſima: ergo aſſerendum eſt non eſſe tale pręceptum in iure obligans ſub mortali. Minor cõſtat ex dictis in probatione ſecunda dictę ſententię. Maior vero in qua poteſt eſſe difficultas, probatur, quia quod multiplicandę ſint obligationes ſub mortali, ex ſacris canonibus, quando de ipſis clare non conſtat, vel extendere dictas obligationes ſub mortali, quando lex non extendit, obſtant communes regulę iuris, odia ſunt reſtringenda &c. pœnę coercendę &c. benignior in pœnis, eſt interpretatio facienda de regulis iuris in 6. ergo: ideò non debet ex ſacris canonibus induci obligatio ſub mortali, ad abſtinendum à ſementinis in quadrageſima, cum tale pręceptum clare non habeatur, nec poſſit deduci, niſi vis textui inferatur. Nec pręceptum de abſtinentia à carnibus debet extendi ad ſementina, cum hęc ſint diuerſę ſubſtantię; nec ex prohibitione carnium, ſequatur prohibitio ipſorum, vt cõſtat ex ieiunijs extra quadrageſimam, & in ſexta Feria, & Sabbatho.

76 Communis tamen, & vera ſententia affirmat, quod oua, & lacticinia de iure communi ſunt prohibita ſub mortali in ieiunijs quadrageſimę. Ita AEgidius Bellamera in capit. denique tomo 1. ſuper Decretum Hoſtienſ. in ſumma in rubric. de obſeruatione ieiuniorum numer. 2. & 3. Innoc. in eadem Rubric. num. 5. Nauarrus in manual. cap. 21. num. 15. Couarru. lib. 4. variar. cap. 20. Angelicus Doctor Diuus Thomas 2. 2. qu. 147. articul. 8. ad 3. vbi inquirit vtrum conuenienter ieiunantibus indicatur abſtinentia à carnibus, ouis, & lacticinijs, poſt quam ſibi obijeciſſet, hoc argumentum in quibuſdam ieiuniorum diebus aliqui ouis, & caſeo vtuntur: ergo pari ratione in ieiunio quadrageſimali talibus homo vti poteſt. Reſpondet. Ad 3. Dicendum; quod oua, & lacticinia ieiunantibus interdicuntur, in quantum sũt ex animalibus orta carnes habentibus: vnde principalius interdicuntur carnes, quam oua, vel lacticinia. Similiter etiam inter

inter alia ieiunia ſollemnius eſt quadrageſimale ieiunium, tum quia obſeruatur ad imitationem Chriſti; tum etiam quia per ipſum diſponimur ad Redemptionis noſtrę myſteria deuotè celebranda. Et ideo in quolibet ieiunio interdicitur eſus carnium. In ieiunio autem quadrageſimali interdicuntur vniuerſaliter etiam oua, & lacticinia, circa quorum abſtinentiam in alijs ieiunijs diuerſę cōſuetudines exiſtunt apud diuerſos, quas quiſque obſeruare debet ſecundum morem eorum, inter quos conuerſatur. Vnde Hyeronimus dicit de ieiunijs loquens. Vnaquęque prouincia abundet in ſuo ſenſu, & pręcepta maiorum leges apoſtolicas arbitretur. Vbi maximè notanda ſunt illa verba Diui Thomę in alijs ieiunijs (intellige à ieiunijs quadrageſimalibus) diuerſę conſuetudines exiſtunt, apud diuerſos, quas quiſque obſeruare debet ſecundum morem eorum, inter quos conuerſatur. Ex quibus manifeſte cōſtat Angelicum Pręceptorem docere, quod in alijs ieiunijs, à ieiunijs quadrageſimalibus non eſt pręceptum eccleſiaſticum prohibens fidelibus vti, ouis, & lacticinijs, obligans ad mortale. Dixi ratione conſuetudinis locorum, aut prouinciarum, ex quibus deducitur Angelicū Doctorem ſubſtinere, quod oua, & lacticinia, tamquam ex animalibus orta carnes habentibus ab Eccleſia prohibi ſub mortali in ieiunijs quadrageſimalibus, tamquam ſollemnioribus inter alia ieiunia ab Eccleſia ſtatuta. Idem docet Caietanus in commentationes dicti cap. 8. & in ſumma verbo ieiunium cap. 1. per illa verba ſuperius relata: Exigit quippe omne Eccleſię ieiunium abſtinentiam ab eſu carnium: ſed inter quadrageſimam, & alia ieiunia hoc intereſt, quod quadrageſima requirit etiam abſtinentiā ab ouis, & lacticinijs; in alijs autem ieiunijs poteſt quiſque vti ouis, & lacticinijs, vbi conſuetudo eſt; vbi autem non eſt conſuetudo, non licet. Palludanus in 4. diſt. 15. quęſt. 4. artic. 4 concl. 2. Medina C. de ieiunio quęſt. 1. Enriquez lib. 7. cap. 13. num. 8. Suarez tom. 2. de relig. parte 13. num. 3. quem citat Pater Leander à ſanctiſſimo Sacramento loco ſuperius citato, ſed certe apud Suarez in dicto tom. 2. de Religione in omnibus libris, ex quibus conſtat, nec vllum verbum circa hoc inueni. Ludouicus Lopez parte 2. Inſtruction. conſcientię capit. 212. Petraza pręcept. 3. §. 14. Alcoz. cap. 24. Corduba quęſtione 60. & 168. Durandus in 4. diſtint. 15. quęſt. 9. num. 7. Toletus lib. 6. cap. 3. num. 2. & 3. Llamas 2. parte method. cap. 5. §. 26. P. Thomas Sanchez tom. 1. ſummę lib. 5. cap. 11. numer. 53. & tom. 2. concl. moral. lib. 5. capit. 1. dub. 19. num. 1. Villalobos in ſumma part. 1. tract. 23. difficul. 8. nu. 1. Ludouic. à Crucę de expoſit. Bullę Cruciatę diſput. 1. cap. 5. dub. 13. num. 4. Pat. Antoninus Diana part. 1. tract. 9. reſolut. 41 & part. 3. tract. 6. reſol. 80. & par 9. tract. 8. reſolut. 66. Trullench tom. 1. in decalog. lib. 3. cap. 2. dub. 2. numer. 3. & 5. Aſcanius Tamburinus to. 2. de iure Abb. diſp. 12. quęſt. 9. num. 5. in vltim Edition. P. Mag. Ioannes Baptiſta Lezana in ſumm. queſtion. Regular. tom. 3. verbo ieiuniū num. 3. vbi ait, conſiſtit autem

hic

Digitized by Google

hic ritus ab eccleſia, & conſuetudine in ieiunio introductus primo, in eo quod abſtineamus à quibuſdam cibis ſcilicet carnibus, ouis, & lacticinijs in ieiunijs quadrageſimalibus. In alijs vero diebus ieiuniorum iure commuui carnibus quidem neceſſario, ouis vero, & lacticinijs iuxta Regionis, & Patrię conſuetudinem. Ioãnes Sãchez in ſelect. diſput. 51. num. 18. Bonacina diſp. vlt. de pręcept. Eccleſ. quęſt. 1. punct. 2. numer. 2. Boſſius de Iubileo ſect. 4. capite 18. num. 33. & ſeqq. Pater Frãciſcus Bardi de expoſitio. bullę Cruciatę part. 2. tract. 3. cap. 2. ſect. 1. à numer. 3. Don Carolus Latius in dilucidat. Bullę Cruc. diſp. 3. quęſt. 1. difficult. 1. à nu. 2. Don Marcus Vidal in ſua Arca vitali tractatu de ieiunio. Inquiſit. 1. num. 50. P. Leander Sanctiſſimo Sacramento par. 3. tract. 5. de ieiuniorum obſeru. diſput. 3. quęſt. 2. Caſtropalaus tom. 4. tract. 25. punct. 7. num. 8. Narbona in Annal. iuris anno 60. quęſt. 3. num. 4.

7 Probatur primo hæc ſentẽtia quia ex cap. denique cõſtat prohiberi in ieiunijs quadrageſimalibus vti ouis, & lacticinijs, per illa veeba ſuperius relata. Par autem eſt, vt quibus diebus à carne animalium abſtinemus, ab omnibus quoq; quę ſementinam carnis trahũt originem ieiunemus, à lacte videlicet, caſeo, & ouis; atqui communis conſenſus Doctorum, tã Canoniſtarum, quam Theologorum ſubſtinet hoc pręceptũ obligare ad mortale peccatum: ergo aſſerendum eſt oua, & lacticinia in diebus quadrageſimalibus eſſe iure prohibita ſub peccato mortali. Maior, & minor ſunt per ſe notę, & conſequẽtia probatur auctoritate fere omnium DD. quę ſanè validũ facit argumentum, vt pręceptum ſupradictum de non edendis ouis, & lacticinijs in diebus quadrageſimalibus obliget ad mortale; cum communis vſus Theologorum, & Canoniſtarum, atque omnium ferè fidelium ſit optima legum interpretatio, vt conſtat ex l. Antiquiſſimus ff. ſi pars hęredit. cap. omnes principes de maiorit. & obedientia, & magis conſtabit ex ſolutione argumentorum oppoſitę ſententię: ergo &c.

78 Secũdo efficaciter probatur noſtra ſententia, quia ſummus Pontifex in bulla Cruciatę cõcedit priuilegium illam habentibus veſcendi ouis, & lacticinijs in diebus quadrageſimalibus, & ſimul prohibet vſum talis priuilegij omnibus eccleſiaſticis in dignitate conſtitutis, omnibuſque Religioſis Regularibus vtriuſque ſexus, & ex ſęcularibus, illis, qui in ſtatu Preſbiteratus ſunt conſtiuti; atqui ſi eſus ouorum, & lacticiniorũ in diebus quadrageſimalibus non eſſet prohibitus in iure dict. cap. Denique diſt. 4. non ſolum Summus Pontifex nihil concederet per prędictum indultum bullę Cruciatę, ſed nec debuiſſet excludere perſonas illas eccleſiaſticas: ergo dum illas excludit à prędicto indulto edendi oua, & lacticinia; euidens ſignum eſt ab ipſo Pontifice ſupponi prohibitionem in iure, atque adeo non ſupponi ſolam conuenientiam contineri in dicto cap. denique. Maior eſt certa, & minor probatur quia ſola conuenientia, ſeu conſilium de abſtinentia lacticiniorum non videtur eſſe ſufficiens ad excludendas tot per-

perſonas eccleſiaſticas ab indulto vniuerſali edendi ouis, & lacticinijs, & deinde quia prędicta excluſio parum, aut nihil operaretur, ipſa enim non obſtante poſſent perſonę excluſę abſque graui culpa, imo, & abſque leui ſi ſolo conſilio per ſacros Canones abſtringerentur ad abſtinendum ab ouorum, & lacticiniorũ comeſtione, quod nemo aſſerit: ergo ſignum eſt quod prohibitio dictorum lacticiniorum contenta in capite denique obligat ſub mortali, & conſequenter quod non ſit cõſilium, ſed eccleſiaſticum precęptum.

79 Ad primum fundamentum oppoſitę ſententię reſpõdetur concedendo maiorem ſcilicet, quod ex cap. denique diſtint. 4. recte colligatur lacticinia eſſe prohibita ſub mortali in diebus quadrageſimalibus, licet non per illa verba. Par eſt &c. ſed per pręceptum abſtinẽdi à carnibus in diebus quadrageſimalibus; quod pręceptũ explicat ſummus Pontifex extendi ad ſementina carnis, oua, ſcilicet caſeum, & lactem, vt optimè notat gloſſa ibi Denique. Caſus. Iſtud caput diuiditur in quinq; partes. In prima parte quęrebat Auguſtinus a Gregorio an Clerici incipere debeant ieiunium à quinquageſima, & reſpondetur quod ſic, vt ſicut loco præcedunt laicos, & ita, & religione præcellant. In ſecũda autem quę incipit ibi de ipſa vero: quęrebatur an laici qui in diebus Dominicis conſueuerint ſollemnius epulari, debẽat à tali conſuetudine remoueri? & reſpondetur quod non ne peiores fiant, & hoc probatur auctoritate Salomonis dicentis, quod qui nimis emungit, elicit ſanguinem. In tertia parte quę incipit ibi: (& poſt pauca) quęrebatur an tempore ieiuniorũ ſit abſtinendum ab ouis, caſeo, & lacte. Et reſpondet Gregorius, quod ſic, quia ſicut à carnibus, ita et ab omnibus, quę trahunt ſementinam originem carnis eſt abſtinendum. Hęc gloſſa. Quare cum Summus Põtifex Gregorius dicit. Par eſt, vt quibus diebus à carne animalium abſtinemus, ab omnibus quoque quę ſementinam carnis trahunt originem, ieiunemus à lacte videlicet caſeo, et ouis. aſſignat conuenientiam, ob quã dicendum eſt quod tale pręceptum ſcilicet de nõ edẽdis carnibus in diebus quadrageſimalibus extendatur etiã ad prohibenda oua, et lacticinia; cũ enim ibi. Põtifex nõ conſtituat nouum pręceptum, ſed declaret ſolum extẽtionem prę cepti iam exiſtentis, nõ debuit vti verbis pręceptiuis, ſed tantum declaratiuis, quibus talem extentionem declaret. Quod totum inſinuat gloſſa verbo ab omnibus. ibi: quod ex quo caro prohibetur; ergo, et omnia, quę de carne procedunt. Vnde conſtat pręceptum de non edẽdis ouis, et lacticinijs in diebus quadrageſimalibus, non eſſe pręceptum diſtinctum à pręcepto de non edendis carnibus in diebus quadrageſimalibus, ſed vnum, et idem; quod ſe extendit ad prohibenda etiam lacticinia in dictis diebus tamquam quid, quod ſementinam carnis trahit originem. Quare neganda eſt minor, ſcilicet nõ colligi ex dict. cap. denique oua, et lactinia eſſe ibi prohibita ſub mortali, in diebus quadrageſimalibus, vt ex ſupradictis aperte cõſtat. Ad probationẽ minoris reſpon-

reſpondetur, quod licet illa particula. Par eſt, non ſit præceptiua, nihilominus nõ explicat aliquid per modum conſilij,& cõuenientiæ,ſed declarat Pontifex in illis verbis prohibitionem carnium in diebus quadrageſimalibus ſe extendere ad prohibenda etiam oua, & lacticinia, quæ ſementinam originem carnis trahunt; vt ſupra diximus,& communiter docent Doctores, tam Canoniſtæ,quam Theologi in dict.cap.Denique.

80 Ad confirmationem ſatis patet ex dictis in præcedenti reſponſione. Quare negandum eſt quod Diuus Gregorius non reſponderit Auguſtino Epiſcopo Anglorum eſſe abſtinendum in quadrageſima à ſementinis, ſeu ab ouis, & lacticinijs,nam vt ſupra diximus. Reſpondit namq; primo eſſe abſtinendum à carnibus,vt fatetur gloſſa, & poſtea reddit rationem, ob quam id affirmauerit dicendo ; par autem eſt &c. Quod ſi dicas hanc affirmatiuam reſpõſionem nõ inueniri in textu. Reſpondeo cum Patre Leandro à ſanctiſſimo Sacramento loco ſuperius citato §. ex quo etiam conſtat. verum eſſe prædictam affirmatiuam reſponſionem in textu non inueniri, ſed hoc eueniſſe quia illum textum trũcauit Gratianus, & ideo omiſſa reſponſione affirmatiua data quæſito Auguſtini, ſolum tranſcripſit rationem,ob quam id prçſtiterit,quod & clare innuit, illa particula, autem, in reſponſione Pontificis interpoſita, cum relatiua ſit; aut expoſitiua, verborũ prçcedentiũ, quod facile videremus ſi tale caput, aut textum inter opera Diui Gregorii inuenire poſſemus; quod ipſe Pater Leander affirmat inuenire non potuiſſe, licet aliàs omnes interrogationes factas Diu.Gregorio ab Auguſtino in operibus Diui Gregorij lib.12.in diſtin.7. epiſt.31. ſæpius legiſſet, nec illam referre Franciſcus Touerius in ſanctionibus Eccleſiaſticis tam Synodicis, quam Pontificis in tertia claſſe operis. Quod idipſum fateri affirmat Couarruuias lib. 4. variar.cap.20.num. 15. per hęc verba. Hæc Gratianus ex Diuo Gregorio apud quem non dum potui reperire. Credendum tamen eſt (inquit Pater Leander) Gratianum dictum caput denique ex exemplaribus Diui Gregorij ſumpſiſſe. Et quidem vt hic Canon auctoritatem habeat, ſufficit auctoritas Eccleſiæ, quæ iam illum approbauit, maxime poſt correctionem, & emendationem factam à Gregorio XIII. vt notauit Barboſa in Collectione Doctorũ in prima parte Decreti ſuper hoc caput ex Viualdo in Candelabro aureo 3. parte cap.15. num. 18. vbi etiam ait non reperiri in libris Diui Gregorij Epiſtolam illam, ex qua deſumitur dictum caput Denique. Ita dictus Pater Leander loco ſuperius citato.

81 Ad ſecundum fundamentum reſpondetur concedendo maiorem, & negando minorem; nam in dicto capite Denique continentur verba ſaltem præſuppoſitiue ſignificantia præceptum, non quidem explicita in textu, ſed præſuppoſita in reſponſione affirmatiua interrogationi Auguſtini Epiſcopi Anglorum, quia vt ſupra diximus Auguſtinus Epiſcopus inquirẽs à Pontifice, vt notat gloſſa an ſicuti in tempore ieiuniorum à carnibus abſtinemus, ita debeamus etiam ab ouis, caſeo, & lacte abſtinere. Reſpondet Pon-

Digitized by Google

tifex quod ſic, & reddens rationem Summus Pontifex inquit, quia ſicuti à carnibus, ita etiam eſt abſtinendum ab eis, quæ ſementinam originem ab illis trahunt, & ideo eadem gloſſa verbo ſic, ab omnibus ita exponit, quaſi dicat ex quo caro prohibetur: ergo & omnia quæ de carne procedunt. Pontifex autem in hoc canone declarat pręceptum abſtinendi à carnibus in ieiunijs quadrageſimalibus extendi ad oua, & lacticinia; ac proinde ſub eadem prohibitione, & præcepto continetur carnes, & lacticinia.

82 Ad tertium fundamentum reſpondetur concedendo maiorem, & negando minorem. nam ſi ſiſtamus in doctrina Fagundez concedentis, quod in dicto capite Denique datur pręceptum de non edendis ouis, & lacticinijs in diebus quadrageſimalibus, cum materia, de qua agitur, grauis ſit, neceſſe eſt, quod tale præceptum obliget ſub mortali, & non ſub veniali tantum, vt vult Fagūdez Quod autem materia grauis ſit ex ſe conſtat, & conſequenter, quod ſit capax obligationis grauis: ergo ſi oua, & lactinia in dicto capite Denique prohibentur ſub præcepto in diebus quadrageſimalibus, debent cenſeri prohibita, vt materia grauis ſub peccato graui, & non ſub veniali tantum.

83 Pater Zacharias Paſqualigus dicta deciſione 71. numero 5. vt effugiat vim prædicti Argumenti docet, quod oua, & lacticinia in dicto capite Denique nullo modo prohibentur ſub pręcepto in diebus quadrageſimalibus; quare affirmat conſequenter, quod ſi quis in diebus quadrageſimalibus vtatur ouis, & lacticinijs ſtando in iure ſecluſa conſuetudiue in contrarium, non peccat nec venialiter. Et quod nullo modo oua, & lacticinia prohibeantur ſub præcepto in dicto capite Denique deducit ex hoc, quia Pontifex inquit, Par autem eſt, vt nos qui his diebus à carnibus animalium abſtinemus, ab omnibus quoque, quæ ſementinam carnis trahunt originem ieiunemus, à lacte videlicet, caſeo, & ouis. In his autem verbis (*inquit Paſqualigus*) nullum continetur pręceptum, quia particula Par eſt non eſt præceptiua, vt per ſe patet, & notat gloſſa ſed tantum ſignificat, quod conueniens, & æquum ſit. Hæc autem Doctrina Paſqualigi ſubſtineri non poteſt; nam prohibitio ouorum, & lacticiniorum, lata, & intimata fidelibus eſt ſub pręcepto in dicto capite Denique, & non propoſita tantum ſub conſilio, & vt quid conueniens dumtaxat, quod ſic oſtendo. Nam in dicto capite Denique (vt ait Gratianus) Auguſtinus Anglorum Epiſcopus quærebat à *Diuo* Gregorio Papa, an ſicut in ieiunijs quadrageſimæ abſtinendum eſt à carnibus, ita etiam abſtinendum ſit ab ouis, & lacticinijs? quod idem eſt, ac ſi quęreret pręfictus Epiſcopus, an præceptum prohibens in quadrageſima carnes extēdatur ad prohibenda oua, & lacticinia. Et reſpondit Pontifex, quod ſic poſteaque aſſignauit rationem conuenientem, & iuſtam, ob quam dictum pręceptum carnis, extendatur etiam ad prohibenda oua & lacticinia, inquiens in dicto capite Denique, Par eſt, vt quibus diebus à carnibus abſtinemus, ab omnibus

quo.

quoque, quæ ſementinam carnis trahunt originem, ieiunemus: ergo cum ibi Pontifex nõ conſtituat nouum præceptum, ſed declaret extentionem pręcepti iam exiſtentis, non fuit neceſſarium alijs verbis pręceptiuis vti, præter verba affirmatiuè reſpondẽtia interrogationi Auguſtini quæ habent vim legis. Quæ doctrina poſtea cõceditur a Paſqualigo, vt vera dicta deciſ. 71. num. 17. vt nos ſupra diximus affirmando Paſqualigum ſtare pro noſtra ſententia, & non pro contraria, pro qua illum citat Pater Leãder à ſanctiſſimo Sacramento, & confirmare eam poſſumus ex iis-quę notat gloſſa in dicto capite Denique, vbi vt ſupra retulimus inquit: in tertia parte quæ incipit ibi (& poſt pauca) quærebatur an tempore ieiuniorum ſit abſtinendum ab ouis, caſeo, & lacte, & reſpondit Gregorius quod ſic, quia ſicut à carnibus, ita ab omnibus, quæ trahunt ſementinam originem carnis eſt abſtinendum. Hæc Gloſſa. Ex quibus verbis manifeſte cõſtat dari in dicto capite Denique præceptũ prohibens ſub mortali oua, & lacticinia in diebus quadrageſimalibus, quamuis non diſtinctum à pręcepto abſtinendi à carnibus in prædictis diebus.

84 Ex dictis infero non poſſe laicos, & multo minus religioſos regulares edere oua, & lacticinia in Dominicis Quadrageſimæ abſque Bulla Cruciatæ, vt latè dixi prima parte tract. 2. de Bulla Cruciatæ Reſolut. 3. & 4. nam eo ipſo quod in dicto capite Denique eodem præcepto prohibentur carnes, & lacticinia in diebus quadrageſimalibus, ſicut non licet veſci carnibus in diebus Dominicis quadrageſimæ: ita nec licebit abſque priuilegio Cruciatæ Bullæ vti ouis, & lacticinijs in dictis diebus Dominicis quadrageſimæ.

RESOLVTIO SEXTA

Vtrum Sutores ratione laboris excuſentur ab obligatione ieiunij Eccleſiaſtici, tam in quadrageſima quam extra illam?

85 Negatiuè reſpondent Angles in florib. quæſt. 6. de ieiunio difficult. 10. Appendic. 1. Toletus in ſumma lib. 6. cap. 4. num. 2. verſu tertia cauſa, licet Pater Leãder à ſanctiſſimo Sacramento affirmet Toletum non ſtare pro hac ſententia, quia ibi Toletus num. 5. ſolũm loquitur de ſartoribus ſaltem expreſſe citat tamen pro hac ſententia Llamas 3. part. cap. 5. §. 21. Luiſium Turrianum in ſumma part. 1. cap. 256. dub. 16. concl. 1. Ludouicum de S. Iuan de ieiunio art. 7. diff. 8. append. 1. Fundamentum horum Doctorum eſt, quia Sutores tantum poſſunt excuſari ab obligatione ieiunij eccleſiaſtici ratione laboris corporalis; atqui labor iſtorum non eſt ſufficiẽs ad eos excuſandos ab obligatione ieiunij: ergo tenentur prædicti ieiunare diebus ab Eccleſia ſtatutis tam quadrageſimæ, quam extra eam. Maior eſt certa, & minor probatur; nam ſutores non videntur multum laborare, cum artem ſuam ſedendo exerceant: ergo labor illorum, non eſt talis, vt eos à ieiunio Eccleſiaſtico ſeruando excuſare valeat.

Digitized by Google

86 Secunda, & probabilior ſententia affirmat Sutores ratione laboris eſſe liberos ab obligatione ieiunij eccleſiaſtici. Ita Azorius tom.1.lib.7.capit.17.quæſt.8.(non 18. vt citat Paſqualigus) Reginaldus lib.4 praxis fori penitent.cap.17.ſect.2.num.16.Leſſius lib.4.de iuſtit.& iure cap.2.dub.6.numer.43. Fagundez in præcepta Eccleſ. præcept.4.lib.1.cap.8.num.15. Thom.Sanchez tom.2.conſil.moral.lib.5.cap.1.dub.7.nu.5. Trullench lib.3.in Decalog.cap.2.dub.7.numer.8.Laiman lib.4.theolog.moral.tractat.8.cap.3.num.3 Bonacina diſput.vlt.de legib.quæſt.1.punct.vlt.num.10. Ghilinus in ſumma verbo ieiunium num.21.littera N. Diana part.1.tract.9.reſol.7.Pater Leander à ſanctiſſimo Sacramento part.3.tractat.5.diſput.8.queſt.66. Paſqualigus in praxi de ieiunio deciſ.296. Don Carolus Malletus in auro Theolog.moral.to.2.Malleat.2.bractea 45.Probatur hæc ſententia, quia Eccleſia non obligat ad ſeruandum ieiunium Eccleſiaſticum cum graui incommodo;atqui labor ſutorum eſt huiuſmodi, cum eis non ſufficiat vnica refectio, quæ neceſſaria eſt ad obſeruationem ieiunij Eccleſiaſtici, quod petit eſſentialiter abſtinentiam à carnibus,& vnicam tantum refectionem diurnam: ergo Sutores ratione laboris non tenentur ad obſeruationem ieiunij Eccleſiaſtici; quæ ratio non ſolum militat de Sutoribus pauperibus, ſed etiam de diuitibus, qui nulla neceſſitate coguntur ad ſic ſeruiliter laborandum, cum in omnibus eadem reperiatur ratio excuſationis ab obſeruatione ieiunij.

87 Ad fundamentum contrariæ ſententiæ reſpondetur concedendo maiorem, & negando minorem;& ad probationem ſubſumptam dico, quod quamuis Sutores ſedentes laborent; adhibent tamen magnum conatum, & non ſolum manus,& brachia labori applicant, ſed etiã crura, & pedes, vt calceos contineant, dum vtroque brachio ſuunt, vnde ex tali labore relaxatur totum corpus, & cũ continuus ſit valde magnus cẽſendus eſt.

88 *Limitat autem primo* hanc opinionem Paſqualigus *dicta* deciſ.*296*.num.3. affirmans ſupradictam doctrinam locum non habere, quando calcei cõficiuntur ex molli materia, & ſubtili, nam tunc facile conſuũtur abſque conatu, & vi; nec plus laboris interuenit, quam interueniat in ſuendis veſtibus: vnde ſicuti Sartores non excuſantur à ieiunio ſecundum opinionem probabiliſſimam. ita nec ipſi Sutores.

89 Sed hæc limitatio mihi non probatur. Iudico enim etiam in ſupradicto caſu Sutores excuſatos eſſe ab obſeruatione ieiunij. ita docet Diana parte 10.tract.16.reſol.*77*.verſu nota etiam.Boſſius in moral.tom.3.titul.21.§.2.num.*63*.*in principio* & fine. Pater Leander à ſanctiſſimo Sacramento dicto tractatu 5.diſput.8.quæſt.*67*. quia valde probabile eſt excuſari à Ieiunio ſartores tota die laborantes, vt ex poſtea dicendis in hoc tractatu conſtabit: ergo etiã prædicti Sutores qui calceos ex molli materia cõficiunt, cum vtrorumque eadem ſit ratio, & priuilegium.

90 Secundo limitat idem Paſqualigus dictam opinionem cũ

Patre

Patre Thoma Sanchez tom. 2. conſil.moral.lib.5.cap.1.dub.7. num.5.deciſ.296. numer.4. vbi loquens de his, qui calceos incidunt, & poſtea tradunt alijs conſuendos, affirmat non excuſari à ieiunio, quia inciſio corij magis artificioſa eſt, quam laborioſa, nec requirit multũ conatum, ſed valde mediocrẽ. Quamuis ibidem doceat, quod ſi tota integra dies in hoc exercitio conſumeretur cum magna applicatione, & celeritate, tunc probabile eſſe, quod ceſſet obligatio ieiunandi, quia tunc labor ratione durationis, & cõtinuationis, atque maximè incumbentiæ, fit magnus atque generans notabilem laſſitudinem. Huic limitationi aſſentio ſuppoſita diſtinctione facta à Patre Paſqualigo ſcilicet prędictos teneri ad ſeruandum ieiuniũ, ſi in dicto exercitio partem tantum diei conſumant, quod ſolum probat ratio facta pro Sancio; excuſari vero à ieiunio ſi integrum diem in inciſione conſumant calceorum, vt bene notat Paſqualigus ibidem dict.num.4.

RESOLVTIO SEPTIMA

Vtrum Sartores, & Barbitonſores ratione laboris, excuſentur ab obligatione ieiunij Eccleſiaſtici.

91 NEgatiuam ſentẽtiam ſubſtinent Azor.part.1.lib.7.cap.17.quæſt.8. verſu quęres etiam. Abulenſ. quęſt. 143. in caput ſextum Matth. Reginald. in Praxi Fori Pęnitent. lib.4.cap.16.num.216. Filliuc. tract.27.part.2.cap.6. num.17. Molfeſ. tom.1.ſummæ tractat. 10.cap.4.numer.43.Raguſ.in Vaſe Eccleſię diſciplinę pręcept.7.quæſt.30.num.9. Leſſius lib.4.de iuſtitia, & iure cap.2. dub.6.numer.43.Laiman.lib.4. Theolog.moral.tract.8. cap. 3. num.3. Villalobos tom. 1. ſummæ tract.23.difficult.4.num.7. Tannerus 2.2.diſput.3.quæſt 3. dub.5.num.102.Ioannes à Cruce in Directorio conſcientiæ pręcept.3.art.4.dub.9 concl 2. Bonacina diſput.vlt.de legibus quęſt.1,punct.vlt.num.12.Baſſæus in florib.theolog.practicę verbo ieiunium. 2.num.8. Angles in florib.quæſt. 1.de ieiun. difficult.10.appendic.1.Thom. Sanchez tom. 2. conſil. moral. lib.5.cap.1.dub.7.num.7. Ghilinus in ſumma verbo ieiunium Toletus lib.6.cap.4.nu.5. Trullench.lib.3.in Decalog, cap. 2. dub.7.num.9.quos citat, & ſequitur Pater Zacharias Paſqualigus in praxi de ieiunio deciſ. 305. numer. 5. quem ſequitur Diana part.8.tract.7. reſol. 55. verſu ſed ego. in fin. Deinde hanc ſententiam tenent Quintana dueñas de Iubileo cap. 8. num.17. Ioannes Sancius diſp. 54.num.16. Fundamentum huius ſententię eſt, quia intantũ aliquis intelligitur excuſatus à lege ieiunij Eccleſiaſtici ratione laboris, in quantũ per laborem exhauriuntur vires, quia tunc eſt neceſſaria ſubiecto laboranti, multiplex comeſtio; atqui per laborem ſartorum, & barbitonſorum non exhauriũtur vires, cum fiant cum labore valde moderato, ideoque poteſt corpus optime reſiſtere cum ieiunio: ergo ſartores, & barbitonſores ratione ſui laboris non excuſantur ab obligatione ieiunij Eccleſiaſtici.

92 Secunda, & probabilior ſententia affirmat ſartores, & barbitonſores tota die laborantes

in

Digitized by Google

in ſuis officijs, eſſe excuſatos ab obligatione ieiunij. Ita Fagundez in præcept. Eccleſiæ precept.4.lib.1.cap.8. num. 15. & 16.& pręcipue Editione ſecunda, vbi hęc addidit verba: Et quamuis Ioannes Sanchez Pater Ledeſma, Graffis, Vega, Toletus, Geſſius, Villalobos, & Filliucius Sartores, & Barbitõſores non excuſent ob exiguũ laborem, quem habent; tamen non video rationem ob quam non excuſentur, cum Artifices, & Opifices excuſet Eugenius IV. vt vidimus hic, & num. 15. Et cum Papa eos excuſet, contra rationem videtur velle eos ad ieiunium obligare. ita Fagundez. Ledeſma 2. part. quęſt. 17. art. 3. dub. 9. Ioannes Macchadus de PerfectoConfeſſario to. 2. lib. 6. p. 8. tract. 7. docum. 5. nu. 2. & ſeqq. Diana parte 10. tract. 16. reſ. 77. verſu nota etiã. Quamuis contrariam ſententiam tenuerit parte 8. vt ſupra. Pater Leander à ſanctiſſimo Sacramento parte 3. tractat. 5. diſput. 8. quęſt. 69. & 70. Ioannes Enriquez in ſumma ſect. 16. quęſt. 27.

93 Probatur noſtra ſententia primo ex declaratione facta ab Eugenio IV. anno 1440. vbi declarauit quod Artifices laborioſa opera exercentes, & ruſtici, ſiue ſint diuites, ſiue pauperes, non tenentur ad ieiunium ſub pręcepto; atqui ſi aliqui ſunt Artifices, quibus proſit prædictum indultum, ſunt ſartores, & barbitonſores tota die laborantes: ergo ratione huius priuilegij, & indulti cenſentur excuſati ab obligatione ieiunij.

94 Nec valet ſi reſpondeas, cum Paſqualigo dicta deciſ. 305. nu. 2. quod Pontifex loquitur in ſupradicto Indulto tantum de Artificibus, qui exercent artes laborioſas, vt teſtantur Doct. qui mentionem faciunt, de hac declaratione, & de his indiſcriminatim loquitur, ſiue diuites ſint, ſiue pauperes. Hoc inquã non valet, nam vt bene notat Pater Leander à Sanctiſſimo Sacramento de ijs, qui laborioſas exercent artes, vt Argentarij, Ferrarij, Agricolæ, Toſſores, & ſimiles, non potuit eſſe dubium, an illi tenerentur ad ieiunium, cum de ſe conſtaret ad id, non teneri: ergo de alijs Artificibus, debuit dari declaratio: ergo in dicto Indulto comprehenduntur ſartores, & barbitonenſes tota die laborãtes, cum ars ſartoria, & barbitenſoria inter laborioſas artes comprehendi debeat.

95 Secuudo probatur noſtra ſententia, quia quotieſcumque labor corporalis eſt magnus, vt ſufficiat ad exhauriendas vires naturales, toties ſic laborantes excuſentur ab obligatione ieiunij Eccleſiaſtici; atqui labor ſartorum, et barbitonſorum tota die laborantium, eſt magnus, et ſufficiens ad exhauriẽdas vires naturales, vt experiẽtia conſtat: ergo ſufficienter pręd icti manent excuſati ab obligatione ieiunij ratione pręd icti laboris. Notanter dixi, ſi tota die in ſuis officijs laborẽt, non teneri ad obſeruationem ieiunii, nam ſi per aliquam tãtum diei partem exerceãt ſuas artes, non dubito pręd ictos teneri ad obſeruationem ieiunij.

96 Ad fundamentum oppoſitę ſententię reſpondetur concedendo maiorem, et negando minorem, ſi pręd icti ſartores, et barbitonſores tota die in ſuis officijs laborent, ſecus autẽ

ſi

ſi per ſolam aliquam diei partem; nam vt ſupra diximus in ſecunda probatione noſtrę ſententiæ ſartores, & barbitonſores, qui in ſumunt integrum diem laborando in ſuis officijs, etiam ſi ſartores totum diem inſumant in ſuendis veſtibus, cum magna applicatione, & celeritate, eorum labor ratione durationis, & continuationis, atque maximæ incumbentię reputandus eſt magnus, & conſequenter ſufficiens, vt eos excuſet ab obligatione ieiunij, quod de ſutoribus qui calceos incidunt, & poſtea tradunt alijs cōſuendos concedit prędictus Paſqualigus deciſ. 296. num. 4. per hęc verba; ſi tamen tota integra dies in hoc exercitio inſumeretur cum magna applicatione, & celeritate, tunc probabile eſt, quod ceſſet obligatio ieiunãdi, quia tunc labor ratione durationis, atque maxime incumbentię ſit magnus, atque generans notabilem laſſitudinem: ſic ille. Quod, & nos idem dicimus de ſartoribus, & barbitonſoribus tota die in ſuis officijs laborantibus, cum in vtroque caſu currat eadem ratio.

RESOLVTIO OCTAVA.

Vtrum fabriferrarij, & foſſores, qui à ſuis laboribus, ſeu laborioſis exercitationibus aliquo die ieiunij vacant, teneantur in dicto die ſeruare pręceptum ieiunij?

97 IN hac reſolutione, vt certum ſuppono Fabriferrarios, & foſſores, quando ſuas artes laborioſas exercent, eſſe excuſatos ratione laboris ab obligatione ſeruandi ieiunium Eccleſiaſticum. Ita communiter *Do*ctores Abulenſis quæſt. 143. in cap. ſextum Matth. Mayor in 4. diſt. 15. quęſt. 3. Roſella verbo ieiunium num. 10. Angel. num. 15. Laiman. lib. 4. theolog. mor. cap. 3. num. 3. verſu quarta cauſa; Molſ. part. 1. Summæ tract. 20. cap. 4. num. 41. Leſſius lib. 4. de iuſtitia, & iure cap. 2. nu. 42. Filliuc. tractat. 27. part. 2. cap. 6. numer. 118. Reginald. in Praxi fori pœnit. lib. 4. cap. 16. numer. 213. Hieronymus Peres part. 1. ſummæ Theol. cap. 3. §. de ieiunio. Sà verbo ieiunium num. 9. Ortiz in ſumma cap. 19. nu. 15. Caietanus in ſumma verbo ieiunium cap. 3. Ghilinus in ſumma verbo ieiunium num. 21. litera N. Ioannes à Cruce part. 1. Direct. Conſc. pręcept. 3. art. 3. num. 7. Rodriquez 1. parte ſummę cap. 25. numer. 5. Bonacina diſp. vlt. de legib. quęſt. 1. punct. vlt. num. 8. Ioannes Sanchez in ſelectis de Sacramentis diſput. 54. num. 14. verbo exhimuntur. P. Thom. Sanchez tom. 1. conſil. mor. lib. 5. cap. 1. dub. 7. Baſſeus in florib. theol. mor. verbo ieiunium 2. numer. 7. Aſcanius Tamburinus to. 2. de iure Abb. diſp. 12. quęſt. 5. n. 9. Trullench lib. 3. in Decal. cap. 2. dub. 7. nu. 9. P. Magiſter Ioannes Baptiſta Lezana tom. 3. ſummę Regular. verbo ieiunium numer. 8 cum Diuo Thoma 2. 2. quęſt. 147. art. 4. ad 2. & ibidem Caietanus verſu in eodem articulo circa operarios aduerte, & alij plures; quos citat, & ſequitur Paſqualigus in praxi de ieiunio deciſ. 290. Don Carolus Mallettus in auro Theol. moral. tom. 2. de pręcept. Decalogi, & Eccleſię malleat. 2. bractea 45. in 4. pręceptum Eccleſię. Et ratio eſt manifeſta, quia Eccleſia non obligat ad ſeruandum ieiuniũ Ec-

Eccleſiaſticum cum notabili incommodo fidelium; atqui Fabriferrarij, & foſſores in exercitio huiuſmodi artium maximè laborant, & valde fatigant corpus: ergo ratioue iſtius laboris ſufficienter manēt excuſati ab obligatione ſeruandi ieiunium Eccleſiaſticum.

98 Quare tota difficultas in prę ſenti eſt, an prędicti Artifices teneantur ieiunium Eccleſiaſticum ſeruare in illis diebus, in quibus non laborant; vel cenſeantur à dicta obligatione ſufficienter excuſati. Prima ſententia in hac difficultate cum limitatione loquitur, ait enim; quod caſu quo prędicti laborātes ſint fatigati, aut debiles ex labore prçterito, aut futuri ſint debiles ad laborandum ſequenti die, quod excuſantur ab obligatione ieiunij in dictis diebus in quibus non laborant, ſecus autem, ſi non ſint nimis fatigati, aut debiles ex labore prçterito, nec futuri ſint debiles ad futurum laborem ſequētis diei. Ita Angles quęſt. 6. de ieiunio difficult. 10. num. 2. Medina lib. 1. summę cap. 14. §. 10. Bonacin. loco ſuperius citato verbo addo cum Medina. Reginald. in praxi fori penit lib. 4. cap. 16. nu. 114. Filliuc. tract. 27. cap. 6. nu. 121. Siluius in 2. 2. Diui Thomę quęſt. 147. art. 4. Villalobos to. 1. ſummę tract. 23. diffic. 4. n. 9. Ledeſma in ſumma tract. 27. ca. 2. dub. 3. poſt quintam concluſionem. Vega 1. parte ſummę capite 14. caſ. 38. Ioannes Sancius in ſelect. de ſacram. diſput. 54. num. 15 in editione Lugdunenſi. Ludouicus Lopez 2. par. inſtruct. caſuum conſcient. cap. 110. Molfeſius part. 1. ſummæ tract. 10. cap. 4. num. 42. Fundamentum huius ſententię eſſe poteſt quia intantum prędicti Artifices excuſantur ab obſeruatione ieiunij Eccleſiaſtici, in quantum ratione laboris debilitantur eis vires corporis, & conſequenter indigent pluribus refectionibus in qualibet die ad vires corporis recuperandas, ex eo quod abſque eis non poterunt ſuſtinere longū, & continuum laborem, vel ex eo quod ratione laboris prçteriti, ita debiles remanent, vt cōmodè non poſſint ſequenti die laborare; atqui ſupponimus poſſe dari caſum, in quo non remaneant debiles ex prçterito exercitio ſuarum artium, nec ſint debilrs pro ſequenti die, itaut non poſſint commode laborare abſque obſeruatione ieiunij Eccleſiaſtici: ergo prędicti Artifices in dicto caſu manent obligati ad obſeruandum ieiunium illis diedus, in quibus à dicto labore abſtinentur.

99 Secunda ſententia, & quę mihi verior, & probabilior videtur abſolute, & abſque aliqua limitutione docet prędictos fabriferrarios, & foſſores nō eſſe obligatos ad obſeruandum ieiunium eccleſiaſticum illis diebus, in quibus ab exercitio ſuarum artium ſe abſtinēt. Ita Ioānes à Cruce in Directorio Cōſcientię part. 1. prçcept. 3. art. 4. dub. 9. concluſ. 2. Fagundez in prçcepta Eccleſ. prçcept. 4. lib. 1. cap. 8. nu. 16. Thom. Sanchez tom. 2. conſil. mor. lib. 5. cap. 1. dub. 7. num. 10. Diana parte 1. tract. 9. de ieiunio reſolutione 9. Trullench. lib. 3. in Decalog. cap. 2. dub. 7. num. 8. Baſſeus in Florib. Theol. mor. verbo ieiunium 2. numer. 2. Ioannes Enriquez in ſumma ſect. 16. quęſt. 28. Paſqualigus in praxi de ieiunio deciſ. 293. nu. 2. P. Leāder à ſan-

Digitized by Google

Sanctiſs. Sacramento parte 3. tract.5.diſp.8.quæſt.64.vbi pro hac opinione citat Azorium tom.1 lib.7.capit. 17. (alias 27.) quæſt.8. ſed non recte, quia *Azorius* non ſuſtinet hanc opinionem, licet eam probabilem apellet. Sic enim inquit, ſed quæſtio eſt an lege ieiunij teneantur operarij eo die, quo diurnum laborem, et operam intermittunt? quā quæſtionem mouet eo ꝙ huiuſmodi operarij minime ieiunis aſſueti ſolent nimium affictari, ſi ieiuniumſeruare cogantur, cum labore ſolito ſuperſedent. Deinde labore diei precedentis ita feſſi, ac defatigati ſunt, vt ſi ſemel tantum in die proxime ſequēti comedant, grauiter diu exerunt. Reſpondet quidem arbitrio boni viri eſſe decernendam; ita ut tutò aliquod ieiunium ſol uant, ne interempti ad labores, & operes impoſterum reddantur, aut quia ex labore præterito nimium defatigati ſunt; probabilis eſt opinio. Hæc Azorius. Eamdem ſententiam tenet Don Carolus Mallettus in Auro theol.mor.tom..2.tract.de præcep. Eccleſiæ malleat. 2. bractea 45.

100 Probatur noſtra ſententia, quia manente eadem cauſa vera, aut prudenter exiſtimata, excuſante ab obligatione ieiunij, precæptum ieuinii, nō obligat; atqui fabriferrarii; et foſſores in die, in qua ab exercitio ſuarum artium ſe abſtinent, vel ratione diei feſtiui, vel alia rationabili de cauſa, habent eamdem cauſam veram, aut ſaltem prudenter exiſtimatam, eos excuſantem ab obligatione ieiunij prędicti diei: ergo tuta conſciētia, & abſque aliquo conſcientię ſcrupulo poſſunt in dicto die non ieiunare. Maior eſt manifeſta, & minor probatur, quia prædicti Artifices licet in illo die nō laborent, ſatis tamen eſt cauſa ſufficiens ad eos excuſādos ab obligatione ieiunij, quod die præcenti labouerint, & die ſequēti ſunt laboraturi, ob quā cauſant, manent nimis defatigati, & laſſi ex præcedenti labore, & neceſſitati ad corroborādas vires, vt commodè poſſint ſequenti die laborare: ergo remanet tunc ſufficiens cauſa vera, vel ſaltem prudenter exiſtimata eos excuſans ab obligatione ieiunij in dicto die, in quo à labore ſe abſtinent præſertim cum ſupradicti artifices nō ſint aſſueti ieiunijs, & nimium affligerentur ſi ieiunium ſeruare cogerentur, cum labore ſolito ſuperſedent: ergo legitime manent excuſati in dicto caſu ab obligatione ieiunij.

101 Aduertendum tamen eſt cū P. Thoma Sanchez, & P. Leandro à ſanctiſſimo Sacramento locis ſuperius citatis, quod ſi prædicti fabriferrarij, & foſſores à labore ſe abſtiaeāt per tres aut quatuor dies continuos, ꝙ in tali caſu tenentur aliquos illorū ieiunare, nempe diebus intermedijs excepto primo, & vltimo, & ratio huius eſt quia tūc in tot diebus eſt tempus opportunū ad recuperandas vires, & ad recreationē, vt continuēt laborem non ieiunando vnū, vel alterum diem: ergo reliquos ieiunare tenentur.

102 Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ reſpondetur cōcedēdo maiorē, & negando ſuppoſitū minoris generaliter loquēdo, nā fere ſemper, imo, & moraliter loquēdo ad minus ſēper prædicti artifices propter hoc laborioſū op⁹, quod exercent, manēt ex labore diei præcedētis

Rr

tis, ita fatigati, vt ſi ſemel tantũ in die proxime ſequenti comedant, grauiter vexentur, & reddantur inepti ad laborem ſequentis diei ſuſcipiendũ; atque adeo in illis manet ſufficiẽs cauſa eos excuſans ab obligatione ieiunij in dicto die, in quo non laborant, & conſequenter abſoluti ab obligatione ieiunij, vt ex probatione noſtræ ſententiæ conſtat.

RESOLVTIO NONA.

Vtrum mulieres prægnantes, & lactantes etiam ſi robuſtę ſint, teneantur ad obſeruationem ieiunij eccleſiaſtici?

103 QVantum ad primam partem reſolutionis cõmuniter reſpõdent DD. Mulieres prægnantes, & lactẽtes nõ eſſe, obligatas pręcepto ieiunij. Ita Caietanus in ſumma verbo ieiunium cap. 3. verſu excuſãtur infirmi, vbi ſic ait, excuſantur infirmi, & debiles manifeſte, aut iuſſu medicorũ habentiũ timorẽ Dei. Mulieres prægnantes, & lactãtes, quia egẽt alimẽto multiplici, ſicut illi qui creſcũt, ſcilicet pro ſe, & pro fœtu, ſeu prole & 2. 2. qu. 147. art. 4. verſu ad ſecundum ibi ad ſecundũ de pręgnantibus, & lactantibus dicitur, quod niſi ſint mulieres, adeò robuſtę naturę, vt vnica comeſtione poſſint tantum alimẽti ſumere, & digerere, quod ſat, ſit, pro ſe, & fœtu, ſeu prole, non tenentur ad ieiunium, imo peccarent ieiunando propter nocumẽtum prolis. Communiter autem mulieres non ſunt tam robuſtę naturę. propter quod concludendum eſt, quod ſecundùm legem, quę ſit, vt in pluribus appellatione potentium ieiunare, non veniunt mulieres prægnantes, aut lactantes. Quare non rectè Amadeus Guimen. in opuſculo aduerſus quorumdam expoſtulationes contra nonnullas Ieſuitarum opiniones morales tract. de ieiunio propoſit. 5. affirmat Caietanum nulla adhibita limitatione defendere mulieres prægnantes, & lactantes non teneri ad obſeruationem ieiunij Eccleſiaſtici; cum contrarium cõſtet ex verbis relatis ipſius Caietani 2. 2. quęſt. 147. artic. 4. qui quamuis in ſumma loco ſuperius citato nullam limitationem ponat, tamen ibidem cap. 4. in omnia, quę refert de ieiunio ſe citat iuxta à ſe dicta in dicta 2. 2. dict. quęſt. 147. Quare debemus iudicare ipſum loqui in dicta ſumma iuxta à ſe dicta in dicta quęſt. 147. 2. 2. ergo cum ibi non loquatur abſolute, ſed cum limitatione, vt ex verbis illius ſupra relatis conſtat in eodem ſenſu debemus ſentire, loqui in dicta ſumma dicto cap. 3. verbo ieiunium. Toletus in ſumma lib. 6. cap. 4. Angel. verbo ieiunium num. 15. Silueſter ibidem nu. 24. Nauarr. in manual. cap. 21. nu. 16 verſu prima ſcilicet. Valentia to. 3. diſp. 9. quęſt. 2. punct. 5. verſu itẽ excuſantur. Siluius 2. 2. quęſ. 147. artic. 4. verſu tertius modus Tanner. 2. 2. diſp. 3. ſect. 3. dub. 5. n. 100. Leſſ. lib. 4. de iuſtit. & iure cap. 2. dub. 6. n. 40 Filliuc. trac. 27 p. 2. c. 6 n. 114. Regin. lib. 4. praxis fori pęnit. c. 17. n. 210. Trull. lib. 3 in decal. c. 2. dub. 7. n. 5. Bonac. de pręc Eccl. diſp. vlt. q. 1. pũct. vlt. n. 3. Sà verb. ieiun. n. 9. 10. à Cruc. in direct. conſc. p. 1. pręc. 3. art. 4. dub. 8. n. 7. Hiero. Perez p. 1. ſum. pręc. 3. §. de ieiun. Baſſ. in flor. theol. mor. verb. ieiun. 2. n. 6. Laim. l. 4. theol. mor. tract. 8. cap. 3. n. 3. Ortiz in ſumma cap. 19. num. 15. Ludo

Digitized by Google

Ludouico à S. Ioanne in ſumma part.1. tract.de Ieiunio art. 6.Thom. Sanchez tom.2. conſil.mor.lib.5.cap.1.dub.14. nu. 12. Diana part.1.tract.9. de ieiunio reſol. 14.Ioann.Sanchez in ſelect. de Sacram.diſput. 54. num.12.Fagundez in præcepta Eccleſiæ præcept.4.lib.1.cap.8. num.14.& alij quos citat, & ſequitur P.Zacharias Paſqualigus in praxi de ieiunio deciſ. 286. P.M.Ioannes Baptiſta Corrad. reſponſ.caſuum Conſc. part. 1. quæſt. 250. §. Infirmi etiam, & debiles. P.Leander à ſanctiſſimo Sacramento part. 3. tract. 5.diſput.8.quæſt.54.D.Carolus Malletus in auro theol. moral. tom.2.tractat. de præcept. Eccleſiæ malleat.2. bractea 42. de præcepto ieiunij. Et ratio eſt manifeſta, quia mulieres Prægnantes, & lactantes, non ſolum habent ſeipſas ſuſtentare, ſed etiam infantulum, ſeu prolem, vnde debet cibus eſſe ſufficiens pro duabus perſonis; atqui in vnica comeſtione non poteſt femina ſumere tantum cibi, quod ſibi, & infantulo ſeu proli ſufficiat: ergo mulieres prægnantes, & lactantes nõ tenentur ad obſeruationem ieiunij Eccleſiaſtici. Patet conſequentia, quia vnica comeſtio in die ieiunij habetur tamquam maceratiua pro ſingulis perſonis ieiunantibus: ergo multo magis erit maceratiua reſpectu mulieris prægnantis, vel lactantis, quæ ſibi, & Infantulo, ſeu proli, prouidere debet de alimento. Et in fæminis grauidis militat ſpecialis ratio, quia ſæpe appetunt vehementer aliqua, & niſi deſiderio ſatisfaciãt ſuo, periculũ eſt ne fœtus proijciatur, ideoque neceſſe eſt, vt cibo reficiantur nutriendi, & educendi cauſa fœtum.

104 Circa ſecundam partem reſolutionis, an ſcilicet mulieres pregnantes, & lactantes caſu, quo ſint robuſte, itaut vnica refectione poſſint ſeipſas, & Infantulos ſuſtentare, teneantur ad obſeruationem ieiunij Eccleſiaſtici. Affirmatiue reſpondent Caietanus loco ſuperius citato ex 2.2. Graffis 1.part.lib. 2.cap.37. num.44.Silueſter in ſumma quæſt.9.Fagundez loco ſuperius citato. Philiarcus de officio Sacerd.tom.1.part.2.lib 3.cap.25.Abulenſis in ſextum cap. Matth.quæſt.146. Fundamentum huius ſententiæ eſſe poteſt, quia ceſſante iuſta cauſa vera, aut prudenter exiſtimata, quæ ſufficiat ad excuſandum à ieiunij obligatione, pręceptum de ieiunio ſtat in poſſeſſione ſua, & obligat ad ſui obſeruationem; atqui in mulieribus pręgnantibus, & lactantibus, quæ ita robuſte ſunt, vt vnica refectione poſſint ſeipſas alere, & Infantulos ceſſat omnis iuſta cauſa excuſans ab obligatione ieiunij: ergo in prædicto caſu mulieres pręgnantes, & lactantes tęnentur pręcepto ieiunij, ſiquidem abſq; proprio & Infantulorum incommodo poſſunt præceptum ieiunij obſeruare.

105 Secunda, & probabilior sẽtentia negat mulieres pręgnãtes etiamſi ſint robuſtæ naturę, & idem eſt de lactantibus teneri ad obſeruationem ieiunij.ita Molfeſ. tom.1. ſummæ tractat. 10.cap.4 num.40.Pater Zacharias Paſqualigus dict.deciſ.286 P.Leander à ſanctiſſ. Sacram. dict.tract.5.diſput.8. quæſt.55. D.Carolus Mallettus dict.malleat.2.bractea 52. in fine & alij apud ipſos. Et Probatur noſtra

ſententia, quia mulieres prægnantes, & lactantes vniuerſaliter loquendo non ſunt. ita robuſtæ naturæ, vt vnica refectione poſſint ſeipſas, & fœtum ſubſtentare: ergo abſolute, & abſque aliqua limitatione aſſerendum eſt non eſſe obligatas ad obſeruationem præcepti ieiunij etiam ſi naturæ robuſtæ ſint. Probatur Conſequentia, tum quia lex ad ea, quæ accidere frequenter ſolent, adaptatur. l. ex his. & l.ſeq. nam de ea ff. de legibus: ergo cum prægnantes & lactantes vt in plurimum nõ poſſint ieiunare abſque præiudicio infantuli, vt vſus Eccleſiæ approbat, omnes debent, aut poſſunt eodem vti fauore. Tum etiam quia robur maius corporis maius alimentum petit: ergo mulieres prægnantes, & lactantes, etiamſi robuſtæ ſint, indigent etiam maiori cibo ad ſeipſas ſubſtentandas; ergo illa maior quantitas, quam in vnica refectione ſumere poſſunt, eſt pro illis neceſſaria, & parum pro Infantulo prodeſſe poteſt: ergo ad alendum Infantulum, & conſeruandam eius vitam, indigent maiori quantitate cibi, & conſequenter pluribus refectionibus indigebunt, ac per conſequens non erunt obligatæ ad obſeruationẽ ieiunij prædictæ mulieres prægnantes, & lactantes quantumuis naturæ robuſtæ ſint.

106 Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ reſpondetur conceſſa maiori, negando minorem, nam illa maior quantitas cibi, quam in vnica comeſtione poſſunt prædictæ mulieres prægnantes, & lactantes robuſtæ naturæ ſumere, eſt pro illarum ſubſtentatione neceſſaria, & parum, aut nihil prodeſt infantulo, vt ex dictis in noſtra probatione conſtat, & ſic ad ſeipſas ſubſtentandas, & prolem egent in die, pluribus refectionibus. Deinde quia cum generaliter prædictæ mulieres prægnantes, & lactantes non ſint robuſtæ naturæ, & conſequẽter ſint excuſatæ ob hanc cauſam ab obligatione ieiunij nihil intereſt, quod per accidens eueniat, quod aliquæ reperiantur robuſtæ naturæ, vt poſſint vnica comeſtione ſeipſas, & prolem ſuſtentare; nam prædictum accidens non eſt ſufficiens cauſa prædictas excludendi à priuilegio non ſeruandi præceptum ieiunij Eccleſiaſtici, vt conſtat ex ſuperius dictis in probatione pro noſtra ſententia.

107 Ex dictis colligo mulieres prægnantes non teneri ad obſeruationem ieiunij, ſiue cum periculo prolis, ſiue ſine illo ad vincendas tentationes carnis, cum ieiunium non ſit medium vnicum, & neceſſarium ad prædictas tentationes vincendas, nam præter ieiunium ſuppetunt alia remedia, non ſolum ſpiritualia, vt frequentationes Sacramẽtum, orationes, & alia huiuſmodi, verum etiam corporalia, vt flagellationes, genuflexiones, & huiuſmodi, ideoq; non poſſunt prædictæ fœminæ exponere prolem periculo mortis ieiunando, cum ſibi abſque ieiunijs prouidere poſſint; & quod ieiunando exponant prolem periculo mortis, eſt manifeſtum, non ſolum quia ſunt in periculo abortus, ſed etiam, quia vnica comeſtio non eſt ſufficiens ad ſeipſam, & prolem ſuſtendendam. Quare cõtinuatio ieiunij, vt in tempore quadrageſimæ accidit, erit maximè nociua prõli, & eam exponeret peri-

periculo mortis, quod nullo modo licitum eſt, vt ex ſe manifeſte conſtat.

RESOLVTIO DECIMA.

Vtrum mulieres quinquagenariæ ſint ſolutę ab obligatione ieiunandi?

108 NEgatiuam ſententiam ſuſtinent Laiman libr. 4. Theolog. moral. tract. 8. cap. 3. (non 1. vt inuenies apud Leandrum à ſanctiſſimo Sacramento loco inferius citando) nu. 2. vbi ſic ait: illud vero multo in probabilius eſt, quod aliqui apud Sanchez omnes fœminas quinquagenarias, quippequę natura debiliores citius ſeneſcere ſolẽt, à lege ieiunij liberent. In qua ſententia refutãda non immoror, cum ipſe tandem Sanchez concludat eam in praxi non eſſe tutam, neque ſcio aliquem Doctorem claſſicum, qui eam defenderit. Hęc Laiman. Ioannes Sancius in ſelect. diſput. 54. num. 11. Fagundez in pręcepta Eccleſiæ pręcept. 4. lib. 1. cap. 8. num. 11. vbi ſic ait. quęſtionem hanc ſolus tractat, & excitauit Sancius lib. 7. de matrimonio diſput. 32. num. 17 ad medium, & procedẽs ex ſuo fundamento, & in aliquibus rationibus philoſophicis communiter excuſat fœminas quinquagenarias, quia vſq; ad eam ætatem generare poſſunt, & in maiori ætate non poſſunt ob defectum virtutis naturalis, virtus enim generandi communiter in fęminis vſque ad 50. annum extenditur, in viris vero vſque ad 60. ſtatim vero corrigens ſe ita quidem ait, ſed reuera mecum re bene conſiderata, & rationibus expenſis exiſtimo nihil à ratione deuium dicturum, nec alienum à probabilitate, qui fęminas quinquagenarias à ieiunio excuſauerit, ſicut viri ſexagenarij excuſantur, at dum aliud non apparuerit clarius conuincens, tamquam probabiliorem eligo opinionem, quę ſuſtinet indiſcriminatim de viri, & fęminę ętate loquendum eſſe ad excuſandum à ieiunio, & addit opinionem, quæ fęminas quinquagenarias excuſat, ſpeculatiue eſſe probabilem, at in praxi non tutam. Quare ſicut de viris nullam certam Regulam aſſignare poſſe diximus in opinione quarta ita etiam de feminis dicimus, & totum id arbitrio prudentis relinquimus; communiter tamen dicimus ſexagenariam etatẽ, tam in viris, quam in fęminis excuſare, niſi de robuſtiori complexione naturę aliud euidenter conſtet. ita Fagundez.

109 Fundamentum huius ſententię eſſe poteſt, quia intantũ viri ſexagenarij cenſentur diſpenſati in lege ieiunij, quia in prædicta ætatę ratione debilitationis naturę, caloriſque naturalis indigent frequenti cibo; atqui hęc ratio non currit in fęminis quinquagenarijs: ergo fęminę in prędicta ætate non cenſentur excluſę ab obligatione ieiunij. Maior eſt certa, et minor probatur, quia ſi ſpectemus maiorem phlegmatum copiam, quę in fęminis reperitur, in quę calor natiuus agit, vicẽque ſibi ſupplent, atque vitam ipſam quietam, ac modicè corporis exercitatione vacantem manifeſtè comperiemus, fęminas etiam quinquagenarias, minime indigere frequenti cibo, quali viri ſenes indigẽt, ſed paucis naturam earum contentam eſſe

Digitized by Google

eſſe alimentis; quod experientia ipſa teſtatur; feminę enim ſuapte natura ad ieiunia procliuiores ſũt, et multo facilius viris ieiunium ferunt: ergo in prędictis fęminis quinquagenarijs non reperitur eadem cauſa excuſans ab obligatione ieiunij quę reperitur in viris ſexagenarijs, cum in quinquagenarijs feminis ceſſet ratio indigẽtię frequẽtis cibi, quę inuenitur in viris ſexagenarijs: ergo non ſũt excuſandę illę à ieiunijs inſtar horum, ſed eadẽ ętas in vtriſq; deſiderabitur.

110 Secunda ſententia affirmat mulieres quinquagenarias excluſas eſſe ab obligatione ieiunij. ita Narbona in Annalibus iuris. Anno 60. num. 13. et 14. Henricus Zoeſius in lib. 3. Decretal. tit. 46. num. 10. P. Leãder à ſanctiſſimo Sacramento part. 3. tract. 5. de obſeruat. ieiunior. diſput. 8. quęſt. 19. et probabilem eam iudicant Machado de perfecto Confeſſario tom. 1. lib. 2. part. 4. art. 3 document. 9. nu. 4. et Pat. Franciſcus Pellizarius de Mouial. cap. 6. numer. 25. qui addit hoc nõ ſolum procedere quoad ieiunia Eccleſię, ſed etiã à prędſcriptis à religione, itaque ait: cum Sanchez non improbiliter aſſerat fęminas quinquagenarias excuſari etiam à ieiunijs communibus Eccleſię, probabiliter idem dici poteſt Moniales quinquagenarias excuſari etiam à ieiunijs pręſcriptis in regula; Moueor ex Doctrina quam tradit idem Sanchez lib. 4. moral. cap. 11. num. 54. nimirum etatẽ ſexagenariam, ſicut excuſat viros, à pręcepto ieiunij, ita excuſare à voto ieiunij, cum talia vota nõ obligent aliter quam pręcepta eccleſiaſtica de ijſdem rebus (ſi tamen aliter non conſtet de intentione vouentis) quod ſi hoc procedit de obligatione ieiunij ex voto, à fortiori procedet de obligatione prouenienie ex profeſſione religioſa, etſi admittitur de viris, admitti debet de feminis, cum ſit par ratio de vtriſque. Huc vſque Pellizarius. Pater autem Antoninus Diana part. 9. tract. 7. reſol. 72. tractãs de hac difficultate poſtquã refert hãc opinionem inquit. Ego non audeo hanc ſententiam tam feminis fauorabilem tamquam improbabilem damnare, vt ex Laiman damnat Alfonſus de Leone de Cenſuris recollect. 5. numer. 471. memor verborum Salomonis, non eſt ira ſuper iram mulieris, ideo iudicent alij an ſit probabilis, nec ne.

111 Hanc ſententiam probat 1. Pater Leander à ſanctiſſimo Sacramento dicta quęſt. 19. ſuperius citata, quia vt bene probat. Accacius Anton. Ripol. cap. 8. variar. reſolut. iur. num. 272. et Narbon. vbi ſupra mulier quinquagenaria ęque ſenex dicitur, ac vir ſexagenarius, ſed vir ſexagenarius excuſatur à ieiunio: ergo et femina quinquagenaria. Secũdo probat quia feminę decennio citius, quam viri perfectè ſeneſcunt; at viri ſexagenagenarij perfectè reputantur ſenes: ergo tales debent reputari feminę quinquagenarię. Tertio probat, quia feminę vt communis fatetur ſententia poſt quinquageſimum annum nullo modo poſſunt generare ob defectum virtutis naturalis, vt late Narbona Anno 45. quęſtione vnica: ergo in hac ętate iam verè reputandę ſunt ſenes liberę à ieiunio Eccleſię.

112 Inter has duas extremas opiniones media via procedẽdũ

iudico

iudico. Aſſero igitur, quod abſolute loquendo nō debemus eximere ab obligatione ieiunij mulieres quinquagenarias, ſi aliàs robuſtę naturæ, ſeu complexionis ſint. Et idem iudico de viris ſexagenarijs. Quare hoc negotiū relinquendum eſt prudentis arbitrio, vt iudicet, an vires ſufficiāt in ſupradictis ætatibus ad ſeruādam, vel non ſeruandam obligationem ieiunij Eccleſiaſtici tam in feminis quinquagenarijs, quā in ſexagenarijs viris, Et ſi de robore non conſtet, ſed ſit dubiū, cum de ętate conſtet, decidendum eſt in fauorem mulierum quinquagenariarum, & virorum ſexagenariorum; nam vt bene aduertit Menoch. lib. 2. de Arbitrar. centur. 1. toto caſu 59. in caſibus in quibus nulla extat clara iuris conſtitutio, relinqui iudicis arbitrio; qua ętate ſenex quis cenſeatur. Cum ergo in preſenti caſu hoc ita eueniat nō videtur ætas, ea quinquagenaria in mulieribus, & ſexagenaria in viris præſcribenda, ſed id prudētis arbitrio committendum. Ita nouiſſime defendit P. Thoma Sanchez tom. 2. conſil. moral. lib. 5. cap. 1. dub. 4. num. 6. vbi ſic ait. Sit tertia concluſio communiter & regulariter loquendo ſexagenarij excuſantur à ieiunio, ratione ſenectutis, quia tunc vt plurimum eſt occaſus, & diminutio virtutis, ſic Nauarrus, Pedraza, Medina, Caietanus, Armilla, Angleſ. ſupra. Et quidem Docti Iuniores. Vnde hac ætate niſi euidenter conſtet ex robuſtiore compleſſione poſſe abſque leſione ieiunare non tenentur ieiunare, quia ex quo ętate conſtat, & de robore eſt ambiguum, non eſt vltra ſpectandum, quia ſenectus eſt morbus irrepatabilis, de quo late dixi lib. 7. de matrimo. diſp. 32. nu. 17. vbi etiam dixi an in fęminis citius contingat ſenectus, quam in viris, & ideo femine quinquagenarię deobligantur ad ieiuniu m. Huc vſque Sāchez.

113 Prima pars noſtri aſſerti eſt clara, quia intantum tam viri, quam fęminę excuſantur à ieiunio ratione ętatis, ſeu ſenectutis in quantum in ætate ſenectutis natura redditur debiles, & vires, non ſufficiunt ad onus ieiunij Eccleſiaſtici portandum, ex defectu caloris naturalis; atqui quando euidenter conſtat de robuſtiore complexione ſubiectorum, ſiue hominum, ſiue mulierum, ceſſat tota ratio excuſans ab obligatione ieiunij: ergo ſi euidenter conſtat de robuſtiore natura in fęminis quinquagenarijs, & in viris ſexagenarijs ad tolerandum onus ieiunij Eccleſiaſtici non erunt deobligati à præcepto ieiunij.

114 Vt autem ſecundam partem noſtri aſſerti probemus nempe poſſe fęminas quinquagenarias deobligari à pręcepto ieiunij, ſi prudenter iudicetur in tali ętate non habere ſufficientes vires ad pręceptum ieiunij ſeruandū. Suppono cum Patre Thoma Sanchez lib. 7. de matrim. diſp. 32. ſuperius citata num. 16. non requiri eadem ętas in feminis, & viris ad deſcribendam ſenectutem: quia non videtur rationi conſonare eamdem ętatem ad ſenectutem pręſcribi in feminis & in viris, vbi ius non ita clare diſpoſuit. Quod feminæ (vt Auctores ſunt Ariſtoteles lib. 7. de hiſtor. animal. cap. 3. in fine. Plin. lib. 7. naturalis hiſt. cap. 4. Tiraquell. de leg. connub. lib. 6. num. 38. & lib. 1. nu. 57.) Ocyus, quam mas, & accreſcant, & ętate floreant, ac ſenectute macerentur. Quia vita in calore ſita eſt

eſt teſte Ariſtotele in problem. ſect.3.problem.22. & ſectio. 14. problem.10.Cuius ratio eſt nam anima tamdiu corpus informat, quàmdiu in eo vitę menia obire poteſt. Pręcipuus vero vitalium functionum adminiſter,eſt calor: cum autem feminę frigidiores viris ſint, vt ex multis probat Tiraquell.lib. 9. connubial.num.142.& ſequenti. Conſequens eſt vtſi feminę breuioris vitę ſint, quod citius ſeneſcant, & conſequenter, quod non eadem ſenectutis ętas aſcribenda eſt illis, ſed minor, quam viris.

115 Quo ſuppoſſito probatur ſecunda pars noſtri aſſerti, primo ex doctrina dicti Patri Thomæ Sanchez dicto numer.16. quia textus iuris dũ ſenectutẽ petũt, ſubiungunt, itaut ſine incontinentię ſuſpicione, poſſitin ſęculo remanere, cap. vt conſtat ex cap.cum ſis ibi verũ ſi: ita vxor ſenex eſt, & ſterilis, quod ſine ſuſpicione poſſit eſſe in ſęculo,& cap.vxoratus tit.de conuerſion. coniug.ibi. Si autem talis fuerit, quę ſuſpicione nõ careat,& cap. ad Apoſtolicam eodem titulo ibi. Niſi fortè ſit eius ętatis vt ſine ſuſpicione incontinentię, valeat in ſęculo remanere, & cap. ſignificauit eodem titulo ibi. Si eſt ita, & eſt talis ętatis, de qua ſuſpicio haberi non poſsit: ergo ſenectutis menſura ſumenda eſt ex ętate, in qua communiter incontinentię periculum, nõ verſatur; atqui ſterilitas in mulieribus incipit ab anno quinquageſimo: ergo in dicto anno poſsũt iudicari ſeneſcere ſecundũ viri prudentis arbitrium, & poſſunt deobligari ab obſeruatione legis ieiunii Eccleſiaſtici. Minor ſubſumpta eſt Ariſtotelis lib. 7. de Hiſt.Anim.cap.5. vbi ait multas feminas anno quinquageſimo peperiſſe, & vltra id tempus nullam, & lib.5. cap. 14. inquit maribus vltimum gignendi terminum eſſe annum ſeptuageſimum feminis vero quinquageſimum, verum id rarò, ſed magna ex parte feminis eſſe quadrageſimum quintum,maribus vero ſexageſimum quintum: ergo cum ſenectus iudicanda ſit, & menſuranda ex ętate, in qua communiter incontinentię periculum non verſatur conſequens eſt, quod ſi prædictum periculum incontinentiæ vniuerſaliter,& generaliter loquẽdo ceſſat in mulieribus quinquagenarijs; quod poſſit iudicari iuxta iudicium prudentis viri illas in dicta etate ſeneſcere; & conſequeuter eſſe deobligatas ab obſeruatione ieiunij Eccleſiaſtici.

116 Secundo probatur eadem pars, quia arbitrio prudentis viri committendum eſt in qua ętate ſenectutis obliget, vel nõ obliget pręceptum ieiunij Eccleſiaſtici, qui attentis viribus obligationem ieiunandi, aut exemptionem iudicet, vt affirmant Diuus Antoninus 2. parte titulo 6. capite 2.§.6.verbo ſeptimo Senes, Medina capite de ieiunio quæſt. de his qui ad ieiunia tenentur concl.2.verſu de inde ſenibus, Ledeſma 2. parte 4.queſt.17.art.3.concl.3.§. preterea de pueris. Palatius in 4.diſtint.15.diſp.8.pauloante 5.concluſ.verſu porro quia eſt. Emmanuel Rodribuez in expoſit. Bull. Cruciat. §.6. dub. 2. Vega tom. 1. ſumm. cap. 14. dub. 15. atqui feminę ex natura ſua ſunt debilioris complexionis, quam viri quod ſatis experientia conſtat, vnde conſequenter citius incipit in ipſis ſenectus, & declinatio

clinatio virtutis naturalis: ergo quod citius ponatur in ipſis cauſa eas excuſans ab obligatione ieiunij, quam in viris, relinquendum eſt prudentis viri Arbitrio: ergo iuxta dictum viri prudentis arbitrium citius quoque debet poni effectus liberationis à ieiunio in mulieribus, quam in viris, & conſequenter ſi viri prudentes iudicent eſſe excuſatas à dicta obligatione in quinquagenaria ſuorum annorum ætate, manebũt vtique abſq; conſcientiæ ſcrupulo liberæ ab obligatione ieiunij. Hoc noſtrum aſſertum quoad ſecũdam partem vt probabile defendit Pat. Zacharias Paſqualigus in praxi de ieiunio deciſ.257. licet oppoſitum probabilius iudicet.

117 Ad fundamentum primæ ſententiæ reſpondetur concedendo maiorem, & negando minorem. Ad cuius probationem dico eam nihil conuincere, nec difficultatem exhaurire; nam ex ea ſequeretur ſenes in nulla ætate à ieiunijs excuſari, quia ſenes facillime ieiuniũ ferunt (vt ex Hippocrates in ſuis Aphor. Aphoriſ.13. docet P. Thom. Sanchez dict. lib. 7. de matr. diſp.32. num. 17.) parcioriq; cibo indigent, eo quod frigidiores ſunt; atqui eos excuſamus, quia (vt dicunt Galenus, & Braſauolus in illum Aphoriſ. Hippocratis) tale patiuntur, quale lucernis pœnè extinctis accidit, quę continuã exigunt olei ſuffectionem, multam autem, & ſubitam ſimul, nequeunt ſuſtinere: ſic (inquiunt) ſenibus exhibere oportet cibum neceſſarium, & paruum, & hanc ipſam cibi paucitatem in multas partiri portiones; nec vlla illis longa inedia eſt iniungenda. Idem ergo dicendum eſt de feminis quinquagenarijs. Concedo .n. ob phlegmata, & vitam quietã facilius, quam viros ferre ieiunium, ac pauciori alimento egere, at illam cibi paucitatem pro ſenectute ęquali cum viris ſexagenarijs, ac maiori frigiditate nõ poſſunt ſimul ſuſtinere, ſed indigent, vt in multas diuidatur portiones, nec poterunt vnico eſu cibum neceſſarium vitę tuendæ impoſterum ſumere, ac proinde à ieiunio, quod in vnica comeſtione conſiſtit excuſabuntur in dicta ætate iuxta arbitrium prudentis viri, vt ſupra diximus.

118 Ad fundamenta ſecundæ ſententiæ quatenus noſtræ aſſertioni opponi poſſunt, dico illa ſolum conuincere, quod mulieres quinquagenariæ ad ieiunium Eccleſiaſticum non teneantur, ſi iudicio prudentis viri iudicetur prædictas in tali ætate conſtitutas vires ſufficiẽtes non habere ad comportandum onus ieiunandi propter debilitatẽ naturæ, aut defectũ caloris naturalis, quod in tali ætate euenire illis poteſt iuxta dicta in probatione ſecundæ partis noſtri aſſerti non tamen ſequitur, quod omnes feminę quinquagenariæ abſolute, & abſque aliqua reſtrictione, & limitatione ſint liberæ ab obligatione ieiunij Eccleſiaſtici, vt ex ibidem in dicta probatione ſecundæ partis noſtri aſſerti conſtat.

119 Ex dictis infero annum ſexagenarium excuſantem viros ab obligatione ieiunij, & annum quinquagenarium excuſantem feminas ab eadem

 obli-

obligatione modo ſuperius dicto debere eſſe completum, & non ſufficere eſſe inceptum, quia ætatem ſenilem ad eximendum hominem à ieiunijs non eſſe ita determinatam iudico, ſicut eſt ætas iuuenilis, vt conſtat ex diuerſitate opinionum, quæ in hoc puncto reperiuntur, plures enim, quos laudat Diana part. 1. tract. 9. reſol. 20. putant in anno ſeptuageſimo ætatis hominem excuſari à ieiunio; alij vero dicunt eſſe ſexageſimum, alij denique nobiſcum aſſerunt arbitrio prudentis decidendum eſſe reſpectu ad vires, & complexionem ieiunantis; ideoque cum nemo dicat ſaltem in maſculis, ętatem excuſantem à ieiunio eſſe ante ſexageſimum Annum; videtur dicendum debere hūc annum eſſe completum; cum à iure non habeamus quantum adhoc tempus determinatum. Neque obſtat contra hoc leg. qua ætate ff. de Teſtamentis, vbi gloſſa verbo dies ergo, loquens de die ait: diem inceptum haberi pro completo, quod eſt fundamentum Paſqualigi, & aliorum aſſerentium ſufficere annum ſexageſimum inceptum. Hoc, inquam, non obſtat, quia licet in fauorabilibus annus inchoatus habeatur pro completo, id verum eſt quando in iure, vel etiam arbitrio prudentum eſt præfixus terminus; cum autem in caſu noſtro ita non ſit, quia neque in iure neque communi hominum iudicio habeamus tempus determinatum, in quo fideles à ieiunijs Eccleſiæ eximantur, ſed in aſſignatione huius temporis diuerſę ſint Auctorum opiniones, vt ſupra diximus, ideo non habēt locum prędicta, & quod annus inceptus accipiatur pro completo in noſtro caſu, de quo vide P. Franciſcum Bardi in ſecunda Editione de expoſit. Bullæ Cruciatę parte 2. tract. 3. ſectio. 3. num. 49. & tota vindicatione contra Patrem Andream Mendo ibidem nu. 51.

RESOLVTIO VNDECIMA

Vtrum in Collatione Serotina ieiuniorum liceat in debita quātitate ſumere piſces.

120 Affirmatiuam ſententiam ſuſtinent Bonacina diſp. vlt. de præcept. Eccleſ. quæſt. 1. punct. 3. num. 3. dum docet in refectiuncula debere attendi non qualitatem, ſed quantitatem, ita vt poſſit in debita quātitate ſumi quidquid in diebus ieiuniorum nō eſt prohibitum. Gheſſius in theſauro Animę verbo ieiunium cap. 1. num. 4. Bizozerus part. 4. ſummę de 3. pręcept. Decalogi capit. vlt. membr. 2. numer. 3. verſu ſed Caietanus quos citat, & ſequitur Zacharias Paſqualigus in praxi de ieiunio deciſione 113. num. 2. vbi etiam pro hac ſententia citat Caietanum in ſumma verbo ieiunium cap. 1. forſitan motus ex verbis Caietani §. accidit in fine, vbi, ſic aſſerit: nec ſumere in ientaculo ſerotino parum panis, frangit ieiunium, quia adhoc videtur ſerotinum ientaculum reductum vt non referat quid quiſque ſumat, ſi modum non excedit, & recte ſibi quiſque conſulere videtur, qui illud ſumit, quod ſuę cōpleſſioni plus prodeſt, ex quo medicinę cauſa cōceditur.

An

Digitized by Google

An autem pro hac ſententia ſit Caietanus poſtea dicam. Eamdem ſententiam ſequuntur Nicolaus Moſcicenſis in Tyroſino S. Artis Penit. part. 2. §. de ſecundo præcepto ieiunij nu. 22. Iacobus Marchantius in reſolution. paſtor. part. 2. cap. 5. verſu Difficultas eſt de qualitate. Ioannes Vuigers de iuſtit. & iure tract. de Temperantia cap. 1. vum. 21. verſu petet aliquis quid dicendum de Cęnula veſpertina, ſiue de Collatiūcula Zambellus in repert mor. verbo ieiunium num. 19. Angel Mar. Verricellus in quæſt. mor. & leg. tract. 5. qu. 5. n. 161. vbi ſic ait non eſt mortale peccatū ſi piſces iuſcula, & quicumque cibi in debita quantitate ſumātur in collactione, erit tamen veniale; ſed nec veniale ſi aliqua cauſa ſubſit v. g. vrbanitas aut ſtomachi infirmitas, qui calido iuſculo ſubuenitur. Et poſt pauca inquit, ſed nullum eſſe peccatum etiam ſine cauſa ſeruata debita quantitate probabiliter docent Bonacina, Paſqualigus, Petrus Marchantius, Franciſcus Gheſſius, Nicolaus, Moſcicenſis; Ioannes Vuigers Zambellus Trullench, & Maccado quos citat, quamuis non ſequatur Diana part. 9. tract. 6. reſo lut. 8. Ita Verricellus. Sed quamuis verum ſit quob Diana dict. part. 9. citet pro hac ſententia Trullench in decalog. tom. 1. lib. 3. cap 6. num 8. quæ citatio falſa eſt cum Trullench. in dicto lib. 3. tantum quinque capita habeat, nihilominus quāuis hanc difficultatem tractet dict. lib. 3. cap. 2. dub. 3. num. 8. oppoſitum adæquate docet, vt ex ipſius verbis conſtat, ibi .n. inquit. Qutres 4. quid liceat ſumere in refectiuncula. Reſpondeo licite ſumi poſſe ea, quæ communiter in ientaculis, & poſt prandium ſumi ſolent, qualia ſunt Arborum fructus, herbę, cibi leuiores, vt ficus amigdalę, vuæ, paſſæ, nuces, pyra, poma, oliuę, bellaria, vel alia ex ſaccaro, aut melle confecta electuaria. Item, & panis, vel ſolus, vel cum aliquot ex dictis, Nauarrus ſupra nu. 13. & 14. Armilla verbo ieiunium. 1. Caietanus cap. 1. Siluester. §. 10. Azor. quæſt. 7. & alij citati. Cibi autem qui communiter ordinantur ad ſubſtentandam naturam, & inter fercula apponuntur, videntur prohibiti, quia ij nō ſolent communiter ingredi in iētaculis, ſed in refectionibus, & cænis integris, & opiparis; tales ſunt piſces, & oua, pro his, qui ea poſſunt comedere in quadrageſima, item iuſcula, ex leguminibus amigdalato, & huiuſmodi; hęc enim omnia prohibentur, quia non ſolent numerari inter cibos ad ientacula, ſed inter cibos ad alendam, & ſuſtentaudam naturam, Filliuc. ſupra num. 30. Probabile etiam eſt poſſe ſumi piſciculum paruum, aut exiguā partem piſcis maioris (quod nō approbat Fagūdez ſupra num. 18. & bene quidem, niſi adſit conſuetudo ſcita, & approbata) tum etiam, & parum iuſculi ex cibis, quod licet in die ieiunij comedere, vt tenet Azorius, & Bonacina, & alij: nihilominus tamen hoc non conſulerem, poſt factum autem uon condēnarem; conſulenda tamen in hoc, & aliis conſuetudo timoratorum, & proborum virorū. Videat ergo Diana qua fidelitate pro hac ſententia citat Trulleneh. Eamdem ſententiam ſuſtinet nouiſſime Don Marcus

Digitized by Google

Vidal in ſua Arca vitali tractat. de ieiunio inquiſit. 1. aſſertion. 8. A.num.125.

121 Probatur primo hęc ſentẽtia à dicto Don Marco Vidal quia in Veſpertina refectiuncula erit licitum comedere Piſtacia, pineos, & alios fructus: ergo etiam aliquo modo licitũ erit edere piſces in debita quãtitate. Probatur conſequentia, quia pinei, & piſtacia cum ſint ſolidioris ſubſtantiæ plus nutriunt, quam piſces, & melius confortat naturam, ac corroborant ſtomachum teſte experientia; ergo dum ille cibus eſt licitus, etiam talis erit iſte de piſcibus. Secundo probat piſcis cibus non pugnat in refectiuncula Serotina ſtare cum ieiunio cum non ſit quid incõpatibile ieiunare, & edere piſces, vt patet, & certum eſt: ergo in veſpertina refectiuncula comedendo piſces non frangitur ieiunium, & conſequẽter mortiferè non peccatur. Quod confirmat primo, quia piſcis eſt cibus maceratiuus cum ſit exigui nutrimenti, & ideo in ieiunijs ab Eccleſia conceditur: ergo quando in collatione ſerotina iſte cibus adhibetur, ſeruatur maceratio proportionata ieiunio, & ab Eccleſia intenta: ergo cum non violetur eſſentialiter ipſum ieiunium, non committitur culpa mortalis. Confirmat ſecundo ieiunium eſſentialiter conſiſtit in abſtinentia à carnibus, & vnica comeſtione, vt communiter cõcedunt DD. ergo cum hæc duo ſeruentur, quamuis in ſerotinã collatione ſumatur cibus piſcis ſequitur, quod non violetur ſubſtantialiter ieiunium.

122 Tertio probat, quia veſpertina refectiuncula fuit à cõſuetudine introducta ad conſeruandam naturam, & ad tribuẽdam aliquam virtutem ſtomacho: ergo cum iſte finis melius aſſequatur per cibum piſcjs, quam per plures fructus, aut per bellaria nam ſępe loco confortandi ſtomachum ipſum debilitant, aut relaxant teſte experientia, clare infertur cibum piſcis non prohiberi ſub mortali in ſerotina collatione. Quarto probat, quia Doctores etiam oppoſitę ſententię concedunt, & aſſerunt in veſpertina refectiuncula poſſe licite manducari, electuaria ex ſaccaro confecta, belluaria, vel condita ex ſaccaro, amigdalis, & huiuſmodi etiam ſi ex eorum natura ordinentur ad maius, & perfectius alimentum, quam ſit cibus piſcis: ergo cum hic magis proportionetur ieiunio ſecundum intentionem, & finẽ Eccleſię pręcipientis illud, nõ debet affirmari, vt ſit ſub mortali prohibitus in ſerotina refectiuncula.

123 Quinto probat quia ſi oppoſita communis ſententia eſſet vera, ſequeretur, quod quis toties mortifere peccaret, quoties in die ieiunij comedit extra prandium piſcem, quamuis in parua quantitate, ſed hoc nullo modo eſt aſſerendum: ergo neque etiam quod mortiferè peccet comedens piſcem in collatione ſerotina. Probatur ſequela, quia quoties aliquis edit carnem in die ieiunij, toties mortaliter peccat, quia hoc pręceptum cum ſit negatiuum, non obligat ad vnum actũ ſpecialem abſtinentię, ſed ad totalem, & continuam abſtinẽtiam, vt ſentiunt omnes Doct. vnde tot ſunt actus violationis pręcepti, quot ſunt refectiones

inter

Digitized by Google

inter ſe moraliter, & phyſicè diſtinctę: ergo etiam cum ſub culpa mortali pręcipiatur in ſerotina refectiuncula, & etiam extra prandium piſcis abſtinẽtia, ſequitur quod ſit pręceptum negatiuum, atque adeo quod in toto illo tempore ieiunij obliget, alias toties mortiferè peccatur, quoties in die ieiunij violatur, ſed id affirmare, eſt contra communem ſenſum Doctorum, & eſt omnino falſum: ergo etiam, quod ſit mortalis culpa comedere piſces in debita quantitate in collatione ſerotina.

124 Secunda, & probabilior ſẽtẽtia negat licere in collatione ſerotina vti piſcibus recẽtibus, aut fumoſicatis, ſaleque cõditis in quantitate debita. ita quoad primam partem tenent Azor. parte 1. lib. 7. capit. 8. quęſt. 7. vbi oppoſitam ſententiam corruptelam vocat, Fagundez in pręcepta decalogi pręcept. 4. lib. 1. cap. 4 num. 18. Laiman lib. 4. theolog moral. tractat. 8. cap. 1. num. 9. Angles in florib. tractat. de ieiunio art. 2. difficul 4. Reginald. lib. 4. cap. 14. dubio 10. num. 118. in principio Filliuc. tom. 2. tract. 27. part. 2. cap 2. dub. 6. num. 30. Thom. Sanchez tom. 2. conſil. moral. lib. 5. cap. 1. dub. 24. num. 4. Ledeſma tract. 27. cap. 2. verſu aeſta duda Luiſius Turrian. in ſumma par. 1. cap. 256. dub. 37. concl. 5. Boſſius de iubil. ſect. 4. caſ. 18. num. 130. Trullench. in decalog. lib. 3. cap. 2. dub. 3. num. 8. ſuperius citato P. Mag. Ioan. Bapt. Lezana tom. 3. ſummę regular. verb. ieiunium num. 4. Villalobos in ſumma tract. 23. diff. 7. num. 3. Viualdus in Candelabro parte 3. cap. 15. num. 42. Diana part. 1. tract. 9. reſol. 1. & part. 4. tract. 4. reſolut. 117. verſu nota & par. 5. tract. 14. reſol. 14. & parte 9. tract. 6. reſol. 6. & part. 10. tract. 14. reſolut. 58. quos citat, & ſequitur Pater Leander à ſanctiſſimo Sacramento part. 3. tract 5. de obſeruatione ieiuniorum diſput. 4 quęſt. 41. Pater Franciſcus Pellizar. in mannal. regular. to. 1. tract. 5. de obligat. ſeruandi ieiun. cap. 5. num. 14. Leander de Murzia in quęſtio. Regular. ad cap. ſecundum ſup. capit. 3. Regulę Diui Franciſci num. 42. quos citat, & ſequitur Diana dicta part. 9. tract. 6. reſolut. 8. quare falſo Dianam citat pro oppoſita ſententia in dicta part. 9. reſolutio. citat. Amadeus Guimenius in ſuo opuſculo aduerſus quorumdam expoſtul. contra nonnullas Ieſuitarum opinion. moral. tract. de ieiunio propoſ. 2. num. 1. in fine. Nam Diana vbi ſupr. verſ. ſed his non obſtantibus poſtquam refert pro prima parte noſtrę ſententię dictum Patrẽ Pellizarium, Leandrum, & Enriquez, ſic concludit, ita ille (loquitur de Patre Leandro cuius verba refert) & iterum ego non obſtante, quod ſciam id quod pſalmiſta cecinit, ſi nõ fuerint ſaturati murmurabunt. Quoad ſecundam vero partem noſtram ſententiam ſuſtinent fere omnes Auctores ſupra citati, & ſpecialiter contra Laiman lib 4. Theol. mor. tract. 8. cap. 1. numer. 9. & Azor. tom. 1. lib. 7. cap. 8. quęſt. 7. Boſſium de Iubil. ſect. 4. caſ. 18. num. 126. & Paſqualig. in praxi de ieiunio deciſ. 112. qui contrariam partem ſuſtinent. Tenent Fagũdez in pręcept. Eccleſ. pręcep. 4. lib. cap. 4. num. 18. Diana parte 1. tract. 9. reſol. 1. & part. 5. tract. 14. reſolut. 14. Anton. de Leon. quęſt.

queſt. Decocholate part. 3. nu. 4. & alij apud dictum Dianam. Pater Leander à ſanctiſſimo Sacramento parte 3. tract. 5. diſp. 4. queſt. 42. & quoad vtramque partem noſtram ſententiam tenet Eminentiſſimus Cardinalis Caietanus tam in ſumma verbo ieiunium capit. 1. verſu accidit tamen circa hoc vbi ſic aſſerit: ſumere vero ientaculum ſerotinum ad ſuſtentationem naturę eſt proculdubio iterum comedere quia, directe manducare ad naturæ ſuſtentationem ordinatur; vnde apud Religioſos manducatio vocatur refectio, & locus manducandi Refectorium, quia Religioſi non habent vti cibo, niſi ad reficiēdum, et 2.2. queſt. 147. artic. 6. verſu ſecundi autem dubij ſolutio eſt, inquit, quod licet piſcis temporibus non fuerit forte licitum ſumere fructus, herbas, aut bucellam penis, ne potus lauaret ſtomachum, quia horum vſus ſecundum ſe eſt manducatio, vt auctor dicit, hodie tamen omnia licita ſunt per modum medicinę in veſpertino potu, fraude ceſſante, quoniam iam conſueuit Chriſtianus populus vti per modum medicinę huiuſmodi, his quorum vſus eſt manducatio; Deferendum tamen eſt conſuetudini loci ſcilicet vbi non conſueuit ſumi panis, non ſumatur ſine rationabili cauſa, puta quia fructus nocerent, aut non habentur, aut non poſſunt conteri dentibus. Nec verba Caietani in ſumma verbo ieiunium cap. 1. ſuperius relata pro opinione contraria videlicet, nec ſume e in ientaculo ſerotino parum panis frangit ieiunium, quia ad hoc videtur ſerotinum ientaculum reductum, vt non referat, quid quiſque ſumat, ſi modum non excedit. Oppoſitum demonſtrant, vt bene aduertit Laiman. lib 4. theolog. moral. tract. 8. capit. 1. queſt. 7. num. 9. vbi ſic ait: id porro nō ſatis intelligo, quid Caietanus velit verbo ieiunium cap. 1. in fine inquiens non referre quid quiſque in ſerotino ientaculo ſumat, ſi modum non excedit. Si .n. de omnibus cibis in vniuerſum loquitur profecto, et conſuetudini Eccleſiarum, et aliorum Doctorum fideliumq; perſuaſioni contradicit. Sed arbitror ſolum intellexiſſe de pane, et fructibus nihil referre quid quiſque ex his ſumat in quantitate modica. Quę explicatio, et Caietani intelligentia legitima eſt, et iuxta illius mētem aliàs ſibi eſſet contrarius cum in 2.2. quæſt. 147. artic. 6. doceat non licere vti pane in collatione ieiunij vbi non eſt conſuetum, ſine rationabili cauſa vt ex verbis ſupra relatis ipſius Caietani dicto loco cōſtat. Quomodo ergo Caietanus docere potuit non eſſe attendendam in collatione qualitatem cibi, qui tam aſſeuerāter tenuit nō poſſe in ea ſumi panem, niſi caſu quo fructus nocerent etc. Valeat ergo Paſquàligus, et intelligat Caietanum in ſumma, explicetque illum, per ea quę latius, et ſecurius 2.2. loco citato docuit, vt bene illum explicat Laiman, vt vidimus. Et ne hęc Caietani intelligentia noua videatur, et contra Doctoris mentem aduertere oportet quod in tempore Caietani de his queſtionibus, quas nunc exagitamus, non erat dubium, ſed ſolum an panis poterat pro collatione ſerotina ſumi, et ad hanc queſtionem reſpondet Caie-

Digitized by Google

Caietanus in ſumma & 2.2.poſſe cum limitatione aſſignata. Videat ergo Pater Paſqualigus quam longè abeſt Caietanus ſuam fauere ſententiam.

125 Probatur noſtra ſententia vnico, ſed valido fundamento, quia eſſentia ieiunii eſſentialiter conſiſtit in abſtinentia à carnibus, & vnica comeſtione diurna, vt concedunt omnes Doctores, & non negant Auctores oppoſitę ſententię, & pręcipuè Don Marcus Vidal loco ſuperius citato; atqui comeſtio piſcium, tam recẽtium, quam fumoſicatorum, ſaleque conditorum faciunt, & conſtituunt ſecundam comeſtionem: ergo non licet illis vti in collatione ſerotina ieiunij Eccleſiaſtici. Conſequentia ex pręmiſſis manifeſte ſequitur, & maior conceditur à Doctoribus oppoſitę ſententię contra quos diſputamus. Minor in qua eſt difficultas probatur quia omne id quod ſumitur pro ſubſtentatione naturę, & ad corroborandas vires, ſumitur per modum prandij, & nouæ comeſtionis, ſeu refectionis; atqui piſces in quantitate aſſignata ab auctoribus oppoſitę ſe ntentię ſiue ſint recentes, ſiue fumoſitati, aut ſale conditi ſumuntur ad ſuſtentationem naturę, ad vireſque corroborandas: ergo conſtituunt nouum prandium, ſeu comeſtionem, & conſequenter neceſſario deſtruunt eſſentiam ieiunij Eccleſiaſtici eſſentialiter petẽtis vnicam tantum comeſtionẽ ſimul cum abſtinentia à carnibus; ergo collatio ſerotina, nõ poteſt fieri ex piſcibus, abſque mortali peccato in quantitate aſſignata ab auctoribus oppoſitę ſententię.

126 Ad hoc fundamentum reſpondet Don Marcus Vidal vbi ſupra num. 137. negando abſolute minorem, quia licet per conſuetudinem non fuerit poſitiuè introductus cibus piſcis in ſerotina collatione attamen introductum fuit vt aliquid cibi ſumatur ad reſtaurandam, & confortãdam naturam, vt quid nam cibus ſit ſumendus, non fuit id expreſſe determinatum, & idcirco pro diuerſitate temporis, & loci diuerſus etiam cibus, tum in quantitate, tum in qualitate ſumatur; vnde mirum non eſt ſi Doctores diuerſimode loquantur in aſſignanda cibi qualitate, qui in ſerotina collatione ſumi debet, ex quo clare conſtat nullum cibũ fuiſſe à conſuetudine pręſcriptum, & determinatum.

127 Verum enim vero ſolutio prędicta fundatur in principio falſo ſcilicet, quod ſerotina collatio ſit conſuetudine introducta ad ſuſtentandam naturam, vireſque corroborandas; nam vt eſt communis conſenſus Doctorum Serotina refectiuncula adhibetur per modum medicinę, ne potus noceat, & ſtomachum lauet, vt docet Caietanus, & cum illo communiter Doctores, & eſt vſu receptum vſque ad hęc noſtra tempora inter fideles: ergo falſum eſt aſſerere collationem veſpertinam in die ieiunij eſſe vſu introductam ad ſuſtentandam naturam, & vires illius corroborandas, nam hoc certè eſſet deſtruere finem intentum ab Eccleſia in ieiunio Eccleſiaſtico, qui eſt macerare corpus, vireſque illius debilitate, vt ſic facilius poſſint Catholici incentiua carnis corrigere, & mortificare, vt ſic faciliores eſſent ad

viam

Digitized by Google

viam ſpiritus proſequendam.

128 Ad primum fundamentum oppoſitę ſententię reſpõdetur omittendo antecedens, & negando conſequentiam, quia cum Eccleſia prohibeat in die ieiunij plures comeſtiones, & ſola conſuetudine ſit introducta ſerotina collatio, in qua non eſt introductus vſus veſcendi piſcibus, vt communiter Doctores aſſerunt, ideo nõ eſt licitus eſus piſcium in dicta collatione ſerotina in die ieiunij. Et deinde quia cum piſces ordinentur ad cibum, ſeu ad cęnam, non licet illos comedere in collatione ſerotina, aliàs liceret duplex comeſtio in die ieiunij, quod eſt falſum, vt ex probatione noſtrę ſentẽtię conſtat. Ad probationem conſequentię dico quod dato quod pinei, & piſtacia ex eo, quod ſint ſolidioris ſubſtantiæ plus nutriant, quam piſces, nõ inde ſequitur, quod etiam adhiberi piſces poſſint, primo quia hoc cõſuetudo prohibuit, & non fructus; ſecundo quia etiam panis magis nutrit, quã piſces, & nihilominus, quia magis nutriunt piſces, cum pane, non licet piſces cum pane manducare; quis enim poterit in dubium vertere an maius nutrimentum afferat ſumptio triũ vnciarum panis, & quinque piſcium, præcipue magnorum (vt thunni, Salmonis, truttę, hyſpanę Atum, Salmon Truccha &c.) quam ſumptio panis quantitate trium vnciarum, & vnciarum quinque fructuum? nullus profecto, ſicut nullus poterit dubitare, ſed pro certo habere non ieiunare illum, qui in refectiuncula veſpertina cũ duabus panis vncijs, ſex thunni, ſalmonis &c. ſumeret.

129 Ad ſecundum argumentum reſpondetur negando antecedens, nam licet cibus piſcis extare poſſit cum ieiunio in veſpertina refectione, non inde ſequitur quod in veſpertina collatione non repugnet eſtare cum ieiunio, non ratione qualitatis cibi piſcium, ſed quia conſuetudine eſt prohibitus vſus piſcium in collatione ſerotina, & præterea, quia cum ex natura ſua ordinentur ad comeſtionem, ſeu cęnam, non poſſunt ſtare cum obſeruatione ieiunij, quod eſſentialiter vnicam tantum refectionem, ſeu comeſtionem includit, vt de ſe manifeſtum eſt.

130 Ad primam confirmationẽ reſpondetur quod dato, quod cibus piſcis, ſit maceratiuus, exiguęquè nutrimenti nõ ideò ſequitur poſſe in collatione adhiberi, ſi alias ſint (vt ſunt) per conſuetudinem prohibiti. Deinde, quia magis maceratiuus eſt cibus fructuum, & minoris nutrimenti, quàm cibus piſcium ideoque fructibus, non piſcibus vſi ſunt omnes Sancti Monachi, & Eremitę.

131 Ad ſecundam cõfirmationem reſpondetur concedendo anteeedens, & negando conſequentiam, nam vt in probatione noſtrę ſententię diximus cũ cibus piſcium ordinetur ad comeſtionem, ſumere ientaculũ ſerotinũ ex piſcibus ad ſubſtẽtationẽ naturę eſt proculdubio iterum comedere, cũ id quod directe ordinatur ad naturæ ſubſtentationem, dicatur propriè ordinari ad comeſtionem; cum autem piſces ſi ſumantur in collatioue ſerotina ordinentur ad naturę ſubſtentationem, conſequens eſt, vt ſecundam comeſtionem conſtituat, quod

eſt

Digitized by Google

eſt eſſentialiter contra eſſentiā ieiunij eccleſiaſtici vt apud omnes eſt certum, cum ieiunium Eccleſiaſticum eſſentialiter cōſiſtat in abſtinentia à carnibus, & vnica tantum comeſtione.

132 Ad tertium argumentum reſpōdetur omittendo antecedens, & negando conſequentiā nam non ex eo quod refectiūcula veſpertina ſit cōſuetūdine introducta ad confortandā naturam, & tribuendam aliquā virtutem ſtomacho, ſequitur quod iſte finis melius aſſequatur per cibum piſcis, quam per plures fructus, aut per bellaria, eo quod fructus debilitent ſtomachum, & eū relaxant piſces vero corroborent ſtomachū, & tribuent illi virtutem, ne potus noceat &c. nam id falſum eſt quià (vt bene notat Pater Leander à Sanctiſſimo Sacramēto ex ſchola ſalernitana in opuſculo de tuenda valetudine miſſo ad Regē Anglię cap. 30. & cap. 38. verſu poſt piſces, nux ſit, poſt carnes caſeus adſit loco ſuperius citato quæſt. 41. ſolut. ad primum argumentum Paſqualigi) piſces phlegmata generat, ſuntque frigidioris, & humidioris tēperaturæ, & ideo ob īd difficilius concoquuntur tardius ſubducuntur, prontiſſime in ventriculo corrumpūtur & putreſcunt, & putreſcendo, ſitim generant, & veneni interdum non nihil in ſe continent. ergo plus ſuut pronti relaxare ſtomachum, quam fructus, & bellaria; ergo piſces non ſunt adhibendi in collatione ſerotina ob cauſam aſſignatam in argumento, ex eo quia virtutem tribuunt ſtomacho, & ſalubriores fructibus ſunt, cum id falſum eſſe conſtet: ergo prædicto argumento non conuincitur licere in collatione ſerotina vti piſcibus etiam in debita quātitate.

133 Ad quartum argumentum reſpondetur concedendo antecedens quoad primam partem, & negando quoad ſecundam, ſcilicet, quod electuaria, ex ſaccaro confecta, bellaria, vel cōdita ex ſaccaro, & amigdalis, & huiuſmodi ordinari ad alimentum, ſeu comeſtionem, ſicut cibus piſcis, quia prędicta vt in plurimum ſumuntur per modum medicinæ ad confortàndum ſtomachum, & ne potus noceat, ex quo non ſequitur eſus piſcium licere, nam piſces vt diximus, conſtituunt nouam comeſtionem, ſeu refectionem cum ſumantur ad ſubſtentationem naturæ, & ad illius virium augmentationem, vt ſupra probauimus, ideoque licet licitum ſit in ſerotina collatione manducare electuaria bellaria &c huiuſmodi, non licet piſces manducare.

134 Ad quintum argumentum reſpondetur negando ſequelā, nam vel piſces ſumuntur poſt prandium in parua quantitate, vel ſumuntur in magna, ſi in parua quantitate, quę non excedat duas vncias, non frangit ieiunium Eccleſiaſticum ob paruitatem materiæ; vel ſi talem quantitatem aliquis poſt prandium ſumat rogatus ab amico, vt omnes Doctores concedūt, & conſequenter in tali caſu nō peccatur mortaliter. Vel ſumūtur in magna quantitate, quæ ſuffiat ad fractionē ieiunij Eccleſiaſtici, & ſi hoc ita ſit qui talem quantitatem ſumit poſt prandium in die ieiunij Eccleſiaſtici, frangit ieiunium, &

peccat mortaliter pro illa vice tantum, quia ponit aliquid, quod eſt deſtructiuum eſſentiæ ieiunij, ſcilicet ſecundam comeſtionem, & ſi in eodem die alia, vel alias vices piſces comedat, etiam in magna quantitate, nou peccat mortaliter, nam deſtructa ſemel eſſentia ieiunij, in illo die, non poteſt vlterius in illo die reuiuiſci obligatio ieiunandi, vt communiter omnes DD. concedunt, quod non euenit in illo, qui in die ieiunij plures vices comedit carnem, etiamſi in parua quantitate, quia cum ieiunium duo eſſentialiter includat præcepta, vnum negatiuum abſtinendi à carnibus, alterum poſitiuum faciendi tantum vnicam comeſtionem; præceptum abſtinendi à carnibus cum negatiuum ſit non obligat ad vnum actum ſpecialem abſtinentiæ, ſed ad totalem, & continuam abſtinentiam, vnde tot ſunt actus violationis præcepti, quot ſunt refectiones inter ſe moraliter, & phyſicè diſtinctæ, vt bene dicitur in argumento. Præceptum autem faciendi in die ieiunij vnicam tantum comeſtionem, poſitiuum cum ſit, vnica actione adæquate frangitur ieiunium, fractoque ieiunio ſemel in vno die, cum non poſſit reuiuiſci de nouo obligatio ieiunandi, hinc prouenit, quod ſi in dicto die multoties comedat cibos non prohibitos, vt ſunt piſces, quod de nouo nō peccet mortaliter; quare falſo in argumēto dicitur quod præceptum Eccleſiaſticum de vna tantum comeſtione in die ieiunij ſit præceptum negatiuum, ſicut eſt præceptum abſtinendi à carnibus; ex quo patet ad probationem ſequelæ dicti argumenti.

RESOLVTIO DVODECIMA.

Vtrum licitum ſit in die ieiunij veſpertinam collationem facere cum lacticinijs, ſcilicet cum lacte, caſeo, & ouis?

135 SEnſus difficultatis propoſitæ eſt an liceat vti in collatione ſerotina lacticinijs in debita quantitate in diebus ieunij, in quibus lacticinia non prohibentur, vel ſi prohibeātur reſpectu illorum, qui priuilegium habent edendi oua, & lacticinia in dictis diebus in comeſtione diurna, vt ijqui bullam Cruciatam habent, qui gaudent priuilegio edendi oua & lacticinia in ieiunijs quadragesimalibus, in quibus prędicta lacticinia iure ſunt prohibita, vt ſupra diximus? in qua difficultate prima ſententia abſolute affirmat licitum eſſe in collatione ſerotina lacticinijs vti in debita quantitate in diebus ieiunij, in quibus lacticinia non prohibentur, & in illis in quibus prohibentur, licitum tantum eſſe habentibus priuilegium veſcendi lacticinijs in comeſtione diurna. Ita Pater Zacharias Paſqualigus in praxi de ieiunio deciſione 114. & 115. vbi pro prima parte huius ſententiæ citat Paſqualigu, Caietanum in ſumma verbo ieiunium in fine (immerito tamen, vt reſolutione præcedenti diximus ex Laimanum) Bo-

Bonacinam diſp.vlt.de præcep. Eccleſ.quæſt.1.punct.3.num.3. Bizozerum part.4.ſumm. de 3. precepto Decalogi cap. vltim. membr.2.num. 3.verſu ſed Caietanus, dum docent non referre quid ſumatur in veſpertina refectiuncula, dummodo non excedatur debita quantitas; & magis attendendã quantitatem, quam qualitatem. Quem ſententiam inquit, idem Paſqualigus referre probabilem Baſſeum in florib. theolog. mor. verbo ieiunium 1.num.9. Quoad ſecuudam vero partem deciſ.114.citat Laiman. lib.4. Theol.mor.tract.8.cap.1.nu.9. verſu id porro in fine.Turrian. in ſumma part.1.cap.256. dub. 37.concl.2. (ſed quam immerito Laiman, & Turrianum citet pro hac ſecunda parte huius ſentẽtiæ, poſtea videbimus) Syluium 2.2.quæſt. 147. art. 6. quæſit.2.Gheſſium in theſauro animę verbo ieiunium capit. 1. num.4.Boſſium de Iubilęo ſect. 4.cap.18.num. 132. Quam ſententiam ſequitur Don Marcus Vidal in ſua Arca vitali tract. de ieiunio Inquiſit.2.num 140 vbi ſic ait deducitur ſecundo. Sine violatione ieiunij ſeruata debita quantitate ſumi poſſe oua lacticinia, nempe lac, caſeum, butyrum, & huiuſmodi in veſpertina refectiuncula, quando hæc licite comedũtur in diebus ieiunij. Don Carolus Mallettus in auro theol. mor. tom.2.tract.de pręcept.Eccleſ. mall.2.bractea 11. verſu reſpõdetur in hoc vbi ait: qualitas vero cibi huius refectiunculæ poteſt ſumi de his cibis, quibus veſcimur, vel ante prandium, vel in prandio, vel poſt prandium, & ideo potius quantitas attendenda eſt quam qualitas.

136 Hęc ſententia quoad vtrãq; partem probatur primo à dicto Patre Don Marco Vidal, qui a oua, & lacticinia ſunt cibi lenes, parum famem ſedantes, vnde plus fames ſedatur ſumẽdo nuces, panem legumina, & alios huiuſmodi cibos, quam ſumendo eamdem quantitatem ex ouis, vel lacticinijs: ergo licitum erit in diebus ieiunij collationem ſerotinam facere in debita quantitate ex ouis, vel lacticinijs, quando hęc licite comeduntur in diebus ieiunij, ſiue ratione priuilegij, ſiue quia nulla eſt in diebus ieiunij dicti cibi prohibitio.

137 Confirmat primo hanc rationem, quia lacticinia, & oua rationem non habent ferculi principalis in perfecta comeſtione, ſed vt plurimum adhibentur in ientaculis, atque numerantur inter bellaria, pręcipue lacticinia: ergo etiam ſtando in oppoſita communi ſentantia, oua, & lacticinia, nõ cẽſentur prohibita in collatione ſerotina, cum ſint de ijs, quæ ante vel poſt prandium ſolent adhiberi: ergo ſi hæc licite comeduntur in veſpertina refectiuncula, vt ſentiunt DD. communiter, ita etiam licitè ſumuntur oua, & lacticinia.

138 Confirmat ſecundo, quia ſerotina refectiuncula eſt licita, quia conſuetudo introducit in genere, vt aliquantulum per cibum in debita quantitate reficiatur, & reſtauretur corpus, non tamen in ſpecie determinauit hanc vel illam qualitatẽ cibi; vnde licet per hanc conſuetudiuem introductus non fuerit explicite in veſpertina refectiuncula cibus ouorum, & lacticiniorum, nihil refert,

Tt 2 nam

Digitized by Google

nam ſufficit, vt talis conſuetudo introduxerit illum cibum in genere, ſub quo talis cibi ſpecies continetur, cum ſit de his, quę licitè ſumuntur in diebus ieiunij. ergo ſaltem virtualiter conſuetudo introduxit ratione generis hunc cibum.

139 Confirmat tertio. Quia finis intentus à conſuetudine, quando introduxit ſerotinam comeſtionem, fuit vt conſortetur ſtomachus, & reſtauretur corpus, & vt ſubleuetur natura; ſed iſte finis melius cõſequitur per cibum ouorum, quam per fructus, & aliquos alios cibos, vt conſtat: ergo magis conformatur conſuetudini iſte ouorum cibus, quam plures alij de illis pręmiſſis in ieiunijs, ideoque licitè comeduntur oua, & lacticinia in veſpertina refectiuncula, & nullo modo violatur ieiunium.

140 Addit denique prædictus Don Marcus Vidal à Doctoribus communiter cõcedi, quod in diebus ieiunii, licitè comeditur in veſpertina refectiũcula panis confectus cum ouis vulgo paſta reale, ſiue pane di Spagna, cum ſit cibus, qui enumeratur inter bellaria, quamuis melius, & ſolibius nutriat, quam oua, & lacticinia: ergo nullum eſt inconueniens concedere, quod poſſint ſumi in veſpertina refectiuncula abſq; fractione ieiunij oua, & lacticinia in debita quantitate.

141 Secunda ſententia negat licitum eſſe in diebus ieiunij veſpertinam collationem facere cum ouis aut lacticinijs, etiam ſi in dictis diebus ieiunij non ſint prohibita prędicta lacticinia, & ſi prohibita ſint non licere cum dictis lacticinijs collationem facere virtute priuileg. j veſcẽdi ouis, & lacticinijs in prandio dierum ieiunij. Ita Thoma Sanchez tom. 2. conſil. mor. lib. 5. cap. 1. dub. 25. num. 4. (non dub. 24. nu. 4. vt inuenięs apud Paſqualig. loco ſuperius citato dict. deciſ. 114. & 115. & apud Leandrũ à ſanctiſſimo Sacramento loco inferius citando.) Angles in florib. quęſt. 9. de ieiunio art. 2. diff. 4. verſu nota. Villalobos in ſumma part. 1. tract. 23. dub. 7. num. 3. Filliuc. tom. 2. tract. 27. part. 2. cap. 2. dub. 6. num. 30. Ledeſma in ſumma part. 1. tract. 27. cap. 2. poſt concluſionem quartam verſu Aeſta duda. Diana tract. 9. par. 1. reſol. 1. & part. 4. tract. 4. reſol 117. & part. 10. tract. 14. reſol. 57. & 58. verſu. Hinc dictus Pater Leander. Pater Magiſter Ioannes Baptiſta Lezana tom. 3. ſumm. regul. verbo ieiunium nu. 4. prope finem. Pater Leander à Sanctiſſimo Sacramento part. 3. tract. 5. de obſeruat. ieiuniorum diſput. 4. quæſt. 44. & quæſt. 46.

142 Primam partem huius ſententię probat 1. Pater Leander à ſanctiſſimo Sacramento dict. quęſt. 46. quia huc vſque non eſt introductus vſus ouorum, aut lacticiniorum in refectiuncula diei ieiunij: ergo huc vſque non poſſunt licitè in illa adhiberi. Patet, quia collatio ob conſuetudinem dumtaxat eſt licita: ergo etiam illud ſolum erit licitum, quod circa eius qualitatem eadem conſuetudo pręſcripſit, & pręſcribit. Secundo eamdem partem probat, quia oua, vt fercula principalia apponi ſolent in prandio, aut cęna in menſis etiam nobilium, & valde diuitum, pręcipuè ieiuniorum tempore, vt experientia conſtat: ergo ex hoc

ex hoc capite nequeunt in collatione adhiberi. Tertio probat eamdem partem, quia ſiquis licite poſſet vti in refectiuncula ouis, licite certè, aut ſaltem abſque fractione ieiunij poſſit in ea ſumere duo (imò, & tria) oua cum duobus, aut tribus vncijs panis, cum tota hęc quantitas non excedat octo, aut nouem vncias; atqui hoc aſſerere eſt ſcandaloſum, & temerarium vt patet: ergo & opinio affirmans licere collationē ſerotinam facere ex ouis in debita quantitate, eſt ſcandaloſa. Quis namque fidelis cuiuſcumque fuerit conditionis non ſcādalizaretur, videns aliū fidelem in die ieiunij veſpertina in refectione ſe pari ouorū cibare?

143 Secundam vero partem quoad oua probat eiſdem fundamētis ſuperius relatis; quoad lacticinia vero nēpe quoad caſeum, & lactem, ſic probat 1. dict. quę ſt. 44. ſuperius citata, quia licet caſeus non numeretur inter fercula, quę in Cœna apponi ſolent, & ex hoc capite poſſet in collatione ſumi, numeratur tamen inter cibos, qui prohibentur in collatione exhiberi, & ita ex hoc capite non poteſt illo quis in refectiuncula vti. Srcundo probat eamdem partem, quia ad minus multa, quę ex lacte conficiuntur condimenta enumerantur inter fercula: quę in cęna apponi ſolent, vt ſunt cibus albus, Hiſpanè manjar blanco, natillas &c. ergo male dicit Paſqualigus ex hoc capite non prohiberi in collatione ſumi. Eamdem partem tertio probat, quia (vt affirmat Paſqualigus) quod aſſumitur in collatione debet eſſe tale, quod det virtutem ſtomacho, illumque aliqualiter corroboret, at caſeus non ſolum ſtomacho, ſed & capiti, & pectori nocet, vt docet ſchola Salernitana in opuſc. de tuenda valetudine miſſo ad Regem Anglię cap. 30. & 38. ergo neque ex hoc capite erit congruum in collatione adhiberi.

144 Tertia ſententia, & quę valde mihi probabilis videtur, mediam inter has duas oppoſitas ſententias viam tenet, aſſerit igitur non licere in diebus ieiunij vti in collatione ſerotina ouis, & lacticinijs in quantitate proportionata collationi ſerotinę; in quo conuenit cum ſecunda ſententia: affirmat tamen poſſe licitè in collatione ſerotina vti modico caſeo cum pane in ieiunijs in quibus caſeus non prohibetur in comeſtione veſpertina, & in ieiunijs in quibus lacticinia prohibentur, ſi illis vti poſſit aliquis ex priuilegio, non ſolum vbi conſuetudo eſt, vt in ſeptentrionalibus Regionibus, vbi fructum inopia eſt, ſed etiam hoc poteſt fieri in aliis regionibus præcipue ab illis perſonis, quibus fructibus vti, non eſt ſalutabile in quo conuenit cum prima. Ita Laiman lib. 4. theol. moral. tract. 8. cap. 1. num. 9. verſu id porro ibi: illud tamen addo in ſeptentrionalibus regionibus, vbi fructum inopia eſt, multos etiam modico caſeo cum pane in cęnula ieiunij; quod propter conſuetudinem reprehēdi non poteſt. Aloyſius Turria. in ſumm. part. 1. cap. 256. dub. 37. concl. 3. & 5. vbi docet collationem ſerotinam non poſſe fieri cum piſcibus, neque cum piſciculis paruis, vel ouis, poſſe tamen fieri cum caſeo in parua quantitate ſimul chm pane.

Pri-

Digitized by Google

145 Prima pars huius ſententię ſcilicet non poſſe in collatione ſerotina adhiberi oua, ſatis pro bata manet argumentis factis pro prima parte ſecundę ſen. tentiæ, & etiam quia vt reſolut. pręced. diximus ea, quę per ſe ordinantur ad ſubſtentationē corporis, & per ſe apponuntur in prandio vel in cęna non poſſunt adhiberi pro collatione ſerotina in die ieiunij; atqui huiuſmodi ſunt oua experientia teſtante, ſiue ſumantur in die ieiunij ex priuilegio, ſiue quia non ſunt prohibita: ergo non licet vti ouis etiam in debita quantitate in collatione ſerotina; patet conſequentia, quia aliàs dupplex fieret comeſtio in die ieiunij, quod nullo modo licet, cum ieiunium vnicam tantum comeſtionem eſſentialiter includat ſimul cum abſtinentia à carnibus.

146 Secunda vero pars huius ſententię, nempe quod licitum ſit in collatione ſerotina in die ieiunij, vti caſeo in parua quātitate ſimul cum pane, aut ratione priuilegij ſi lacticinia ſint prohibita, aut ſine illo, ſi prohibita non ſint; probatur quia ſi vti caſeo in parua quantitate, ſimul cum pane, non liceret in die ieiunij in collatione ſerotina, vel hoc proueniret ratione conſuetudinis, vel quia caſeus apponi ſolet vt fercula principalia in prandio, aut in cęna; atqui ex nullo ex his capitibus prouenire poteſt, quod non liceat vti caſeo in parua quantitate ſimul cum pane in collatione ſerotina: ergo dicendū eſt, quod licet, cum ex nullo alio capite, quod nō liceat prouenire valeat; probatur minor nam in primis quod nō proueniat ex conſuetudine patet, cū de dicta conſuetudine non cōſtet, vt multi, & graues Doct. docent; quod autem non proueniat ex alio capite manifeſtū eſt, nā caſeus ab omnibus DD. inter bellaria, quę in prandio vel in cęna apponūtur, enumeratur; ſed ex his quę inter bellaria enumerantur in prandio, vel in cęna, licet collationem ſerotinam in debita quantitate in die ieiunij facere; ergo multo magis licebit in collatione ſerotina, vti caſeo in parua quātitate ſimul cum pane, abſque eo quod qui hoc faciat, peccet mortaliter, aut ieiunium Eccleſiaſticum frangat.

147 Ad primum fundamentum primæ ſententię reſpondetur primo cum Patre Diana parte 10. ſuper citatis tractatu 14. reſolut. 57. & cum Patre Leandro à ſanctiſſimo Sacramento part. 3. tractat. 5. diſp. 4. quęſtio. 46. (non quęſt. 40. vt citatum inuenies apud *Dianam* dict. reſolut. 57) reſponſione ad primum fūdamentum Paſqualigi omittēdo antecedens, & negando cōſequentiam, quia etiamſi oua minus nutriant, & parum famē ſedent, quam nuces, panis, legumina &c. non inde colligi licet, quod liceat ouis vti in collatione ſerotina in die ieiunij, cum prohibita ſint immemorabili conſuetudine fundata in eo, quod ideo prohibētur oua iure Eccleſiaſtico in ieiunijs quadrageſimę, eo quod non ſint cibus proportionatus pro tam ſollemni ieiunio, cum ſit cibus proximior carnibus delicatus, & ab aſtinentia rigoroſa alienus, & licet in reliquis ieiunijs oua Eccleſia permittat, id facit eo quod, non requirat in illis tam ſtrictam abſtinentiam; ideoque in vtroque ieiu-

nio

Digitized by Google

iunio, ſcilicet quadrageſimali, & extra quadrageſimam eſt conſuetudo in memorabilis apud omnes fere viros timoratæ conſcientiæ, & religioſos, non vti in collatione ſerotina ouis etiam in debita quantitate.

148 Secundo reſpondetur negando abſolute antecedẽs, quia tam longe abeſt cibus ouorum eſſe cibus leuis, quam lux diſtat à tenebris, cum potius valde nutriant, & cum illis fames valde ſe detur, vt teſtatur ſchola Salernitana dicto opuſc. ſuperius citato cap. 8. ex Auicenna ſic dicente: quandoque eſt nutriens paruæ quantitatis, plurimo reficiens alimento; eius generis ſunt potiſſimum oua, & teſtes gallinacei, quorum ferè nutrimentum cum ipſorũ penſatur pondere, ſic Auicenna: ergo conſtat falſum eſſe, quod oua ſit cibus leuis, & parui nutrimenti; & conſequenter etiam falſum eſt quod plus ſedetur fames ſumendo panem, ficus, nuces, & huiuſmodi fructus, quam ſumendo panem cum ouis, vt experientia docet; & conſtat cum oua plus afferant nutrimenti, quam piſces, vt communiter docent Doctores. Ex quo manifeſte infertur nullo modo licere vti ouis etiam in debita quãtitate in die ieiunij pro collatione ſerotina.

149 Ad primam confirmationẽ reſpondetur negando antecedens, quoad primam partem, nempe oua non habere rationem ferculi principalis in perfecta comeſtione, vt optime probatum manet ſupra probatione ſecunda pro prima parte ſecundę ſententię; nam oua nullo modo connumerantur inter bellaria loquendo pręſertim de cibis quadrageſimalibus cum oua inter meliora, imo & optima fercula numerari debeant, & de facto ab omnibus numerentur. Neque obſtat (vt bene notat Pater Leander à sãctiſſimo Sacramento dict. queſ. 46 ſolut. ad 4. argu. Paſqualigi) quod aliquando oua inter ientaculis ſumantur, nam ex hoc non infertur bene quod inter bellaria numerari debeant, & ideo in collatione ſerotina ſumi poſſint, cum notum ſit omnibus multa alia, quæ rationem ferculi principalis habent, paſſim in ientaculis tam matutinis, quam veſpertinis apponi ſoleant; & hoc ex appetitu, aut voluntate eorum dependeat, & non ex alio capite, qui prandium, aut cęnam faciunt.

150 Ad ſecundam confirmationem reſdondetur negando antecedens; nam conſuetudo nõ introduxit collationem ſerotinam, vt in illa aliquis cibus in genere ſumeretur, ſed quod ſumeretur in debita quantitate ad confortandum ſtomachum, & ad manutenendas vires corporis, vt poſſit in quadrageſima onus continuationis ieiunij tolerare, ex his tamen, qui in ſpecie non habent rationem ferculi principalis neque vt fercula principalia apponuntur in prandio, aut cęna, ſed ex his quę inter bellaria apponuntur; cum autem oua inter fercula principalia, quę in prandio vel cęna apponuntur, enumerentur; hinc eſt quod neque explicite, neque implicite ratione conſuetudinis poſſint adhiberi in collatione ſerotina. Nec valet ſi dicas cum Paſqualigo & cum Don Marco Vidal locis ſup. citat. impertinentem rem eſſe,

eſſe, & valde accidentalem pro noſtro caſu, quod oua habeant rationem ferculi principalis in refectione perfecta, ſcilicet in prandio, & cęna, cum ſolum debeat attendi an minus nutriant, quam panis, & alia quędam cibaria, quæ collationi cōceduntur. Hoc inquam, non valet, nam vt inſolut. ad prim. Argum. huius ſententię diximus adhuc dato gratis, quod non ad illud, ſed adhoc debeat attendi, non inde ſequitur licere ouis, vti in collatione ſerotina, vt ex dictis in dicta ſol. conſtat.

151 Ad tertiam confirmationē reſpondetur omittendo maiorem, & minorem, & negando conſequentiam, quia licet finis conſuetudinis introducentis ſerotinam collationem fuerit ad confortandum ſtomachum intelligitur facta talis introductio, vt ſtomachus confortetur ex illis cibis, qui prohibiti non ſunt, & ita licet melius confortetur ſtomachus ouis, quam fructibus, inde non ſequitur quod per ouorum eſum debeat confortari, cum ſint alij cibi, qui id preſtare valeant, vt panis fructus, herbę, & alij huiuſmodi, quę in collatione prohibita non ſunt, ſicut ſunt per conſuetudinem oua.

152 Ad ſecundum fundamētum eiuſdem Don Marci Vidal, verſu addo denique, reſpondetur negando antecedens, nā DD. communiter contrarium docent (præter Sancium in ſelect. diſp.52.num.7. Paſqualigum, & Don Marcus Vidal) ita defendūt Roccaſull. in praxi theol. moral. de præcept. Eccleſiæ to. 2.lib.3.cap.4.nnm.7. Martinus de Sancto Ioſeph in mon.conſ. tom.1.lib.2.tract.6. de ieiunio num.4. Pater Leander à ſanctiſſimo Sacramento dicto tract. 5.diſp.4.quæſt. 48. Diana part. 10.tract.14.reſol.57.licet affirment, & bene quod non damnarent, qui comederet in collatione ſerotina vnum biſcottum ex pane ouis confecto in paruula quantitate, nam reuera non parua quantitas ouorum, ſed ſatis magna ingreditur in vncijs octo panis biſcotti, etiam, vt regulariter fieri ſolet, vt notant Rodriquez in ſumma cap. 23. ante primam concluſionem, & Diana dict. part. 10.tract. 14. reſol. 57. alias ex oppoſita ſententia affirmante licere in collatione ſerotina ſumere panem biſcottum in debita quantitate, ſcilicet vncias octo ſequeretur quod in diebus in quibus prohibentur oua licitum eſſe comedere panem biſcottum in quacumque magna quantitate etiam ſecluſa conſuetudine, quod vt falſum refutant Leander à ſanctiſſimo Sacramento parte 3. tractat. 5. diſput. 3. quęſt. 18. Ioannes à Cruce prim. part. Directorij Conſcient. pręcept. 3. artic. 4. dub.8.concluſ. 4. Vega tom. 1. ſummę cap.14.concl.9. Rodriquez prim.part.ſumme cap.23. ante primam concluſionem, Diana part.prim.tract. 9. reſol. 31. & part.10.tract.16. reſolut. 17.verſu nota vero Boſſius de Iubil.ſect.4.caſu 18. num. 138. Trullench in decalog.lib.3.cap 2.dub.3. num. 8. & alij quos ibidem citat dictus Pat. Leander à ſanctiſſimo Sacramento, & ratio horum DD. eſt, tum quia quando prohibentur oua, prohibentur abſolutè, & abſque vlla diſtintione, aut limitatione: ergo ſiue admiſceantur pani, aut alijs cibis, ſiue non ſemper rema-

rem inent cibus prohibitus. Patet conſequentia, quia ex admixtione cum ſubſtantia panis, aut vt melius dicamus farinæ Tritici, nullo modo deperditur ſubſtantia ouorum, alias in in vanum adhiberentur. Tum etiam, quia oua ingrediuntur ad efficiendum panem biſcottum, vt pars conſtitutiua illius: ergo panis biſcottus qui conſtat ex ouis, tamquam ex parte componente, & conſtitutiua omnino remanebit cibus prohibitus. Conſequentia eſt manifeſta, & anteuedens probatur, tum quia panis biſcottus conficitur ex farina, & ouis: ergo ex ijs duobus tamquam ex partibus, ſeu compartibus confectus conſtat; tum etiam quia biſcottus nullo modo eſt panis vſualis, aliàs validè poſſet conſecrari, quod nemo admittet: ergo ideo eſt quia in ipſo pane biſcotto remanet ouorum ſubſtantia; ergo ſi non licet panem biſcottum edere in magna quantitate in die ieiunij in comeſtione diurna quãdo oua ſunt prohibita, nec licebit cum ouis, neque cum pane biſcotto collationem ſerotinam facere.

153 Ad primum fundamentum ſecundæ ſententiæ pro ſecunda eius parte reſpondeo quod licet concedamus caſeum eſſe prohibitũ ſumere in collatione ſerotina diei ieiunij ex conſuetudine in magna quantitate hoc eſt vt ſumantur quatuor vnciæ caſei, & quatuor panis in dicta collatione ſerotina, nõ tamen conſtat conſuetudine eſſe prohibitum ſumere in dicta refectiuncula, ſeu collatione ſerotina aliquam partem paruulãm caſei ſimul cum pane ad confortandum ſtomachum & ne potus noceat, & hoc vltimum eſt, quod nos aſſerimus in noſtra ſententia, non autem primum, licet non damnarem tamquam reum culpę mortalis, illum qui in collatione ſerotina tres vncias caſei ſumeret ſimul cum pane, cum caſeus non ingrediatur inter fercula principalia in prandio, aut cæna, ſed numeretur inter bellaria; quæ ratio non currit de ouis, & lacte, quæ inter fercula principalia ponuntur pręcipue in diebus ieiunij in prandio. Quod in praxi obſeruari vidi in Hiſpania à viris Religioſiſſimis timoratæ conſcientiæ, ſcientiæque ornatis ſufficientiſſimæ. Ad ſecundum pro eadem parte fũdamentum reſpondeo omittẽdo antecedens, & negando cõſequentiam loquendo de caſeo quia licet cibus albus &c. multoties apponantur inter bellaria ex voluntate libera, & appetitu hominum hoc non conuincit, quod numerentur rigoroſè inter bellaria, aliàs poſsẽt in diebus ieiunij in quibus lac prohibetur, ſumi in prandio in magna quantitate abſque priuilegio, quod non eſt dicendum, nec concedit P. Leander à Sanctiſſimo Sacramento, ſicut nec concedit, & bene quod panis biſcottus poſſit in prandio ſumi in magna quantitate in diebus ieiunij, in quibus oua prohibentur, licet panis biſcottus multoties ex voluntate, & appetitu hominum inter bellaria apponatur in prandio, aut in cęna, cum per ſe, & ratione ſui ad bellaria nõ pertineat, ſed magis ad fercula principalia ratione ſuæ ſubſtantiæ, quod non contingit in caſeo, quod perſe, & ratione ſui inter bellaria ponitur in prandio, & in cęna. Ideoq; licet illũ in parua quãtitate

Digitized by Google

vti in collatione, ſeu refectiuncula ſerotina in die ieiunij modo à nobis ſuperius dicto abſq; conſcientię ſcrupulo. Ad 3. probationē reſpondeo concedēdo maiorem, & negando minorē, ſi caſeus in parua quantitate ſumatur in collatione ſerotina; & licet etiā ſūptus in parua quātitate aliquo modo ſtomacho noceret, hinc nō ſequitur quod non liceat illum in dicta quantitate ſumi in veſpertina collatione cum multi ſint fructus, quibus vti licet in collatione ſerotina, qui aliquo modo ſtomacho nocent, & non propter hoc ſequitur non licere dictis fructibus moderatè in collatione vti, vt concedit ipſemet Leāder locis ſuperius citatis: ergo ex hoc capite non licet inferre non poſſe paruum caſei ſumi ſimul cum pane in refectiuncula ſerotina dierum ieiunij Eccleſiaſtici abſque lęthali culpa.

RESOLVTIO DECIMATERTIA.

Vtrum in Collatione Veſpertina in die ieiunij Eccleſiaſtici licitum ſit ſumere quartam partē comeſtionis.

154 PRo deciſione huius reſolutionis ſupponendū eſt vt certum cum communi Doctores ſententia in collatione ſerotina ſumi poſſe quantitatē cibi vſque ad vnciarum octo. Ita Fagundez lib. 1. in 4. præcept. Eccleſiæ cap. 4. num. 13. Villalobos tom. 1. ſummæ tract. 23. diff. 7. num 4. Ioānes Sancius in ſelect. diſp. 52. nu. 7. Paſqualigus in praxi de ieiunio deciſ. 91. num. 4. P. Ioſephus Auguſtinus in breui notitia &c. de pręcept. 2. Eccleſię num. 1. Eſcobar in theol. moral. tract. 1. exa. 13. cap. 1. nu. 102. P. Franciſcus Pellizarius in manual. regul. to. 1. tract. 5. cap. 5. nu. 10. & 11. Geſuald. in theol. moral. to. 3. tract. 22. cap. 2. num. 27. Leander de Murzia in quęſt. regular. cap. 2. ſuper 3. regulę S. Franciſci §. 2. nu. 41. Baucius in miſcell. tract. 1. quęſt. 75. Ioannes Enriquez in compend. caſuum conſcient. cap. 10. nu. 2. & 3. Machadus de perfecto Confeſſ. tom 1. lib. 2. part. 4. tract. 3. docum. 7. nu. 2. Trullench in Decalog. tom. 1. lib. 3. cap. 2. dub. 3. nu. 9. Thom. Sanchez tom. 2. conſil. mor. cap 1. dub. 25. n. 3. Diana par. 1. tract 9. reſol. 1. & part. 9. tract. 6. reſol. 8. & reſol. 15. P. Leander à Sanctiſſimo Sacra. part. 3. tract. 5. de obligat. ieiun. diſp. 4. quæſt. 13. Ex quibus valde aliqui probabiliter, & bene docent quod qui per vnam, aut duas vncias deſignatam quantitatem collationis excedunt ieiunium non frangere, vt refert Diana dicta par. 9. tract. 6. reſol. 15. & P. Leāder à ſanct. Sacram. dicta diſp. 4. quęſt. 14. & Pat. Pellizarius nu. 10. ſupr. citato vbi ſic ait. Concedo tamen quod ſi quis in collatione veſpertina ſumat vncias 10. cibi cōmunis peccat ſolū venialiter; idq; colligo ex eo quod iuxta dicta probabile eſt poſſe licite ſumi in veſpertina refectiuncula vncias octo abſq; vllo peccato, & aliàs probabile putant Turrian. p. 1. ſumm. c. 256. diſp. 27. n. 2. & Dian. p. 5. tract. 5 reſol. 14. (non reſol. 11. vt inuenies apud Pelliza. dict. n. 11.) ad violationē ieiunij mortalem nō ſufficere quātitatem duarū vnciarū cibi communis & conſequēter cenſent, comedentem dictas duas vncias peccare ſolum venialiter contra legem ieiunij. Vnde

vnde ſit quod ſumens in collatione ieiunij duas vncias vltra octo, quę conceduntur peccat ſolum venialiter, quod cōfeſſarij bene notent ad ſubleuandam ſummam difficultatem, quam plures fideles ſentiunt in obſeruādis Eccleſię ieiunijs. Hucuſque Pellizarius, quo ſuppoſito procedendo ad difficultatem reſolutionis.

155 Pater Antonin. Diana part. 4. tract. 4. reſol. 117. pro affirmatiua ſententia citat Filliuciū & alios affirmans illos aſſerere non eſſe quātitatem notabilem in collatione ieiunij ſumere quartam partem eorum, quæ ieiunanti ſufficerent ad ordinariam ſuam comeſtionem, quia pars quarta comeſtionis non cenſetur magna quantitas. Verum enim vero Filliucius tract. 27. part. 2. cap. 3. n. 33. Reginald. lib. 4. cap. 14. dub. 10. n. 285. Laiman. lib. 4. theol. mor. tract. 8. cap. 1. n. 9. & alij, quos pro hac ſententia Diana citare poterat, vt ſunt Machadus de perfecto confeſſ. lib 2. part. 4. tract. 3. doc. 7. referens vtramque ſententiam, & nullam ex illis approbans, nec rrprobans, ex quo videtur vtramque, vt probabilem ſubſtinere. D. Carolus Malletus in Auro theol. moral. tom. 2. tract. de præcept. Eccleſ. malleat. 2. bractea 11. non loquuntur de prandio, ſed de cęna, ad quam longe minor quantitas ſufficere ſolet, & debet, vt bene notat Amadeus Guimen. in ſuo opuſculo aduerſ. quorund. expoſt. contra nonnullas Ieſuitarum opinion. mor. tract. de ieiunio propoſ. 2. num. 1. Layman. igitur dicto num. 9. verſu quod attinet ſic inquit, quod attinet ad quantitatem id vniuerſum dici poteſt oportere eſſe modicam, ne cęnula in cęnam tranſeat, & ſpeciatim vero attendenda eſt tum regionum, tum perſonarū diuerſitas; nam Regionum alię alijs frigidiores ſunt; inter perſonas vero alia alijs maiori cibo ſeu ꝓpter labores, ſeu propter corporis cōſtitutionē indigent, ſicut notauit Azor. ſupra citatus quæſt. 7. & Valerius Reginaldus in praxi ſua tom. 2. lib. 4. num. 185. qui non improbabiliter talem regulam tradit; tunc demum exceſſum fieri noctur. nę cęnulę, quando id quod ſumitur notabiliter maius eſt quarta parte eius quantitatis, quę ad integram cęnam ſufficeret, niſi cauſa aliqua excuſet, cuiuſmodi eſt v. g. corporis teneritudo, vel aſſuefactio, qua ratione interdum perſonis nobilioribus plus permitti poteſt, vel occupatio diurna, qua ratione aſſiduis literarum ſtudioſis plus conceditur. Hęc Laym. Et Don Carolus Malletus fere idem dicit dict. bract. 11. verſu reſpondatur in hoc ibi. reſpō. detur in hoc non poſſe dari regulam certam, ſed ſtandum eſſe conſuetudini receptæ in ſingulis regionibus, & iuxta qualitatem complexionis ſumentis illam refectiuunculam, quia aliquando poteſt eſſe, quod vni complexioni quinque vnciæ ſint ſatis, aliæ vero complexioni parum ſint, & ideo hæc regula ſeruanda erit, quod conſiderata propria complexione non plus ſumatur in ientaculo, quam quarta pars eorum, quæ illi ſufficerent ad ordinariam cęnam, & proinde, qui ratione complexionis indiget maiori cena, poteſt magis ſumere, quam ille, qui indiget minori cęna. Huc vſque Malletus. Vn-

de ſatis conſtat præfatos Doct. non aſſere, quod licet collationem ſerotinam facere cum quarta parte eorum, quæ ieiunanti ſufficerent ad ordinariã ſuam comeſtionem, cum clare loquantur de cęna, & non de comeſtione diurna, vt eis tribuit Diana dict. part. 4. tract. 4. reſol. 117. idem docet D. Marc. Vidal. in arca vitali tractat. de ieiunio inquiſ. 1. num. 147.

156 Fundamentum huius ſenteutiæ eſt quia in collatione ſerotina quarta pars eorum, quę in cęna generaliter ſumi ſolent, non excedit quantitatem, quam licite edere poteſt in refectiuncula diei ieiunij: ergo quarta pars communis cęnę poteſt ſumi abſque aliquo ſcrupulo in ſerotina refectiuncula diei ieiunij. Conſequentia eſt formalis, & antecedens probatur, quia in prędicta refectiuncula poſſunt abſque ſcrupulo ſumi vncię octo fructum ſimul cum pane, aut aliorum ciborũ, qui in die ieiunij non ſunt prohibiti, & ſi extendatur ad decem vncias, in probabili multorum opinione collatio dictę quantitatis nempe vnciarum decem, licita eſt ſaltem abſque peccato mortali; atqui quantitas cęnę iu perſonis bene, & debite regulatis non poteſt plus eſſe, quam quantitas vnciarum 32. & ad plus 40. ergo quarta pars cęnę non excedit quantitatem, quę licitè in refectiuncula ſerotina diei ieiunij ſumi poteſt.

157 Secunda ſententia abſolute negat in collatione ſerotina licitum eſſe quartam partem cõmunis cęnę ciborum ſumere, nam dictam quantitatem magnam iudicat reſpectu illius cibi, qui poteſt ſumi in ſerotina collatione abſque ſcrupulo culpę mortalis, ſiue ſumatur ad ſubſtentandam naturam, vireſque corporis corroborandas, ſiue ſolum ſumatur per modũ medicinę, ne potus noceat. Ita Aloyſius Turrianus in cenſuris Theologic. cenſ. 3. dub. 27. quẽ citat, & ſequitur Pater Antoninus Diana part. 4. tractatu 4. reſol. 117. qui ſimul cum Turriano oppoſitam ſententiam omnino improbabilem appellat, nec tutam in praxi. Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia vel per comeſtionem intelligitur meridiana, vel cęna, veſpertina; atqui quomodocũ. que intelligatur, ſiue pro prandio, ſiue pro cęna eſt omnino falſum, quod liceat quartam partem ciborum, qui apponũtur in prandio aut cęna, (etiam ex his, qui non ſhnt prohibiti in die ieiunij) in refectiuncula ſerotina in die ieiunij licite ſumere; ergo &c. Probatur minor, quia in his comeſtionibus communiter homines ita magnam quantitatem aſſumunt, vt quarta pars ſit quantitas notabilis reſpectu quantitatis, quã ſumere licet in collatione Veſpertina diei ieiunij: ergo ſiue ſermo ſit de comeſtione meridiana, ſiue de cæna veſpertina, falſum eſt aſſerere licere in die ieiunij pro collatione ſumere quartam partem eorum, quæ apponuntur in comeſtione, aut cęna abſque fractione ieiunij.

158 Tertia ſententia mediã viã tenet, proceditq; cũ diſtinctione, aſſerit enim licitũ eſſe ſumere pro collatione veſpertina quartam partem cęnę ab his, quorum cęna non excedit 32. vncias, quia in hoc euentu nõ ſumunt pro collatione niſi quan-

quantitatem vnciarum octo, quam verè ſumi poſſe ab omnibus indifferenter communiter concedunt Theologi, vt ſupra diximus in ſuppoſitione pro explicatione difficultatis huius reſolutionis. Ab alijs vero qui plures libras cibi in qualibet cęna ſumunt nequaquam licere affirmat quartam partem cęnę, quia abſque dubio limites veſpertine collationis excederent, & multum quantitatem vnciarum octo. Ita Paſqualigus in praxi de ieiunio deciſ. 90. nu. 6. vbi ſic ait. Itaque prædicta opinio (loquitur de hac opinione, quam refert num. 4.) poteſt tantum habere locum reſpectu eorum, qui conſueuerũt ſumere cęnam moderatam, quia tunc quarta pars illius poteſt moraliter cenſeri refectiũcula, quatenus eſt quid modicum, non ſolum reſpectiuæ ad totam cenam, ſed etiam in ſe, & accedit ad illam quantitatẽ, quæ probabiliter ſolet aſſignari vt licita pro tali refectiuncula. Ex quibus conſtat Turrianum ſupra citatum irrationabiliter more ſuo vocare ſupradictam ſententiam ſcandaloſam, temerariam, & contrariam bonis moribus. Hęc Paſqualigus. quem citat, & ſequitur Pater Leander à ſanctiſſimo Sacram. part. 3. tract. 5. diſp. 4. quęſt. 9.

159 Ex ſupradictis ſententijs prima mihi probabilis videtur, ſi cęna regulariter, & quę per annum fit communiter à ieiunantibus, non excedat quantitatem vnciarum 40. quia quantitas vnciarum 10. non eſt magna quantitas pro collatione ſerotina vt nonnulli Doctores valde probabiliter concedunt, & preterea, quia collationis quantitas iuxta varietatum regionum, & perſonarum commenſuranda eſt, vt docent Azorius 1. part. lib. 7. cap. 8. quęſt. 8. Filliuc. part. 2. tract. 27. num. 31. Reginald. lib. 4. numer. 185. Laiman. lib. 4. theol. mor. tract. 8. cap. 1. num. 9. Boſſius de iubil. ſect. 4. caſu 18. num. 149. quos citat, & ſequitur Leander à ſanctiſſimo Sacramento vbi ſupra quęſt. 6. quare aliquibus perſonis licet maiorem quantitatem, quam vnciarum octo ſumere in collatione ſerotina, vt ſunt perſonę nobiliores, & alię quę ſtudijs vacant, aut illę quę habitant in regionibus frigidioribus, vt docet idem Leãder cum alijs dict. quęſt. 6. & 7. & 28. Tertia tamen ſententia abſolute loquendo probabilior & tutior in praxi eſt; quia probabilius, & tutius eſt aſſerere debere omnino aſſignari pro collatione ſerotina determinatam quantitatem cibi, quam eam relinquere conſcientiæ vniuſcuiuſque, vt contra Gheſſium in theſauro Animæ verbo ieiunium cap. 1. num. 4. & Patrem Ioannem à Sancto Thoma in explicat. Doctrinę Chriſtianę part. 2. vbi de pręcepto Eccleſię docent communiter Doctor. ne inter fideles ieiunantes ſequatur confuſio & eorum conſcientię infinitis ſcrupulis implicentur; atqui quantitas vnciarum octo communiter aſſignatur à Doctoribus pro materia licite ſumenda, & abſque aliquo ſcrupulo etiam culpę venialis. Ab omnibus abſolute in collatione ſerotina dierum ieiunij: ergo tutius, & probabilius eſt aſſerere licere in dicta collatione quartam cęnę partem ſumere ab his, qui in ſuis cęnis non excedunt quãtitatem vnciarum 32. ſecus autem

tem ab his qui plures libras cibi ſumunt in qualibet cæna.

160 Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ reſpondetur eligendo ſecundam partem dilemmatis maioris propoſitionis in quo ſenſu, & non in alio loquitur prima, & tertia ſententia & negando minorem; ad cuius probationem dico quod generaliter, & vt in plurimum loquendo homines prudentes, & ſobrij in ſuis cęnis non excedunt quantitatem vnciarũ 32: & ad maximum vnciarum 40. & ſic in primis licitum eſt abſq; aliquo ſcrupulo etiam culpę venialis quartam partem communis cęnę ſumere in collatione ſerotina dierum ieiunij, cum illis liceat ex communi Doctorum conſenſu in dictis refectiunculis, quantitatem vnciarum octo cibi ſumere etiam abſque neceſſitate, quam quantitatem communiter Doctores aſſignant pro parua in cęnula dierum ieiunij, non ſolum reſpectu communis cęnę in alijs diebus, ſed etiam ſecundum ſe; in alijs vero, qui in communi cęna ſumunt communiter maiorem quantitatem, dum non excedant quantitatem vnciarũ 40. licet valde probabiliter ſaltem abſque mortali peccato vti quarta parte dictę cęnæ in Collatione ſerotina dierum ieiunij ex his cibis, qui in dictis diebus non prohibentur, & non ordinantur per ſe ad prandium diurnum, aut ad cęnam nocturnam, aut veſpertinam, vt ex ſupradictis tam in hac, quam in precedentibus reſolutionibus conſtat.

RESOLVTIO DECIMAQVARTA.

Vtrum in Vigilia Natiuitatis Domini poſſit ſumi collatio Veſpertina ex fructibus, & alijs cibis licitis in alijs refectiunculis dierum ieiunij, non ſolum maior quam in alijs refectiunculis dierum ieiunij; verum etiam abſque menſura, & limite?

161 IN hac reſolutione ſuppono primo cum communiori Doctorum ſententia, quod in collatione ſerotina vigiliæ Natiuitatis licitum eſt maiorẽ quãtitatem cibi ſumere, quam in alijs collationibus aliorum dierum ieiunij. Ita ſentiunt Faguñdez de pręcept. Eccleſ. pręcep. 4. lib. 1. cap. 4. num. 19. Aloyſius Turrianus in ſumma parte 1. cap. 256. dub. 38. concl. 3. Trullench. in Decalog. cap. 2. dub. 3. num. 9. Pater Magiſter Ioannes Baptiſta Lezana tom. 3. *ſummę* regular. verbo ieiunium, vbi ſic ait. *Vſus autem Hiſpanię quod in Vigilia Natiuitatis Domini plus ſolito collatio fiat ex fructibus, electuarijs, licet à Nauarro ſupra num. 14. reprobetur; approbatur tamen à viris Doctiſſimis ſpecialiter Medina lib. 1. ſummæ capit. 14. §. 10. Sanchez ſupr. dub. 26. & alijs.* Hęc Lezana. Pater Franciſcus Pellizarius in manual. regular. tom. 1. tract. 5. cap. 5. num. 12. Pater Antoninus Diana part. 1. tract. 9. reſol. 35. & par. 5. tract. 14. reſolut. 12. (non 15: vt inuenies apud Leandrum à Sanctiſſimo Sacramento part. 3. tract. 5. diſp. 4. quęſt. 15.) & part. 9. tract. 6. reſolut. 17. verſu de hoc caſu. & part. 10. tract. 12. reſolut. 41.

Digitized by Google

lut.41 in principio. Martinus de Sancto Ioſeph in mon. confeſſ tom.1.lib.2.tract.5.de ieiunio numer. 3. Pater Zacharias Paſqualigus in praxi de ieiunio deciſ.92.num.3.P. Thom. Sanchez tom.2. conſil. mor.lib 5. dub.26.cap.1.num. 1. D. Marcus Vidal in ſua Arca vitali tractatu de ieiunio inquiſ.1. num. 149. & 150. Don Carolus Maletus in Auro theol.mor.tract. de pręceptis Eccleſiæ malleat.2 bractea 16. vbi quamuis aſſerat quod licet quatenus eſt ieiuniũ vigiliæ Natiuitatis Domini nõ liceat in maiori quantitate, ſumere ientaculum, poſita tamẽ vna ex his cauſis, quia omnes ea nocte vigilant, & in Templo Diuinis officijs interſunt ratione vigiliæ noctis, aut ſenectutis licere collationem facere in maiori quantitate, non ſolum laicis, ſed etiã religioſis, & ſub hac ratione cõſuetudinem fuiſſe introductam. Quod etiam ſubſtinent plures alij Doctores à ſupra relatis Doctoribus citati.

162 Secundo ſuppono cum maiori parte Doctorum non ſolũ licere in vigilia Natiuitatis Domini. Maiorem quantitatem cibi ſumere, quam conſuetam in alijs ieiunijs, ſed etiam duplo maiorem, itaque cum communis quantitas in alijs ieiunijs pro collatione ſerotina ſit vnciarum octo, in vigilia Natiuitatis poteſt ſumi in collatione ſerotina quantitas vnciarũ 16. ita fere omnes Doctores citati in prima ſuppoſitione. Rationẽ huius reddit Fagundez in præcepta Eccleſiæ præcept.4. lib.1. cap.19. & ex eo Pater Leander à ſanctiſſimo Sacramento dict. quæſt.15. quia vbique iam eſt conſuetudine introductum ob ſollemnitatem tanti feſti, vt ad minus dupplo maior ſolito refectiuncula in dicta vigilia fiat, & reuera negare non poſſumus opinionem Azorij eſſe veram, cum vbique id videamus fieri etiam à Paſtoribus, & Prælatis. Vnde cum ordinaria collatio octo vncias poſſit habere ex fructibus, & pane, vel ex dulciaribus, vt diximus numer.13. ſequitur vt in peruigilo Natiuitatis Domini ſexdecim plus minuſue capere poſſumus. Hęc Fagundez. Quibus ſuppoſitis.

163 Pręſens difficultas eſt, an in dicta Vigilia Natiuitatis Domini liceat veſpertinam collationem facere ex fructibus, & pane, vel ex dulciaribus vſque ad ſaturitatem abſque menſura & limite. Affirmatiuè reſpondet Pater Leander à ſanctiſſim. Sacramento dicto tractatu 5. diſputat.4. quæſt.16. citans pro hac ſententia Medinam in inſtruct. Confeſſ.1. part.cap. 14.§. 10. Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia facere collationem ſerotinam in dicta vigilia Natiuitatis Domini ex fructibus, & pane, vel ex dulciaribus vſq; ad ſaturitatem abſque menſura & limite conſuetudine eſt introductum etiam apud timoratos, & Religioſos viros, apud quos hęc inualuit conſuetudo: ergo ratione dictę conſuetudinis licet dictam collationem facere ex ſupradictis cibis vſq; ad ſaturitatem abſque menſura, & limite. Probatur conſequentia ex paritate rationis; quia eadem ratione qua conceditur ieiunantibus, quod poſſint in dicta Vigilia ſumere pro refectiuncula quantitatẽ ſexdecim imo & 24. cibi vnciarũ, videtur eadẽ ratione cõcedi debere vt poſſint ſumere ex ſupradictis

ctis

Digitized by Google

ctis cibis maiorem quātitatem ſine menſura; nam ſicut prima illa quantitas ſexdecim aut 24. vnciarum non frangit ieiunium in dicta Vigilia, ita ſimiliter dicere debemus maiorem quantitatem, ieiunium non frangere, ſi ſumatur à ieiunantibus in dicta vigilia abſque menſura, & limite: ergo dicēdum eſt quod nulla quantitas ex præaſſignatis cibis in dicta vigilia, ieiunium frangit, ſicut vſus concedit ob letitiam, & excellentiam feſti. Antecedens videtur certum, cum nulla maior ratio appareat in vno caſu, quam in alio. Conſequentia vero probatur, quia etiam ſecluſa quacumque conſuetudine licet in vigilia Natiuitatis cuicumque generi perſonarum vti ampliori collatione ſerotina: ergo potiori iure hoc poteſt fieri ſuppoſita conſuetudine, & vſu ob letitiā & excellentiam dicti feſti Natiuitatis. Conſequentia videtur certa, & antecedens probatur, quia ex natura rei (vt ita dicamus) & ſecluſa quacumque conſuetudine licitum eſt cuicumque perſonę celebrare cum lętitia ieiunium lętitię; atqui prædicta vigilia Natiuitatis Domini, cum ſit vigilia ſollemniſſimi feſti eſt ſollemniſſimè, & eximiæ lętitię: ergo ex natura rei ipſamet Vigilia petit cum lętitia celebrari, & conſequenter vti in hunc finem ampliori collatione. Quia ſic regulariter ſolent omnes in refectione diei lautioribus cibarijs celebrare ieiunium ad oſtendendam hilaritatem ieiunij.

264 Secunda ſententia negat licitum eſſe in Vigilia Natiuitatis Domini ſumere quantitatem cibi ex fructibus, & pane, vel ex dulciaribus abſque menſura, & limite. Ità Pat. Thom. Sanchez tom.2.conſil.lib.5.cap 1.dub.26.num.6. Lubbinus verbo ieiunium numer.4. Aloyſius Turrian. in ſumma part.1.cap. 256, dub.38.concl.3. Trullench lib.3. in Decalog. cap.2.dub.3. numer.9. Pater Lezana tom.3. ſummę regul. verbo ieiunium num.4. Pater Antoninus Diana par.1.tract.9.reſol.35.& par.5. tract.14.reſolut.12. verſu notādum eſt etiam hic. & parte 9. tract.6.reſol.17.& alij.

265 Probatur hęc ſententia primo quia conſuetudine introduci non valet in die ieiunij Eccleſię, aliquid quod deſtruat eſſentiam ieiunij, nam hęc non eſſet dicenda conſuetudo, ſed corruptela; atqui collationem facere in vigilia Natiuitatis Domini etiam ex fructibus, & pane, vel ex dulciaribus vſque ad ſaturitatem abſque vlla menſura, & limite eſt facere aliquid eſſentialiter deſtruens eſsētiam ieiunij Eccleſiaſtici: ergo ratione conſuetudinis nullo modo licet prędictā collationem ita laxiorem in prædicta vigilia Natiuitatis facere. Maior eſt certa; & minor probatur quia dupplex comeſtio in die deſtruit eſſentialiter eſſentiam ieiunij Eccleſiaſtici; atqui ſumere refectiunculam ſerotinam in vigilia Natiuitatis Domini vſque ad ſaturitatem abſque menſura & limite, conſtituit nouam comeſtionem; ergo facere prædictam collationem in dicta vigilia eſt facere aliquid deſtruens eſſentiam ieiunij Eccleſiaſtici, quod obligat in dicta die; patet conſequentia, quia qui in alijs diebus ieiunij faceret collationem, ſeu refectiunculā ſerotinam ex fructibus, aut alijs cibis non prohibitis vſque ad ſatu-

ſaturitatem abſque menſura, & limite, faceret vtique ſecundā comeſtionem, & deſtrueret eſſentiam ieiunij Eccleſiaſtici: ergo idem dicendum eſt in vigilia Natiuitatis Domini: ergo cum conſuetudo non poſſit introducere aliquid oppoſitum eſſentię ieiunij Eccleſiaſtici, ne dicatur corruptela, potius quā coſuetudo, non debemus dicere, quod ratione conſuetudinis licet in vigilia Natiuitatis collationem ex fructibus facere abſque menſura, & limite vſq; ad ſaturitatem.

166 Nec valet ſi dicas Curiales Romanos non frangere ieiunium vigiliæ Natiuitatis Domini facientes collationem in dicta vigilia ſine menſura, & limite vſque ad ſaturitatem: ergo idem dicendum eſt in alijs prouinciis, & regnis. Hoc inquam non valet: nam, vt bene notat Petrus de Cenedo in queſtionibus Cannonicis queſt. 41. nu. 4. Ciues Romani non frangunt ieiunium facientes prædictam graſſam collationem in vigilia Natiuitatis Domini ſecundum conſuetudinem Romanæ Curiæ, quia tales videntur generaliter diſpenſari à Summo Pontifice; poſtquam Papa ſciens dictam conſuetudinem eam tolerat, nec confeſſores, & prædicatores eam damnāt. Ex quo non licet inferri, quod quia efficitur in Roma, ex diſpenſatione ſummi Pontificis ſcientis & tolerantis dictam conſuetudinem, quod licitum ſit idem facere in alijs prouinciis, & regnis, in quibus ſummus Pontifex non aſſiſtit, qui poſſit tolerando dictam conſuetudinem in ieiunio vigiliæ Natiuitatis Domini diſpenſare.

167 Secundo probatur, quia ſi licitum eſſet in vigilia Natiuitatis collationem facere in tam magna quantitate abſque menſura, & limite liceret vtique prædictam collationem facere mane illam anteponendo, & poſponendo prandium vſq; ad ſeram; atqui in hoc caſu daretur duplex comeſtio totalis oppoſita eſſentię ieiunij Eccleſiaſtici: ergo nullo modo licet collationem facere in vigilia Natiuitatis abſque menſura, & limite vſque ad ſaturitatē. Nec valet ſi reſpondeas concedendo maiorem, & negando minorem, vt reſpondet P. Leander à ſanctiſſimo Sacramento dict. queſt. 16. verſu huic queſito; & P. Franciſcus Pellizzarius in manual. Regular. part. 1. tract. 5. cap. 5. n. 13. ex eo quod ratio iudicandi cōſuetudinem refectiunculę adeo magnæ, in vigilia Natiuitatis eſt excellentia feſti, et non ſolus labor nocturni officij, at hæc ratio ęquè procedit, ſiuè collatio ſumatur meridie ſiue veſpere: ergo &c. Hoc, inquam, non valet nam ſiue conſuetudo faciendi collationem in maiori quantitate in Vigilia Natiuitatis, quam in alijs ieiunijs, imo, & duplo maiorem oriatur, ex excellentia feſti Natiuitatis, aut ex labore nocturni officij prædicta conſuetudo ſolum præualuit in collatione nocturna, & ita ſicut non licet in nocturna collatione ſumere quantitatem ita magnam vt opponatur eſſentiæ ieiunij, vt diximus in prima probatione, ita nec licebit hoc facere, ſi collatio anteponatur in dicta vigilia, & mane fiat; nam deſtrueret eſſentiam ieiunij, vt docent Doctores citati pro hac ſententia, præcipuè Diana dict. part. 9. tract. 6. reſol. 17.

Digitized by Google

168 Ex his opinionibus relinquendo primam in ſua probabilitate quam nec approbo, nec reprobo, ſecundam valdè probabiliorem, & tutiorem iudico, tum ob graues Doctores, qui eam tenent, tum etiam, ob rationibus ſupra relatis in quibus nititur. Quare ad fundamentum primæ ſententiæ. Reſpondeo negando antecedens; nam conſuetudo recepta inter religioſos viros, & timoratæ conſcientiæ ſolum eſt facere collationem in dicta vigilia Natuitatis in maiori quãtitate, quam in alijs vigilijs, aut diebus ieiunij anni, ſiue propter lętitiam tantæ feſtiuitatis, ſiue ad tolerandum laborem nocturni officij; non autem eſt conſuetudo recepta faciendi prædictam collationem vſque ad ſaturitatem abſque menſura & limite, vt volunt Leander, & Medina, nec Prælati hoc conſentiunt ſuis ſubditis, & minus ipſi faciunt, nam hęc non eſſet conſuetudo, ſed corruptela, quia per talem conſuetudinem vt pote admittentem veram cęnam nomine collationis ſerotinę, fraudaretur ieiunium, & deſtrueretur eius eſſentia, nam vt bene notãt Anton. Bernardus in ſumma cap. 22. n. 25. Pedraza in 3. præcep. Decalogi verſu notando bien. Angles in tractatu de ieiunio in floribus quęſt. 9. art. 2. diff. 4. dub. 1. qui affirmant conſuetudinem in contrarium allegatam, non eſſe conſuetudinem populi Dei ſed populi cuius Deus venter eſt, & eſſe corruptelam vitioſam, & à Guloſis introductam. Nec eſt eadem ratio de ſumẽda collatione in Vigilia Natiuitatis *D*omini in maiore quãtitate imo in quãtitate dupplo maiore, quam in alijs ieiunijs, ac in ſumenda collatione in dicto die abſque menſura, & limite vſque ad ſaturitatem; nam prima eſt rationabiliter introducta à populis ob celebrationem, tam magnę feſtiuitatis, vel ad tolerandum laborem officij nocturni dictę feſtiuitatis; & ſic dicta collatio duplo maior in vigilia Natiuitatis non conſtituit cęnam, nec deſtruit eſſentiam ieiunij ex dicta conſuetudine recepta, ſicut conſuetudo in terris *frigidis* ſumẽdi refectiunculam ſerotinam in diebus ieiunij in maiori quantitate, quam in alijs regionibus non ita *frigidioribus*, non frãgit ieiunium Eccleſiaſticum, vt concedit ipſe Pater Leander dicto tract. 5. diſp. 4. quęſt. 7. Secunda vero nec eſt in conſuetudine nec ſi eſſet, eſſet ſufficiẽs ad excuſandum à peccato mortali, nam non eſſet dicenda cõſuetudo, ſed corruptela vitioſa, vt ſupra diximus. Ad id autem quod in dicto fundamento additur, ſcilicet, quod ſecluſa quacumque conſuetudine ex natura rei (vt ſic dicamus) liceret in vigilia Natiuitatis maiorem collationem facere, quã in alijs ieiunijs Eccleſiæ ad celebrandam lętitiam tam magnę feſtiuitatis reſpõdeo quod licet hoc concedatur de collatione maiore imo duplo maiore, quã in alijs ieiunijs ꝙ nonnulli DD. valde probabiliter magnoq; cũ fũdamento cõmuniter negant, hinc nõ licet inferre, ꝙ ex natura rei licitũ ſit in dicta vigilia Natiuitatis Domini in reuerentiam tã magnę feſtiuitatis, & ad illã cũ lętitia celebrandã collationẽ ſerotinã facere ſine mẽſura, & limite vſq; ad ſaturitatẽ; nã hoc potius eſſet irreuerẽtia

illata

tantę feſtiuitati, ſi quidem adimeretur ieiunium, & admitteretur nomine collationis ſerotine, vera, & propria cęna deſtructiua eſſentiæ ieiunij dictæ diei vigiliæ Natiuitatis, quod in obſequium Dei non veniret, imo in dedecus, & irreuerentiā ipſius Dei; feſtiuitates enim magnè licet celebrandę ſint cum letitia, iſta debet eſſe talis, vt ſit Chriſtiana, & religioſa, & non oppoſita alicui virtuti, vt eſſet prædicta prætextu celebrandi cum letitia feſtum Natiuitatis Domini collationem facere in vigilia dictæ feſtiuitatis abſque menſura, & limite vſque ad ſaturitatem, quod opponitur virtuti temperantiæ, & abſtinentiæ debitę in die ieiunij Eccleſiaſtici, vt potè deſtruens eius eſſentiam, faciendo in die dicto ſecundam comeſtionem totalem, quod non licet vt ex ſe notum eſt abſque legitima, & rationabili cauſa.

169 Ex dictis infero cōtra Boſſium de Iubileo ſect.4. caſu 18. num.156. & Patrem Ioannem à Sancto Thoma in explic. Doctrinę Chriſtianæ part. 2. de 4. præcepto Eccleſiæ cum Thoma Sanchez tom.2.conſil.mor. lib.5.cap.1.dub.26.nu. 3. Aloyſio Turriano in ſumma part. 1. cap.256. dub. 38. concl. 4. Paſqualigo in praxi de ieiunio deciſ.92.num.7. Patre Antonino Diana part.5.tract.14.reſol.12. verſu notandum eſt etiam, & part.9.tract. 6. reſol. 17. verſu. Suppono ſecundo, & part. 10. tract.12.reſol.41. Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo Domino D. Ioanne Caramuele in regulam Diui Benedicti diſp. 128. num. 1613. & Patre Magiſtro Baſilio de Leon citato ab Illuſtriſſimo Caramuele in dict. num. 1613. Patre Franciſco Pellizario in manual. regul.tom.1.tractat. 5. cap.5. num. 13. & Patre Leandro à ſanctiſſimo Sacramento dict. part.3.tract.5.diſp.4. quęſt.17. quod ſi vigilia Natiuitatis Domini incidat in Sabathum, & feſtum in feriam ſecundam, licet ſumere collationem in dicta vigilia in quantitate ſupradicta duplo maiorē, quia cum hoc priuilegium ſit talis ieiunij pro tali feſto, ſequitur dictum diem vigiliæ Natiuitatis, quacumque die fiat; imo vt magis dignum trahit ad ſe ieiunium 4.temporum, ſi in dicta die occurrat, vt ſolet.

RESOLVTIO
DECIMAQVINTA.

Vtrum ſicut in vigilia Natiuitatis Domini licet maiorem collationem facere quam in alijs diebus ieiunij, imo duplo maiorem; hoc ipſum liceat facere in Vigilia Paſchatis Reſurrectionis Domini, & in Vigilia Pentecoſtes?

170 Affirmatiue reſpōdet Paſqualig. in praxi de ieiun. deciſ.93. n. 2. & 3. & ex eo Pat. Leander à ſanctiſſimo Sacram. part.3.tract.5.diſp.4.quæſt. 19. pro hac ſententia citat Paſqualigus vbi ſupra num.2. Lublinū in ſumma verbo ieiunium n. 4. & Azorium part.1.lib.7. cap. 8. quęſt.8. Lublinum videre non potui. Azorius autem abſolutè non docet hanc ſentētiam, ſed ſolum affirmat, quod in Vigilia Paſchatis Reſurrectionis, vbi fuerit conſuetudo, licebit collationem ſerotinam duplo maiorem facere, ſicut in peruigilio Natiuitatis Domini. Sic .n.

inquit dict. queſt. 8. nam in peruigilio Natalis Dominici vbiq; fere eſt conſuetudine introductum, vt duplo maior ſolito, refectiuncula ſit. Ea autem conſuetudo induci cępta eſt in Eccleſia, quia omnes ea nocte vigilabant, & in templo Diuinis officijs intererant. Idem iuris eſt de peruigilio Paſchatis, vbi fuerit vſu communi receptum, vt refectiuncula tunc paulo maior ſolito ſumatur. Hęc Azorius. Ex quibus verbis manifeſte conſtat Azorium non docere, quod licet maiorem refectiunculam ſumere in Vigilia Natiuitatis Domini, aut in peruigilio Paſchatis, ratione letitiæ feſtiuitatis, ſed ſolum ratione conſuetudinis; quam conſuetudinem affirmat eſſe introductam in vigilia Natiuitatis Dominicæ in Eccleſia Dei, quia omnes ea nocte vigilabant, & in Templo Diuinis officijs intererãt, & concludit quod idẽ eſt iuris in peruigilio Paſchatis, vbi fuerit vſu communi receptum &c. Quare Paſqualigus nõ rectè Azorium citat pro ſua opinione. Eam tamen defendit Don Marcus Vidal. in Arca vitali tract. de ieiunio inquiſ. 1. num. 151.

171 Probatur hęc opinio à Paſqualigo 1. de vigilia Paſchatis Reſurrectionis; quia ieiuniũ vigilię Paſchatis reſurrectionis eſt ieiuniũ letitię: ergo cũ letitia eſt celebrandum; atq; adeo cũ ampliori refectiuncula veſpertina. Conſequentia videtur formalis & antecedens probatur. Nam lętitia paſchatis incidit in ipſa vigilia, in qua non pręparatio ad feſtum Reſurrectionis, ſed ipſa Reſurrectio Domini celebratur; cantatur enim Miſſa ſollemnis in paramentis albis, cantatur Alleluia; cãtatur Hymnus, Exultet; & omnia plena ſunt lętitia: ergo ieiunium vigiliæ paſchatis Reſurrectionis eſt ieiunium lętitiæ, & conſequenter cum lętitia eſt celebrandum.

172 Secundo probat. numer. 3. de Vigilia Pentecoſtes propter eamdem rationem, nam etiam ieiunium dictæ vigiliæ Pentecoſtes eſt ieiunium lętitię: ergo eſt etiam cum lętitia celebrandum. Quod autem ſit ieiunium lętitię videtur certum, nam dies ipſe vigilię eſt dies lętitię, vnde eſt priuilegiata vigilia, nõ ſecus, ac quælibet alia, & quodamodo incipit in ipſa ſollemnitas feſti ſubſequuturi, & proinde celebratur officium cum paramentis rubeis, quę omnia indicant ſollemnitatem, & ſpecialem coniunctam cum quadã ſpeciali lętitia: ergo &c.

173 Secunda, & probabilior ſententia nagat licitum eſſe in peruigilio paſchatis Reſurrectionis, & Pentecoſtes dupplicatam refectiunculam veſpertinam facere, vbi de hoc non adſit conſuetudo. Ita Azorius dict. part. 1. lib. 7. cap. 8. quæſt. 8. Fagundez in pręcept. Eccleſ. præcept. 4. lib. 1. cap. 4. num. 20. Pater Gregorius Gouat de iubil. dupplici cap. 28. num. 208 P. Anton. Diana part. 10. tract. 12. reſolut. 41. verſu. At vt verũ fatear. Probatur noſtra ſententia, quia ſi licitum eſſet in Vigilia paſchatis Reſurrectionis Domini, & in vigilia Pentecoſtes dupplicatam refectiunculam veſpertinam facere, quam in alijs ieiunijs Eccleſiaſticis, vel hoc proueniret ex conſuetudine introducta in Eccleſia, aut ex natura rei (vt ſic dicamus) ad celebrandam lętitiam

dicto-

dictorum feſtorum; atqui ex nullo ex his capitibus oriri poteſt licere fidelibus prędictam dupplicatam collationem veſpertinam in prędictis vigilijs paſchatis, & Pentecoſtes facere: ergo dicendum eſt non licere illam facere in prædictis vigilijs, niſi forte in aliquo Regno, aut Prouincia adſit talis conſuetudo; Maior recipitur ab Auctoribus oppoſitę ſententię; Minor vero quoad primã partẽ probatur, quia nullo modo conſtat de tali conſuetudine generaliter recepta in Eccleſia Dei; imo in prouincia Luſitania, vt affirmat Fagundez non eſt talis conſuetudo. Sic enim inquit dict. num. 20. idem dicendum eſt de peruigilio paſchatis, vbi id fuerit communi vſu receptũ; poteſt enim etiam hęc refectiuncula paulo maior ſolito ſumi, ita docet Azor. vbi ſupra, non tamen in noſtra Luſitania, vbi id nequaquam fit, & vero teſte Ioanne Mayore in 4. diſt. 15. quęſt. 5. Britanni maiori in hac vigilia refectione vti ſolent; quam galli; adde quam Luſitani, quã Hiſpani, quod ſciam. Hęc Fagundez: ergo non poteſt ratione conſuetudinis generaliter receptę maiorem fidelis collationem facere in vigilijs paſchatis Reſurrectionis, & Pentecoſtes, quam in alijs vigilijs, & ieiunijs eccleſiaſticis, cum de dicta conſuetudine communi nõ conſtet, imo videatur contrarium generaliter conſtare. Quo ad ſecundam vero partem, nempe quod ex natura rei ſecluſa quacumque conſuetudine non liceat in prædictis vigilijs Reſurrectionis, & Pentecoſtes maiorem collationem, facere, quam in alijs vigilijs, & ieiunijs Eccleſiaſticis. Probatur minor, quia licet prędictę vigilię ſint vigilię letitię, tamen ad letitiam prędictorum feſtorum celebrandam, non eſt licitum ex natura rei, (vt ſic loquamur, & ſecluſa conſuetudine, & communi vſu ponere aliquid deſtructiuum eſſentię ieiunij eccleſiaſtici; atqui poſita dupplicata refectiuncula in dictis diebus, poneretur aliquid deſtruens eſſentialiter naturam, & eſſentiam ieiunij Eccleſiaſtici, vt ex ſe manifeſtum eſt, nam poneretur ſecunda comeſtio oppoſita eſſentię ieiunij: ergo expectata natura rei, & ſecluſa conſuetudine, & vſu communi non licet maiorem collationẽ facere in magna quantitate in prędictis vigilijs paſchatis, & pentecoſtes ratione lętitię celebrandę, quam in alijs vigilijs, & Eccleſiaſticis ieiunijs, vt reſolut. pręced. diximus; niſi adſit in dictis vigilijs aliqua iuſta, & legitima cauſa à ieiunio excuſans; qualis reperitur in Cantoribus, & muſicis, ne ieiunium ſeruando in dictis vigilijs paſchatis, & pentecoſtes reddantur inhabiles ad canendum. Iſti igitur iuſta de cauſa excuſantur in dictis Vigilijs ab obligatione ieiunij, vt docent Ioſeph Roccafrull. to. 2. de precept. Eccleſ. lib. 3. cap. 9. n. 182. Martinus de S. Ioſeph in mon. conf. to. 1. lib. 2. tract. 12. n. 12. & ipſemet Leander à ſanctiſſimo Sacramento dict. part. 3. tract. 5. diſp. 8. qu. 126. Filliuc. part. 2. tract. 27. num. 124. Trullench. lib. 3. in Decalog. cap. 2. dub. 7. numer. 15. Ghillinus in ſumma verbo ieiunium num. 2. littera R. Diana part. 1. tract. 9. reſolut. 11. Paſqualigus in praxi de ieiunio deciſ. 338. & iterum

Diana

Diana dict.part.10. tractat. 12. reſol.41.verſu nota hic obiter.

174 Ad primum fundamentum oppoſitę ſententię allegatum à *Paſqualigo*, & ex illo à Patre Leandro à ſanctiſſimo Sacram. reſpondetur concedendo antecedens, et conſequentiam, nego tamen quod ex hoc quod cum letitia debeat celebrari prędictum ieiunium vigilię *Paſchatis*, licitum ſit cęnulam facere duplo maiorem quam in alijs vigilijs, et ieiunijs Eccleſiaſticis; nam vt reſolutione precedenti diximus, lętitia cũ qua celebrandum eſt feſtum ſollemne, debet eſſe letitia religioſa, itaut *Deus* in illa honoretur, et non offendatur, aut aliqua efficiatur actio directe oppoſita alicui virtuti, qualis eſſet cęnulam facere in tali die duplo maiorem, quam in alijs diebus ieiunij, quę abſq; dubio opponitur virtuti temperantię et eſſentię ieiunij Eccleſiaſtici, vt dicta reſolut. precedenti diximus. Ex quo patet reſponſio ad ſecundum fundamentum eiuſdem ſententię, nam nos nõ negamus prędictum ieiunium pentecoſtes eſſe ieiunium letitię, ſolum enim aſſerimus, quod non propter talem lętitiam licitum nobis eſt in vigilia dicta pentecoſtes cęnam admittere nomine collationis ſerotinæ titulo celebrandi cum lętitia dictum feſtum, quæ certò conſtitueretur, faciendo cęnulam duplo maiorem, quam in alijs diebus ieiunij ſecluſa cõſuetudine, ſolum ex natura rei ad celebrandum dictum feſtũ, quod nullo modo licet vt reſol. preced. diximus.

175 Nec valet ſi dicas cum *Patre* Leandro à ſanctiſſimo Sacramento dict. quæſt. 19. verſu adde, quod non deſunt Auctores contendentes prędictum ieiunium vigiliæ pentecoſtes non obligare ad mortale peccatum. Hoc inquam, non valet, nam licet verum ſit, quod Grana in ſecundo libro Decreti de ferijs tit.9.nu.13. affirmet, quod ieiunium vigilię pentecoſtes ſit ratione conſuetudinis ſub pręcepto per hęc verba: ſic ſimiliter ieiunium non eſt de neceſſitate poſt *Paſcha* Reſurrectionis vſque ad pentecoſtes, ſed ſi facto deuotione, et voluntate pęnitentię cauſa in vigilia *Pentecoſtes* fiat admittitur, quamuis ex neceſſitate fieri non debeat ſic ille. Quod colligi poteſt ex cap. de ieiuuio diſtint.76.ibi. Et hoc ſciendum quod ſi quando ieiunium mẽſis Iunij in vigilia *Pentecoſtes* ſecundum regulam euenerit; non ibi celebrandum erit, ſed in ipſa hebdomada ſollemni *Pentecoſtes*, quia vigilia, ſimul et ieiunium celebrari non debent, et tunc propter ſollemnitatem Spiritus Sancti Diaconi Dalmaticis induantur, et Alleluia cantetur, et flectamus genua, non dicitur. Et ex cap. ſcire eiuſdem diſt. ibi. *Scire debet ſanctitas veſtra. Per hos quinquaginta dies nobis eſt iugis, et continuata feſtiuitas, ita ut hoc omni tempore, neque ad obſeruandum indicamus ieiunia, neque ad exorandũ Deũ genibus ſuccedamus.* Et ex cap. conſilium de obſeruat. ieiuniorum, in quo ab obligatione ieiunij excluditur Vigilia Apoſtolorum *Philippi*, et Iacobi ex eo, quod incidat inter feſtum *Paſchatis* Reſurrectionis, et *Pentecoſtes*. Ibi enim ſic dicitur: Conſultationi tuę taliter reſpondemus quod omnium

Apo-

Apoſtolorum vigiliæ ſunt in obſeruatione ieiunij celebrandæ præter vigilias Apoſtolorũ Philippi, & Iacobi, & Beati Ioannis Euangeliſte, quoniam ipſorum ſollemnitas inter ſollemnitatem Paſchalem; iſtius autem infra Natalem Domini celebratur. Cui addi poteſt Pater Zaccharias Paſqualigus in praxi de ieiunio deciſ. 171. num. 3. vbi ſic ait. Quod autem huiuſmodi ieiunium (loquitur de ieiunio vigiliç pentecoſtes) non ſit de prçcepto tenet Gratianus in cap. ſcire §. neceſſario diſt. 76. & in cap. noſſe §. obſeruantia, caſus eadem diſt. & D. Thom. 2. 2. quęſt. 147. art. 5. ad 3. vbi docet quod ieiunium Exultationis non debet cadere ſub præcepto, ſed debet eſſe ex inſtinctu Spiritus ſãcti, & propterea non eſſe inſtitutum ieiunium ab Eccleſia toto tempore paſchali. Ex hac autem Doctrina ſequitur quod neque debeat cadere ſub præcepto, ſeu obligare ex conſuetudine, quia cum conſuetudo ęquiparetur legi, non debet vt obligatiuũ à conſuetudine induci, quod non debet prçcipi ab Eccleſia. Atque conſuetudo non poteſt acquirere vim legis, quando lex contradicit, quia tunc non poteſt prçſumi confirmari à Superiori, nec ipſum conſentire dando vim legi; vt autem habeat vim legis, requiritur ipſius conſenſus, vt docent communiter ex l. de quibus, & l. ſed & eo ff. de legibus, in caſu autẽ noſtro lex contradicit, quia non approbat ieiunia in tempore paſchali. Hęc Paſqualigus dict. numer. 3. tamen quicquid ſit de probabilitate huius opinionis, ex ea nõ ſequitur quod liceat ex natura rei in die ieiunij Eccleſiaſtici, vel ex conſuetudine dato, quod obliget ſub mortali facere collationem veſpertinam in magna quantitate, ideſt duplo maiorem, quam in alijs vigilijs, ſed ſolum ſequitur quod ſi quis in dicta vigilia PEtecoſtes, in qua ieiunium ex ſuppoſitione prędictę opinionis non obligat ſub mortali, quod poteſt quiſque abſque lęthali peccato cęnam facere ex piſcibus, ouis, aut lacticinijs, ſi non ſint prohibita in dicto die, quod eſt caſus valde diuerſus à noſtro caſu, in quo ſupponimus ieiunium vigiliç pentecoſtes, obligare ſub prçcepto ratione conſuetudinis, & hoc ſuppoſito inquirimus vtrum ſuppoſita hac obligatione ieiunandi liceat in dicta vigilia maiorem collationem facere, quam in alijs ieiunijs Eccleſiaſticis, ex eo quod ſit vigilia letitiæ, ſicut licet in vigilia Natiuitatis Domini. Deinde quia oppoſita opinio non eſt admittenda, vt porè contra communem ſententiam Doctorum, & contra praxim, & contra conſuetudinem totius Eccleſiæ. Vndè merito acriter contra Patrem Paſqualigum Reuerendiſſimus Pater Frater Franciſcus Bordonus digniſſimus Generalis Tertij ordinis ſancti Franciſci in Italia in miſcellan. deciſ. 56. per totam, & ipſemet Pater Leander à ſanctiſſimo Sacramento dict. tract. 5. de obſeruatione ieiuniorum diſp. 7. quęſt. 11. & Pat. Antoninus Diana part. 10. tract. 16. reſol. 17. de quo vide prædictum Eruditum Bordonum, & dictum P. Leandrum, qui locis citatis recte reſpondent ad omnia argumenta Paſqualigi. Et ſic non poſſum non mirari, quod Pater Leander à ſan-

ſanctiſſimo Sacramento, qui acriter defendit contra Paſqualigum ieiunium vigiliæ Pentecoſtes obligare ſub mortali tã ex conſuetudine, quam ex praxi totius Eccleſiæ aſſerat in ſui fauorem, vt probet licere maiorem collationem facere in vigilia pentecoſtes, quam in alijs ieiunijs obligantibus ſub mortali, quod non deſint Auctores contendentes prędictũ ieiuniũ vigilię pentecoſtes ſub mortali non obligare.

RESOLVTIO DECIMASEXTA.

Vtrum in diebus Ieiuniorum licitum ſit ſine fractione ieiunij ſumere mala maſſilica, vulgo Iumione, mala modica vulgo arangi, vuam, & ſimilia ad ſitim ſedandam?

176 In hac difficultate Pater Zacharias Paſqualigus in praxi de ieiunio deciſ. 135. & 136. affirmat licere abſque fractione ieiunij ſumere poſt prandiũ pomum, vel pyrum ad ſedandã ſitim, & ſimiliter mala medica, mala maſſilica, & vuam & ſimilia non ſolum pro vna vice, ſed toties quoties in eodem die ieiunij; Paſqualigum ſequitur Don Marcus Vidal in ſua Arca Vitali tract. de ieiunio inquiſit. 1. num. 154. vbi ſic ait. Addo ſecundo poſſe etiam ieiunantem ſumere extra prandium ſine fractione ieiunij ad ſitim ſedãdam pomum, vel pyrum, vel mala medica vulgo Aranci, vel quid ſimile! Ratio eſt quia hęc quamuis ſint res comeſtibiles, attamen non ordinantur principaliter ad nutriendum, ſed ſumuntur loco potus, & ſic ſine fractione ieiunij ſumi poſſunt dummodo ſiut in modica quantitate, ſi loquamur de pomis, vel pyris, & aliis huiuſmodi fructibus; at ſi loquamur de malis maſſilicis vulgo limoni, vel de malis medicis vulgo Aranci, & cęteris ſimilibus fructibus poſſunt adhiberi ad ſedandam ſitim quoties libuerit, quia etiamſi habere videantur rationem cibi; At dum conteruntur dentibus in liquorem reſoluuntur, & per modum potus ad ſtomachum tranſmittuntur; ita aſſerit Paſqualigus deciſ. 135. qui doctiſſimè addit in deciſ. 136. poſſe adhiberi per diem vuam recentem etiam in notabili quantitate ad ſedandã ſitim abſque ieiunij fractione; probat hanc ſuam regularem opinionem firma, & probabili ratione. Hæc Don Marcus Vidal.

177 Fundamentum huius ſententię quoad pomum pyrum, aut quid ſimile adducit Paſqualigus num. 2. dict. deciſ. 135. quia pomum, aut pyrum, quamuis ſit quid comeſtibile non ordinatur tamen ad nutriendum, ſed ſumitur loco potus: ergo cum liceat in die ieiunij bibere, licebit etiam comedere pomũ pro ſiti ſedanda: quia ſtante paruitate materię, non habenda eſt ratio illius parui nutrimenti, quod inde percipitur, quia per accidens ſe habet ad extinctionem ſitis.

178 Ex quo in numero 3. dictæ deciſ. colligit à fortiori licere ſumere etiam ad ſedandam ſitim mala maſſilica, aut mala medica, aut ex alio genere horum fru&uum, quia magis ordinantur ad ſitim extinguendã, quam ad nutriendum imo ſecluſo cortice ex natura ſua, habent potius rationẽ potus; quã cibi, cũ ipſis prepõderet ſucc[9].

Et

Digitized by Google

179 Et numer. 4. eiuſdem deciſ. vbi inquirit, an ſicuti in die ieiunij poteſt quis pluries bibere, imo & quoties voluerit, ita etiam poſſit quoties libuerit hæc ſumere pro ſiti extinguenda? Ad quod reſpondet cum diſtinctione, quod ſi ſermo ſit de pomis, & pyris, & alijs huiuſmodi fructibus non licere, nam fieret fraus ieiunio, quia non ſolum ſitim extingunt, ſed etiam habent rationem cibi, vnde non ſolum extingueretur ſitis, ſed etiam nutriretur corpus quantitate cibi notabili, vnde violaretur ieiunium. Si autē non deglutietur ſubſtātia ſolida pomi, aut pyri, ſed tantum ſuccus expreſſus, dum dentibus conteritur, tūc poſſe ſumi quoties vrget ſitis, quia idem eſſet, ac ſi biberetur, vnde etiam ex tali ſucco ſolet fieri potus, qui licite poteſt adhiberi, quoties libuerit in die ieiunij. Si autem ſermo ſit de malis maſſilicis vulgo limoni, aut malis medicis vulgo Aranci, & cęteris huiuſmodi fructibus, inquit num. 5. poſſe adhiberi ad ſedandam ſitim quoties libuerit, quia quamuis videantur habere rationem cibi; dum tamen dentibus conteruntur in liquorem reſoluūtur, & per modum potus tranſmittuntur ad ſtomachum.

180 Quoad vuam autem, quod poſſit adhiberi ad ſedandam ſitim per diem, quoties libuerit, fundamentum adducit idem Paſqualigus dict. deciſ. 136. à nu. 3. quia in vua reperitur ſubſtantia triplicis generis, nempè cortex, vinacea, ſeu lignea granula in acinis vue incluſa, & ſuccus qui exprimitur, quod patet quando vua conteritur, nam tota reſoluitur in hanc triplicem ſubſtantiam. Ex hac autem triplici ſubſtantia ſolus ſuccus in ſtomacho digeritur, & conuertitur in ſubſtantiam viuentis, cætera autem minimè, ſed integra in propria ſubſtantia egeruntur, non ſecus, ac res alię, quæ nec apte ſunt ad nutriendum, nec habent rationē cibi: ergo quando comedimus vuam, idem eſt in ordine ad cibationem, & nutritionem, ac ſi ſumeremus ſolum ſuccum ipſius, quia ſolus eſt aptus, vt digeratur; & quia cortex, & vinacea egeruntur in propria ſubſtantia non poſſunt habere rationem cibi, atque adeo, nec frangere ieiunium Eccleſiaſticum, per quod ſolus cibus nutritiuus prohibetur, non ſecus ac non frangitur, ſi ſumeretur; & transglutiretur lignum, papyrus palea, & quid ſimile: ergo vua non poteſt frangere ieiunium ratione corticis, aut vinaceorum; atqui nec ratione ſucci vua non frangit ieiunium Eccleſiaſticū: ergo ad ſedandā ſitim per diem, licebit toties libuerit, vuam adhiberi, ſicut adhibetur vinum abſque fractione Eccleſiaſtici ieiunij. Minor ſubſumpta probatur, quia ſuccus in ſua ſubſtantia eſt vinum, & habet rationem potius, & proinde expreſſus eſt materia apta, vt conſecrari poſſit in ſacrificio miſſæ, vnde quia exprimitur de acinis, quando vua dentibus conteritur in ipſo ore acquirit rationem potabilis; atque adeò traſmittitur ad ſtomachum per modum potus, & ſicut muſtum non frangit ieiunium, quia eſt potus, ita nec etiam talis ſuccus, quia reuera eſt muſtum. Hæc Paſqualigus dict. deciſ. 136. licet in fine nu. 5. his verbis eam concludat. Hęc vt probabilia propoſui, ea

Digitized by Google

tamen meliori iudicio examinanda relinquo.

181 Vera tamen, & communis ſententia ſubſtinet non licere in diebus ieiunij abſq; ipſius fractione ſumere poſt prandiũ ad ſedandam ſitim, pomũ, pyrum, vuam, & ſimilia mala maſſilica, aut mala medica, etiam modo explicato in oppoſita ſententia, prędicta ſcilicet, dẽtibus maſticando, & deglutiẽdo tantummodo vſque ad ſtomachum ſuccum, dictorum fructuum, aut ſuccum vuę, mali maſſilici, aut mali medici. Ita Cornejus in 3.par.Diui Thom. tom.2.tract.4.quęſt. 74. art. 5. Ioannes Præpoſitus in 3. part. Diui Thom.quæſt.74.art.5. nu. 44. Caſpenſis in curſu theolog. tom. 2. tract. 22. diſp.2.ſect. 3. Vaſquez in 3.part.Diui Thom. diſp.175.cap.2.n.14. Suar.tom. 3.in 3. part.diſp.45.ſect.1. Eruditus Pater Ioannes de di Caſtillo de Sacramentis tom. 1. tract.4.diſp.2.dub.5.num.86.& num.91.& 92.Pater Gaſp.Hurtadus de Sacram. diſp.2. diff. 9. verſu quod ſi muſtum (nõ diſp. 11.diff.9. vt inuenies citatam apud Dianam dict.part.9.tract. 6.reſol.14.) Opatau.de Sacram. tract.de Euch.punct.30. diſput. 2.quęſt.3.P.Anton.Diana part. 9.tract.6.reſolut.14.Pater Leãder à ſanctiſs.Sacramen.part.3. tract.5.diſp.5.quæſt.6.7.8.& 9. & nouiſſime contra Paſqualigũ P.Franciſcus Pellizarius in manual.regular.tom.1.tract.5.cap 5.num.8. verſu nota hic obiter Paſqualigum &c. vbi loquens de opinione cõtraria ſic inquit. Verum mihi non probatur hęc doctrina, quia eſt omnino ſingularis, & relaxatiua Eccleſiaſtici ieiunij, & alioquin raro bene loquitur, qui contra omnes loquitur, & iterum Diana part.10.tract.14. reſol.56. qui part. 9. ſuperius citata pro hac ſententia citat Caſtrumpalao part.4.tract.21.punct.5.num.7 immeritò tamen, cum Caſtropalaus in dicto loco, neq; vnũ verbum directè, vel indirectè de hac difficultate loquatur, vt in ipſo videre licet.

182 Probatur 1. noſtra ſentẽtia quoad primã eius partem, ſcilicet nõ licere abſq;fractione ieiunij ſumere *in die ieiunij* poſt prãdium ad ſedãdam ſitim pomum,pyram, aut ſimilia in magna quantitate, etiam ſi dentibus conterantur, & ſuccus ſolus ad ſtomachum deſcẽdat. Quia id quod ex ſe,& ex intrinſeca natura ſua habet rationem cibi, & alimenti conuertibilis in ſubſtantiam aliti, ſi ſumatur in magna quantitate frangit ieiunium Eccleſiaſticum; atqui pomum, pyra, mala maſſilica,& mala medica ex ſe & eſſentialiter induunt rationem cibi, & alimenti conuertibilis in ſubſtantiam aliti: ergo ſi prædicta ſumantur in magna quantitate in die ieiunij frangent abſque dubio Eccleſiaſticum ieiunium ac per conſequens non *licebit* prædictis cibis vti in *die ieiunij* in magna quantitate etiam ad ſedandam ſitim. Maior ab omnibus comeditur. Minor vero probatur, quia nemo eſt, qui dubitet; quod pyra, pomum, mala maſſilica, & mala medica non ſint cibus, & in ſubſtantiam aliti conuertantur; atqui ſumptio eorum quę per ſe ſunt ordinata ad manducandum frangunt ieiunium Eccleſiaſticum ſi in magna quantitate ſumantur vt docet Diuus Thomam in 4.diſtint.15.quęſt. 3.artic. 4. quęſtiuncula 1. & 2.

ergo

(non quæſtiun cula 5. vt inuenies apud Leand.ſupr.quæſt.7.) ergo cum ex conſenſu omnium prædicta minor ſit vera abſque dubio ſumptio prędictorum fructuum in magna quantitate frangit ieiunium Eccleſiaſticum.

183 Nec valet ſi reſpondeas 1. quod licet pyra, pomum, mala maſſilica, & mala medica &c. huiuſmodi per ſe induant rationem cibi, tamen per accidens poſſunt ordinari à ſumente ad ſedandam ſitim per modum potus, maxime ſi ſumantur in parua quantitate. Hoc inquam non valet 1. quia ſi prędicta ſumantur in die ieiunij à ieiunante in parua quantitate ad ſedandam ſitim corporalem, nihil intereſt, quod induant per ſe rationem cibi, nam parua quantitas cibi ſumpta in die ieiunij, ſiue ſumatur ad ſedandam ſitim, ſiue non, ſed vt ne potus noceat, aut alio motiuo honeſto, non frangit ieiunium Eccleſiaſticum ratione paruitatis materiæ, vt fere omnes Doctores concedunt: ergo non bene recurritur ad paruitatem materiæ, ad probandum licere prædicta ſumi à ieiunante non per modum cibi, ſed per modum potus ad ſedandam ſitim. Secundo quia id, quod ex ſe, & ex intrinſeca natura ſua habet rationem cibi, non poteſt etiā per accidens habere rationem potus iuxta illud cōmune proloquium ab omnibus metaphyſicis, & theologis communiter receptum, quando aliquid alicui rei conuenit eſſentialiter, & per ſe, eius oppoſitum, neque per accidens poteſt illi conuenire: ergo ſi prędictis fructibus per ſe & eſſentialiter conuenit, eſſe vere, & proprie cibum, eius oppoſitum habere ſcilicet rationem potus, non poteſt illis etiam per accidens conuenire ex extrinſeca intentione ſumētis prędictos fructus. Probo conſequentiam, quia extrinſeca intentio ſumentis aliquid, quod per ſe induit rationem cibi, non poteſt mutare eius eſſentiam, cum non ſit hoc in ſumentis poteſtate: ergo ſi ex ſe, & ex natura ſua prędicti fructus induunt rationem cibi, non poſſunt non eſſe cibum ex intentione ſumētis, ſed ſemper retinere debent rationem cibi illis eſſentialiter competentem ſeu conuenientem: ergo ſi ſumantur in magna quantitate frangent ieiunium Eccleſiaſticum, etiam ſi ex intentione ieiunantis ſumantur per modum potus ad ſedandam ſitim.

184 Nec valet ſi ſecundo dicas, quod licet verum ſit, quod ſi pomum, pyra, mala maſſilica, & mala medica in magna quantitate ſumantur poſt prandium in die ieiunij, itaut tota ſubſtātia dictorum fructum in ſtomachum deſcendat, media maſticatione dentibus facta in ore frangat ieiunium Eccleſiaſticū, etiam ſi ex intentione ieiunantis prędicta quantitas ſumatur ad ſedandam ſitim, tamen ſi prędicta quantitas dictorum fructuum dentibus conteratur, & ſolus ſuccus ad ſtomachum deſcendat reiecta ſubſtantia ſolida in ore, non frangit Eccleſiaſticum ieiunium, ſiue vna ſiue pluribus vicibus in die ſumatur ad ſedandam ſitim, qua tunc cum ſolus ſuccus ſumatur & ad ſtomachum deſcendat induit rationem potus, & non cibi, & conſequenter cum id, quod eſt potus, & ſumitur vt potus etiam ſi multoties in die

ſumatur, etiam in magna quãtitate, non frangit ieiunium Eccleſiaſticum, ſimiliter ſuccus dictorum fructuum, cum ſumatur vt potus ad ſedandã ſitim, non debet frangere ieiunium Eccleſiaſticum, etiam ſi pluries in die in magna quantitate ſumatur. Hoc inquam non valet tum quia, vt bene notat Pater Antoninus Diana dict. part. 10. tractat. 14. reſolut. 56. verſu ſed quid dicendum ex P. Leandro à ſanctiſſimo Sacramento locis ſupra citatis impoſſibile videtur, quod quis poſſit ita dentibus conterere poma, pyra, mala maſſilica, & mala medica, vt poſſit deglutire eorum ſuccum & non ſubſtantiam aliquam habentem rationem cibi: ergo non poteſt id efficere ſine fractione ieiunij, tum etiam quia conterere poma, pyra, &c. dẽtibus eaque maſticare, & deglutire ſuccum ex illis expreſſum, nihil aliud eſt quam manducare aliquid per modum cibi, atqui hoc frangit ieiunium Eccleſiaſticum: ergo etiam ſi ſolus ſuccus dictorum fructuũ in ſtomachum deſcendat, franget ieiunium Eccleſiaſticum. Maior videtur certa, quia nos non dicimus bibimus pomum, bibimus pyra, bibimus mala maſſilica, aut mala medica, ſed manducauimus pomum pyrã, mala maſſilica, aut mala medica: ergo conterere poma, pyra, &c. dentibus, eaque maſticare, & deglutire ſuccum ex illis expreſſum, nihil aliud eſt quam manducare aliquid per modũ cibi, licet ex intentione extrinſeca ſumentis prędictus cibus ordinetur ad potum, & ad ſedandam ſitim, cum nihil obſtet prędicta intentio ſumentis, vtpote non valens mutare naturam cibi, & in potum eam cõuertere, vt ſupra probauimus impugnando primam reſponſionem.

185 Quoad ſecundam vero partem ſcilicet, quod non liceat in die ieiunij, vuas recentes ſumere in magna quantitate abſque fractione ieiunij etiam ſi ſuccus vuarum, ad ſtomachum deſcendat, alijs in ore remanẽtibus probatur noſtra ſententia 1. ratione illa generali, nempe quia quidquid induit rationem cibi, ex ſe & ex natura ſua ſi in magna quãtitate ſumatur poſt prandium in die ieiunij frangit ieiunium Eccleſiaſticum; atqui vuę recentes, earumque ſuccus per ſe, & eſſentialiter habent rationem cibi: ergo ſi in magna quantitate ſumantur in die ieiunij frangunt ieiunium Eccleſiaſticum. Conſequentia ex præmiſſis manifeſtè ſequitur; Maior autem ab omnibus recipitur; Minor vero in qua poteſt eſſe difficultas probatur ex communi conſenſu Doctorum Pater enim Dedicaſtillus loco ſupra citato num. 86. ſic ait vua, & quicquid in ea eſt cibus eſt, & moraliter habetur cibus, & num. 91. & 92. ait muſtum in vua eſt per modum cibi, adeo vt frangeret ieiunium, & cenſeretur manducare, qui vuas comederet. Et Pater Ioannes Prępoſitus loco ſuperius citato num. 44. ſic ait: quamuis vinum, ex vuis maturis confici poſſit, ipſa tamen, non ſunt vinum, ſed ſunt cibus; etiam ſi pellicula detrahatur; vnde nec quidem ea detracta valide poſſunt conſecrari. Et Pater Ludouicus Caſpenſis loco ſup. citato num. 18. inquit. Muſtum intra vuã, eſt verè cibus, & manducatur cum tota vuę ſubſtantia. Et

Auerſa

Auerſa de Sacramento Euchariſtiæ quęſt.2.ſect.5.aſſerit vuas propriè manducamus, nec rectè de vua diceretur hic potus, ſed recte dicitur hic cibus. Et P.Gaſpar Hurtadus dict.diff.9. inquit, quod ſi muſtum non ſit expreſſum, ſed intra vuas incluſum non eſt materia ſufficiens, vt contra nonnullos docent communiter Doctores, quia muſtum in eo ſtatu non eſt, neque dicitur ſimpliciter vinũ, imo non potatur, ſed comeditur. Et in eodem ſenſu de vuis recentibus loquuntur innumeri DD. quos breuitatis gratia hic non refero; ſufficiat pro omnibus Angelicus Præceptor D.Thom.3.part.quæſt. 74. art. 5.ſolut.ad 3.Argumentum; ſuper quam queſtionem, & articulum Doctiſſimus Cornejus docet cum Angelico Doctore, quod liquor non includitur inter ipſa grana vuarum per modum potus, ſed potius cibi; vnde non dicitur bibi, ſe manducari, & non habet ſtatum, & modum potus, ſed potius materiam cibi, cum reuera ſimul, vt reliqua mãducetur: ergo ex communi conſenſu Doctorum vua recens, eiuſque ſuccus intra ipſam incluſus habet proprie, & verè rationem cibi, & non rationem potus; atqui vt docet Diuus Thomas in 4.diſt. 15.quęſt.3.art.4.quęſtiuncul.5. ſumptio eorum quę per ſe ſunt ordinata ad manducandum, ſi in magna quantitate ſumantur, frangit ieiunium Eccleſiaſticũ: ergo ſumptio vuarum recentiũ quomodocumque fiat, ſi ſumatur in magna quantitate, neceſſario frangere debet ieiunium Eccleſiaſticum.

186 Secundo probatur eadem pars noſtræ ſententiæ, quia ex noua illa, & inaudita ſententia Paſqualigi ſequeretur, quod ſi quis in die ieiunij poſt prandiũ manducaret vuas recentes vſq; ad ſaturitatem non frangeret ieiunium Eccleſiaſticum; atqui ſequela eſt falſa, & ſcandaloſa: ergo, & illud ex quo ſequitur. Probatur ſequela quia, ille qui ſumit in magna quantitate, & vſque ad ſaturitatem in die ieiunij id, quod neque per ſe, neque cum alijs induit rationem cibi, non frangit ieiunium Eccleſiaſticum; quare qui aquã, aut vinum, vſque ad ſaturitatem ſumit in die ieiunij, non dicitur ieiunium frãgere; atqui ſecundum doctrinam Paſqualigi, vuę recentes nullo modo habent rationem cibi, quia in ſua doctrina, vt verum ſupponitur quod in vua tantum reperitur ſubſtantia triplicis generis nẽpe cortex, vinacea, ſeu lignea granula in acinis vuę incluſa, & ſuccus qui exprimitur, ex quibus ſolus ſuccus conuertitur in ſubſtantiam viuentis, cętera autem non; atqui quod nõ conuertitur in ſubſtantiam viuentis per modum cibi, nõ habet rationem cibi, nec frangit ieiunium Eccleſiaſticum: ergo cum ſuccus vuuæ deſcendat in ſtomachum vt potus, cætera autem, quę vuua continet, licet in ſtomachum deſcendant, non conuertuntur in ſubſtantiam aliti; ergo vuę recentes nullo modo habent rationem cibi, ſed tantum rationem potus; ergo ſi ſumantur in die ieiunij poſt prandium in magna quantitate, etiam vſque ad ſaturitatem non frangunt ieiunium Eccleſiaſticum in ſententia ipſius Paſqualigi; quod autem hoc ſit falſum, & ſcandaloſum, audiat Paſqualigus Do-

ctores

ctores de hac difficultate tractantes cõtra ſuam ſingularem Doctrinam. Nam aliqui illam ſingularem, & contra communem Doctorum conſenſum appellant, alij vero falſam; alij vero improbabilem. Pater vero Leander à ſanctiſſimo Sacram. de hac Paſqualigi opinione loquendo vbi ſupra quęſtione 8. §. vltimo verſ. tandem ſic loquitur. Valeat igitur Paſqualigus cum ſua noua opinione, falſa omnino, omnino improbabili, omninoque ab omnibus reijcienda.

187 Ad fundamentum Paſqualigi pro prima parte ſuę ſententię reſpondetur negando antecedens, nam vt ſupra probauimus pomum, aut pyra, eſt ſubſtantia induens eſſentialiter, & per ſe rationem cibi cõuertibilis, in ſubſtantiam aliti, & idem etiam probauimus de malis maſſilicis, & malis medicis. Itaque falſum eſt, quod aſſerit Paſqualigus prędicta ordinari ad extinguendam ſitim, cum per ſe ordinentur ad nutriendum primo, & per ſe, licet per accidens, & ſecundario ad extinguendam ſitim, quod non ſufficit vt dicemus, quod comeſtio eorum in magna quantitate non frangat ieinninm Eccleſiaſticum, ſiue tota ſubſtantia dictorum fructuum ſumatur, ſiue ſolus ſuccus eorum in ſtomachum deſcendat, reliquis eis componentibus, in ore manẽtibus, vt ſupra probatum eſt. Et ita falſum aſſerit, quod ſumptio ſucci dictorum fructuum liceat in die ieiunij ſumi ad ſedandam ſitim, toties quoties libuerit; neque ex eo quod ex pomis ſoleat fieri potus, rectè infertur, quod liceat dictum ſuccum ſumere dentibus conterendo, & deglutiendo ſucum reiecta ſubſtantia ſolida in ore, nam etiam ex vuis potus fit, & nihilominus ſuccus vuarum dũ eſt incluſus in ipſis vuis, non habet rationem potus, ſed cibi. vt in probatione ſecũdæ partis noſtræ ſententiæ diximus. Ideo que ſumptio illius in magna quantitate frãgit ieiunium Eccleſiaſticum, nec licet illo vti in die ieiunij toties quoties libuerit, ad ſedandam ſitim. Quare idem dicendum eſt de ſucco pomi, aut pyræ, & ſimilium propter eamdem rationem.

188 Ad probationem ſecundæ partis ſententię eiuſdem Paſqualigi reſpondetur negando antecedens, quia in primis falſũ ſupponit Paſqualigus, quod in vua ſolum reperiatur ſubſtãtia triplicis generis, cortex videlicet, & ſuccus; nam præter hęc alia quarta ſubſtantia inuenitur, quædam ſcilicet materia craſſa minutiſſimis venulis, ſeu filis plena, in qua tamquam in ſuo toto muſtum eſt incluſum, & ex qua pręcipue quando in torculari vuę calcantur, exprimitur, vt omnibus eſt notum, quibus notę ſunt vuę, & docet expreſſe Galenus lib. 2. de Aliment. facultate cap. 9. & lib. 1. de loc. affectu capit. 4. cuius verba refert Leander à ſanctiſs. Sacramento loco ſuper. citato quęſt. 8. verſu 4. probo. & ex eo P. Antonin. Diana dict. part. 10. tract. 14. reſolution 56. quę hęc ſunt. nam acynorum ſubſtãtia compoſita ex ipſarum velut carne, & humore, qui per carnem eſt diſperſus, ex quo fit vnum. Pręterea, ex ſeminibus, atque ex membranoſo tegumento, quod omnia hæc extrinſecus circummauit; & paulopoſtea liquet porro, quod aluus magis

laxatur

laxatur, ſi ſola acynorum caro cum ſucco fuerit transglutita, ſine ſeminibus, ac membrana extrinſecus ambiente. Laxatur autem impenſius, cum ſolus ipſe ſuccus expreſſus (muſto vulgo appellant) fuerit tranſglutitus. Ex hoc ſane ſucco alimenti non nihil corpori accedit copioſus tamen ex carnea ſubſtantia. Sic Galenus. Ex quo manifeſte apparet in vuua nõ ſolum ſubſtantiam triplicis generis reperiri, vt vult Paſqualigus, ſed quadruplicis, ac proinde quoad hanc partem manifeſte falſum eſt. Antecedens ſuæ probationis. Deinde non minus falſum eſt id, quod in eodem antecedente ſupponit, vt certum idem Paſqualigus, nempe quod ex ijs ſubſtantijs ſolus ſuccus in ſtomacho digeratur, & conuertatur in viuentis ſubſtãtiam. cętera vero minime, ſed quod egerantur integra in propria ſubſtantia, nã pręter ſuccum etiam digeritur & pręcipue conuertitur in viuentis ſubſtantiam quarta illa ſubſtantia, quæ inueniri in vuis dicimus, imo, & cortices, ſeu membranę, & vinaceæ vuarum licet hęc difficilius, quod expreſſe colligitur ex Galeno in dicto cap. 9. ſupr. citato: ergo falſum eſt quod aſſerit Paſqualigus, quod ſolus ſuccus vuarum in ſtomachum deſcendat; & quod ſuccus vuarum habeat tantum rationem potus, & non rationem cibi, cum vt ſupra probauimus in probatione ſecundæ partis noſtræ ſententiæ, ſuccus vuarum in ipſis vuis, ſit proprie, & per ſe cibus alimẽtaris, licet per accidẽs ex extrinſeca intentione ſumentis ſumatur ad extinguendam ſitim.

RESOLVTIO DECIMASEPTIMA.

Vtrum in die ieiunij poſſit quis licitè, & abſquè fractione ieiunij toties quoties bibit, aliquid cibi in parua quantitate ſumere, ne potus noceat?

189 PRo deciſione huius reſolutionis, vt certum ſuppono licere ieiunantibus abſq; fractione ieiunij ſumere aliquã paruam quantitatem cibi, vel ad confortandum ſtomachum, vt commodius poſſit onus ieiunij tolerare, vel ne potus noceat; quę autem parua quantitas intelligatur cõmuniter DD. docent, quod ſi ſumatur mane ante prandium poſſunt licitè ſumi duę vncię, ſi autem ſumatur poſt prandium ne potus noceat, aliqui affirmant poſſe regulariter loquẽdo ſumi quãtitatem cibi infra vnam vnciã, ſic Paſqualigus in praxi de ieiunio deciſ. 119. num. 6. alij vero ſolum concedunt infra dimidiam vnciam, quia hęc quantitas regulariter loquendo videtur neceſſaria, & ſufficiens, vt poſſit ſtomacho commixta impedire ipſius nocumentum, ità Pater Leander à ſanctiſſimo Sacramento part. 3. tract. 5. diſp. 5 quæſt. 12. P. Anton. Diana part. 10. tra&. 14. reſol. 59. verſu notandum eſt hic obiter. qui eadẽ par. & tract. reſol. 51. verſu nota vero hic obiter: concedit, quod paruitas materiæ excuſãs à ieiunio eſt quantitas duarum vnciarum, ſequens in hoc Don Marcum Vidal in Arca Vitali de ieiunio inquiſit. 1. num. 153. & Leandr. à ſanctiſſ. Sacramen. dict. tract. 5. quæſt. 5. diſp. 5. §. 4. Hoc ſuppoſito.

Præ-

190 Preſens difficultas cõſiſtit, an in die ieiunij poſſit quis licite toties quoties bibere vult, aliquid cibi ſumere in parua quantitate ſcilicet infra vnciam dimidiam, ne potus noceat? Caietanus 2.2.queſt.147. art.6. in fine affirmat hoc non licere, niſi poſt completam digeſtionem. Pater vero Leander à Sãctiſſimo Sacramento abſolutè affirmat id licitum eſſe dummodo id non faciat quis in fraudẽ ieiunij, quę tunc adeſſe cenſenda debet, quando quis biberet non ob ſitim ſedandam, ſed vt poſſet ſumere illud parum cibi. Pro qua ſententia citat Ledeſmã 2.part.4.queſt. 17. artic. 5. concluſ.8. Silueſter. verbo ieiunium nu.9. Armillam dict. verb ieiunium num.1. Azorium par. 1.lib.7.cap.10.queſt. 7. §. certè negari. Reginald.lib.4. cap. 14. num.175. Paſqualigum in praxi de ieiunio deciſ. 119. & alios. Quam ſententiam hoc fundamento probat, quia Eccleſia in ieiunijs concedit potum: ergo & quicquid eſt neceſſarium, ne ille noceat; ergo aliquid cibi: ergo quoties contingerit bibere, toties poterit quis quid cibi ſumere.

191 Pater autem Don Marcus Vidal in ſua Arca vitali tractat. de ieiunio Inquiſit.1.num. 93. abſolute affirmat poſſe quis abſque violatione ieiunij ſępe ſępius aliquid modicũ cibi in diebus ieiunij comedere etiam ſi his repetitis vicibus perueniat ad magnam quantitatem dummodo poſtremum modicum cibi, quo attingitur notabilis quantitas, non continuetur moraliter cum præcedentibus per hęc verba. Infertur quinto non peccare contra ieiunij pręceptum, neque illud violare, qui ſæpe ſępius aliquid modicũ cibi in diebus ieiunij comedit, etiamſi ijs repetitis vicibus perueniat ad magnam quãtitatem dummodo poſtremum modicum cibi, quo attingitur notabilis quantitas, non continuetur moraliter cum pręcedentibus, neque ea omnia coaleſcãt in vnam grauem materiam, tũ ratione voluntatis interiectæ; tum etiam ratione interualli temporis inter vnum, & aliud modicum cibi ſumptum, itaut nequeat ex omnibus *illis* grauis quantitas continuata conſtari, ſed ſingula diuiſa maneãt, & ita parua, ac ſi tantum vnica vice modicum cibi ſumptum fuiſſet. Cuius opinioni ergo adhereo. Nam illam defendit Doctiſſimus Pater Thom. Sanchez in ſumma part.1.lib. 1. capit.4. num. 9. & 11. Ratio huius noſtrę reſponſionis eſt quia quoties parua poſterior venialis materia nequit cum pręcedẽtium materia moraliter continuari, itaut pro vna reputetur, neque effectus relicti continuari moraliter poſſunt, multiplicatio transgreſſionis alicuius pręcepti Eccleſiaſtici in materia parua non conſtituit materiã grauem, et culpam lęthalem, ſecus vero quãdo materię paruę, aut effectus ab eis relicti moraliter continuantur: ergo ſumere in die ieiunij ſępe ſępius aliquid modicum cibi etiam ſi his repetitis vicibus perueniat ad magnam quantitatem, dummodo poſtremum modicum cibi, quo attingitur notabilis quantitas, non continuetur moraliter cũ pręcedentibus, neque ea omnia coaleſcant in vnam grauem materiam, non erit peccatum mortale, nec dabitur ieiunij fractio, ſecus tamen è contra

modo

Digitized by Google

modo ſuperius explicato. Probatur conſequentia, quia cum in priori euentu omnes eæ materiæ paruæ diuerſæ ſint, neque in vnam coaleſcãt, nec effectus ab eis producti, nequit ex illis grauis materia conflari, ſed ſingulæ diuiſæ manebunt, & ita paruæ, ac ſi tantum vnica vice modicum cibi ſumptum fuiſſet. At in poſteriori euentu, ſeu caſu cum materiæ, vel effectus vniantur, notabilis materia euadet: ergo ſufficiens ad frangẽdum ieiunium Eccleſiaſticum, & conſtituendum peccatũ mortale.

192 Ad fundamentum P. Leandri à ſanctiſſimo Sacramento reſpondeo ſuam rationem ſolum conuincere, non licere pluries in die, ſeu repetitis vicibus aliquid cibi ſumere, etiam ſi ſitis non inſtet, ſed quis voluntarie, & abſque neceſſitate velit repetitis vicibus in die ieiunij bibere, dum ille materiæ paruæ cibi non ita ſumantur, vt moraliter coaleſcant in vnam magnam quantitatem, aut ratio ne voluntatis interiectæ, aut ratione interualli temporis, inter vnum, & aliud modicum cibi ſumptum, non autem conuincit, ſi modicum cibi repetitis vicibus in die ieiunij ſumatur, modo à nobis ſupra explicato, itaut, neque ea omnia coaleſcãt in vnam grauem materiam, ſiue ratione voluntatis interiectæ, ſiue etiam ratione interualli temporis inter vnũ, & aliud modicum cibi ſumptũ, itaut nequeat ex omnibus illis grauis quantitas continuata conflari, ſed ſingula diuiſa maneant, ita parua, ac ſi tantum vnica vice modicum cibi ſumptum fuiſſet. In quo ſenſu iudico loquutum fuiſſe Salas 1. 2. tom. 2. tract. 13. diſp. 16. ſect. 27. in fine citatus ab Amadeo Guimenio in ſuo opuſc. aduerſus quorund. ex poſt. contra non null. ieſuit. opin. mor. tract. de ieiunio propoſ. 6. vbi ſic aſſerit, ſi quis voluntate abſoluta vellet in die ieiunij ſępe ſępius comedere, ſemper tamen parum cibi ſumendo peccaret mortaliter, ſecus ſi voluntate conditionata, in qua conditione interueniret, quod omnes ſumptiones eſſent veniales.

RESOLVTIO DECIMAOCTAVA.

Vtrùm in comedendo poſt mediã noctem quando ſubſequitur ieiunium, aut ante mediam noctem in die ieiunij detur paruitas materiæ excuſãs à mortali?

193 PRima ſententia in vtroque euentu affirmatiuè reſpõdet. ita P. *Zacharias* Paſqualigus in praxi de ieiunio deciſ. 159. (nõ 155. vt inuenies apud Dianã par. 10. tract. 16. reſol. 17 verſu & tandem notandum eſt hic obiter) vbi nu. 2. ſic inquit, ſed mihi valde probabile videtur dari paruitatem materiæ in poſtponendo v. g. cænam poſt mediam noctem, ad quam ſubſequitur ieiunium, ſicut etiam in anticipanda comeſtione in die ieiunij ante mediam noctẽ, & proinde excuſari à peccato mortali, & etiam à veniali, ſi interueniat iuſta aliqua cauſa. Ita ille.

194 Fundamentũ Paſqualigi eſt quia quotieſcumq; materia prohibita, aut præcepta diuiſibilis eſt, itaut tota malitia conſiſtat in tota materia, & pars in parte, atque adeo diſſonantia ad re-

regulas rationis cõſurgat maior vel minor ex maiori, vel minori materia, tunc datur paruitas materiæ; atqui in caſu propoſito in hac Reſolut. præcipitur, quod ieiunium incipiat à media nocte, & protrahãtur ad mediã noctem ſequentem, vnde duratio ieiunij diuiſibiliter ſe habet & ſub ratione diuiſibili pręcipitur: ergo duratio ieiunij admittet paruitatẽ materię itaut non ſit peccatum mortale ſubtrahere antę vel poſt huic durationi aliquod modicum tempus, aut protrahendo comeſtionem antecedentis diei, aut anticipãdo comeſtionem diei ſequentis ad ipſum diem ieiunij. Conſequẽtia ex pręmiſſis videtur conſtare, minor autem videtur manifeſtã, quia ieiunium pręcipitur ſub ratione durationis, & coexiſtentię ad tempus, vt continuata, & diuiſibilis abſtinentia affligat corpus, non ſecus, ac pręcipitur ceſſatio ab opere ſeruili in diebus feſtis. Maior autem, in qua poteſt eſſe difficultas probatur, quia tunc exigua materia fundat paruam diſſonantiam, quia non eſt prohita, vel pręcepta ſub aliqua formali ratione, quę indiuiſibiliter contineat totã rationem præcepti, aut prohibitionis, ſed ſub aliqua alia, quę eſt maior, & minor iuxta quãtitatem materię, vt cõſtat in furto, quod eſt prohibitum; quatenus, vt ablatio rei alienę infert dannũ, & quia damnum eſt maius, aut minus iuxta quãtitatẽ rei ablatæ, ideò admittit paruitatem materię; ergo quotieſcumque materia, prohibita, aut pręcepta diuiſibilis eſt, ita vt tota malitia conſiſtat in tota materia, & pars in parte; atque adeo diſſonãtia ad regulas rationis, conſurgat maior, aut minor, ex maiori, vel minori materia, tunc datur paruitas materię. Hoc eſt totũ, & adęquatum fundamentum Paſqualigi in tota dicta deciſione, licet non ita in forma ab ipſo conſtituatur.

195 Etſi illis obijcias, quod ex prędicta ſua doctrina ſequeretur, quod liceat in die ieiunij ſumi ſecunda refectio, quia ad huc exiguum tempus ſubtrahetur duratione ieiunij. Reſpondet hoc non ſequi quia ſecunda comeſtio eſt contra pręceptum de vnica comeſtione, & proinde ſoluit ieiuniũ illius diei; hinc non ſubtrahitur aliquid modicum durationi ieiunij, ſed tota deſtruitur, quia iam dies deputatus ieiunio non tranſigitur cũ vnica comeſtione. quod non contingit quãdo comeſtio pręcedentis, aut diei ſequentis ad ieiunium, attingit initium, aut finem diei, in quo ieiunatur per aliquod modicum tempus, quia tunc illa comeſtio, non eſt comeſtio diei ieiunij, ſed diei antecedentis, vel ſubſequentis, vt enim comeſtio cenſeatur huius vel illius diei, debet in ipſo fieri ſaltem moraliter.

196 Etſi huic Auctori inquiras, quantũ tẽporis poſſit aſſignari iu propoſito caſu pro paruitate materię? reſpondet nu. 6. dictę deciſionis, nõ debere eſſe multũ alioquin eſſet cõtra finẽ ieiunij, quo Eccleſia intẽdit per diẽ integrũ affligere corpus, nã ſi eſſet multũ tẽpus idem eſſet, ac ſi bis in die comederetur eodẽ, & ſic aſſignat pro paruitate materię in hoc caſu infra horã ad ſũmũ, ita tamen, vt comeſtio attingat tempus pręcedentis, aut ſubſequẽtis diei, & poſſit prorogari in diẽ ieiunij, aut in ipſo anticipari ꝑ tẽpus, ꝙ ſit intra horã,

quia

quia ſi non attingeret tempus pręcedentis, aut ſubſequentis diei, non eſſet comeſtio illorũ dierum, ſed diei ieiunij; illa autem anticipatio, aut prorogatio (inquit Paſqualigus) eſt modica, & modicum quid ſubtrahit de duratione ieiunij, quia tempus non pertingens ad horam eſt tempus modicum reſpectu totius diei. Et numer. 7. eiuſdem deciſionis addit; atque hęc paruitas materiæ ne dum habet locum, computando mediam noctem pręciſe, ſed etiam ſi moraliter computetur. Ita vt conſtituto toto illo tempore, quod pro media nocte moraliter habetur, adhuc, ante ſe, vel poſt ſe admittat paruitatem materiæ, quia paruitas materię habet locum reſpectu mediæ noctis, prout debet computari, cum adhuc media moraliter computata duratio ieiunij, vt quid diuiſibile præcipitur; & ideo adhuc modica ſubtractio de tali duratione eſt leuis materia. Huc vſque Paſqualigus dict. num. 7.

197 Secunda, & vera ſententia docet nullo modo dari paruitatem materię in comedendo per mediam noctem prorogãdo cænam, quando ſubſequitur ieiunium, aut in comedendo ante mediam noctem anticipando comeſtionem in die ieiunij, quando non ſubſequitur dies ieiunij. Ita Pat. Leander à ſanctiſs. Sacram. par. 3. tract. 5. diſput. 6. quæſt. 28. quem ſequitur P. Antoninus Diana par. 10. tractat. 16. reſolut. 17. verſu, & tandem notandum eſt hic obiter, vbi ſic ait. Et tandem notandum eſt hic obiter non eſſe admittendas aliquas alias ſententias Paſqualigi; nam primo aſſerit deciſ. 155. (debebat dicere 159.) quod in comedendo poſt mediam noctem, quando ſubſequitur ieiunium, aut ante mediam noctem, in die ieiunij datur paruitas materiæ excuſans à ieiunio videlicet infra ſpatium vnius horæ. Et poſtquam alias Paſqualigi opiniones refert (de quibus poſtea erit ſermo) proſequitur; verum has opiniones prorſus refellendas eſſe puto, ſunt enim contra omnes *Doctores*, & cõtra praxim, & communem ſenſum, & ideo aduerſus illas merito inſurgit nouiſſimè Pater Leandrus &c. Et concludit dictam reſolutionem his verbis. Miror Paſqualigus quomodo tam facile dilatet, & protrahat vltimum diem Bacchanalium pro ludis, ſaltationibus, & potationibus, & poſtea tam acriter inſurgat contra Eminentiſſimum Cardinalem de Lugo, eo, quod anticipauit diem Natiuitatis in cappella Papali pro miſſa in illa nocte celebranda ante Pontificem. Hæc Diana.

198 Hanc communem, & verã ſententiam probat 1. P. Leander, quia ieiunium Eccleſiaſticum eſt in dictum pro integro die, nempe per ſpatium viginti quatuor horarum à media nocte in mediam noctem, vt concedit cum communi ſententia ipſemet Paſqualigus: ergo neque poteſt prorogari cęna poſt mediam noctem ſi ſequitur ieiunium, neque anticipari comeſtio in die ieiunij ante mediam noctem. Patet Conſequentia, quia vt conſtat tunc nõ obſeruaretur ieiunium pro integro die, aut per ſpatium 24. horarum. Secundo probat quia quis in die ieiunij præuenit comeſtionem per horam ferè integram ante mediam no-

noctem, etiam ſi comeſtionem proroget, & dilatet vſque ad mediam noctem, vere frangit ieiunium, non ſolum ex eo capite, quod illud non obſeruauerit integre per ſpatiũ 24. horarũ, niſi ſolũ per 23. & quid amplius vt conſtat, ſed etiam ex eo, quod in die ieiunij bis perfectè, & complete comederit, nam illa ſecunda comeſtio facta in die ieiunij per horam quaſi integram ante mediam noctem, vere eſt, & dicitur comeſtio diei ieiunij, & non diei ſubſequentis. (quicquid dicat Paſqualigus num. 5.) cum vere trahat ad ſe comeſtionis partem habitam poſt mediam noctem, & non è contra, cum id quod eſt prius trahat ad ſe quod eſt poſterius: ergo &c.

199 Tertio probat, quia ex ſententia oppoſita clarè ſequitur. 1. quod poſſit quis ſaltem abſq; mortali, tam in die ieiunij (ſi aliud non ſequatur) quam in Sabatho incipere veſci carnibus per horam ferè integram ante mediam noctem, hoc eſt per vnum, imo per medium quadrantem horę poſt 11. horam noctis 2. quod qui incepit in feria quinta veſci carnibus ante mediam noctem, poſſit prorogare ferè per horam comeſtionem, & ſic veſci carnibus vſque ad vnam fere horam noctis Veneris, quod videtur abſurdum: ergo & illud ex quo ſequitur.

200 **Hæ ſunt rationes allegatæ à P. Leandro in fauorem huius ſententiæ contra Paſqualigum, quæ licet communiter concedantur à *Doctoribus*; nihilominus (ni fallor) parum, aut nihil nocent Paſqualigo. Prima ergo parum illi nocet; nam facile reſpondet Paſqualigus, ne-**gando antecedens quoad primam partem ſi ſermo ſit de tempore. Mathematicè ſumpto, & diſtinguendo quoad ſecundam. Ieiunium Eccleſiaſticum eſt in dictum à media nocte in mediam noctem mathematicè negat Antecedens, moraliter concedit. Antecedens; in quo ſenſu, & non in alio cõcedit Paſqualigus quod ieiunium Eccleſiaſticum incipiat à media nocte, & terminetur in mediam noctem deciſ. 158. à num. 3. Ad quod aſſerendum mouetur 1. quia non poteſt imponi ab Eccleſia præceptum, niſi eo pacto, quo ſeruari poteſt, alioquin obligaret ad impoſſibile, non poteſt autem ſeruari niſi cõputetur media nox moraliter, nam media nox mathematice non poteſt cognoſci, niſi obſeruetur curſus ſtellarum, quod eſt impoſſibile, tum quia pauci admodum ſciũt obſeruare, tum quia non poſſunt obſeruari quando cælum eſt nubiloſum. 2. mouetur quia cum præceptum ieiunandi ſit vniuerſale in tota Eccleſia, debet, ita accipi, vt poſſit in tota Eccleſia obſeruari, atque adeo etiam ſecundum omnia, quæ in ipſo pręcipiuntur, & proinde receptum quoque de ſeruãdo à media nocte in mediam noctem. Non poſſet autem ſeruari ſi eſſet attendenda media nox mathematice, etiam ſecũdum inditium horologiorũ, quia in pluribus oppidis non adſunt horologia, in aliquibus etiam regionibus non ſunt in vſu, præſertim communia, quę pro tota Ciuitate inſeruiant, vnde in his locis non poteſt computari medium noctis, niſi moraliter; ergo etiam in cæteris locis ſolum moraliter debe-

bit

Digitized by Google

bit computari cum præceptum non obliget plus in vno loco, quam in alio. Quod confirmat quia ideo deberet media nox mathematicè computari, quia præcipitur quod per diem integrum duret ieiuniũ; per hoc autem quod nox computetur moraliter, non tollitur quin ieiunium duret per integrum diem, quia ſufficit ſi dies ſumatur moraliter, quia ſumus in moralibus, & præcepta morali modo obligant, vt patet etiam in cæteris. Vnde præceptum audiendi miſſam impletur, etiã ſi aliquid parum de ipſa non audiatur, quia ſufficit quod moraliter audiatur. Præceptum abſtinendi ab opere ſeruili in feſtis adimpletur, etiamſi exerceantur pro exiguo tempore; aut etiamſi media nox mortaliter computetur, quod accidit vbi eſt conſuetudo computandi dies feſtos, quoad exercitiũ operis ſeruilis, ab initio noctis, vſque ad initium, quia tale initium, aut hora noctis, ſi incipiat ab aliqua determinata computatur moraliter, ita vt horæ 24. dictæ diei feſtiui ſint plus, minuſque, atq; adeo ſolum moraliter 24. Ex quibus rediendo ad argumentum Patris Leandri Paſqualigus negat conſequentiam, ad cuius probationem, eodem modo conſequentiam diſtinguit, tunc nõ obſeruaretur ieiunium pro integro die aut per ſpatium 24. horarũ mathematice loquẽdo cõcedit cõſequentiã moraliter loquendo negat conſequentiã. Cum autem ieiunium in dictũ ab Eccleſia ſolum obliget pro integro die morali, & non mathematico in ſententia Paſqualigi, nihil contra ipſum conuincit ratio illa prima allegata à *Patre Leandro*, niſi probet ieiunium Eccleſiaſticum obligare pro integro die mathematico à media nocte in mediam noctem mathematice ſumptã. Quod non probat, ſed vt certũ ſupponit, & Paſqualigus ſuppoſitum negat.

201 Nec ſecunda ratio allegata à Patre Leandro conuincit intentum contra *Paſqualigum*, & eius Doctrinam (quicquid ſit de veritate, aut probabilitate illius de qua pro nunc non diſputo) nam ſi Pater Leander lecturus fuit totam deciſionem *Paſqualigi*, abſque dubio inuenire debuit prædictam rationẽ fuiſſe præuentam à *Paſqualigo* num. 5. dict. deciſ. 159. Et ita ex doctrina Paſqualigi poteſt negari Antecedens, quoad vtrãq; partem: nam qui in die ieiunij præuenit comeſtionem per horam ferè integram ante mediã noctem, non frangit ieiunium quia obſeruauit ieiunium per ſpatium integri diei, ſi nõ mathematice, moraliter tamen; quia dies ieiunij computari debet moraliter, & nõ mathematice in ſententia Paſqualigi; cũ autem qui in die ieiunij prȩuenit comeſtionem per horam fere integram ante mediam noctem mathematice ſumptam, dicatur ſeruaſſe ieiunium per integrum diem, moraliter ſumptam: Hinc eſt quod prȩdicta antepoſitio comeſtionis non frangat ieiunium ex hoc capite in doctrina *Paſqualigi*. Sed neque ex alio capite ſcilicet ex eo quod in die ieiunij bis perfecte comederit; nam hoc ſuppoſitũ falſum iudicatur à *Paſqualigo*, & vt tale illud negat, quia iudicat hoc non contingere quãdo comeſtio prȩcedentis, aut diei ſubſequentis ad ieiunium

at.

attingit initium, aut finem diei in quo ieiunatur per aliquod modicum tempus, quia tunc (inquit *Paſqualigus* dict. nu. 5.) illa comeſtio non eſt comeſtio diei ieiunij, ſed diei antecedentis, vel ſubſequentis; vt enim comeſtio cenſeatur huius vel illius diei, debet in opinione *Paſqualigi* in ipſo fieri ſaltem moraliter; quare qui in die ieiunij preuenit comeſtionē per horam fere integram ante mediam noctem mathematice sũptam non comedit bis perfecte in die ieiunij; nam dicta comeſtio non eſt comeſtio diei ieiunij, ſed diei ſequentis, quæ ſupponitnr non eſſe ieiunij dies. Nec probatio *P.* Leandri conuincit contrarium, quia illa comeſtio non trahit ad ſe comeſtionem habitam poſt mediam noctem mathematice sũptam; nam fuit facta dicta comeſtio non in die ieiunii, ſed in alio die moraliter ſumpto: ergo hęc ratio parum, aut nihil conuincit contra Doctrinam *Paſqualigi*, cum in ea ſupponat *P.* Leander contra *Paſqualigũ* id, quod debebat probare.

202 Tertia autem ratio *Patr.* Leandri locum non habet in ſententia *Paſqualigi*, quia ipſe concedit, quod ſi quis inciperet veſci carnibus per horam ferè integram ante mediam noctem mathematice ſumptam in ſabatho v. g. non comedit carnes in die ſabathi, ſed in die Dominica moraliter loquendo, licet mathematice non ſit integra media nox diei Sabathi; Nam præceptum de non comedendis carnibus in die ſabathi obligat pro toto die ſabathi mortaliter ſumpto, & non mathematice in ſententia *Paſqualigi*, & ideo illa comeſtio carnium, non eſt comeſtio diei ſabathi, ſed diei *D*ominicæ, in quo licet carnibus veſci. Secũdo etiam concedit *Paſqualigus* in ſua ſententia, quod qui incepit in feria quinta veſci carnibus ante mediam noctem mathematice ſumptam, poſſit prorogare fere per horam comeſtionem, quia eſt in poſſeſſione cęnę, vt amplius conſtabit ex dicendis pro *Paſqualigo* Reſol. ſequenti. Ex hoc tamen non ſequitur in ſententia *Paſqualigi* quod in tali caſu prędictus edat carnes in nocte Veneris; nam ratione paruitatis materię perſeuerat moraliter dies antecedens ad diem Veneris, ſcilicet feria quinta, in qua vſq; ad mediam noctem moraliter ſumptam licet veſci carnibus; ergo nec hęc tertia ratio totaliter, & adæquate conuincit contra *Paſqualigum*; nec abſurdum aliquod, vt iudicat *P.* Leander à ſanctiſs. Sacramento.

203 Quare aliter debemus ſententiam *Paſqualigi* impugnare, vt poſſimus conuincere prædictam opinionem eſſe improbabilem, aut falſam, & in praxi nõ tutam; quod ſic oſtendo primo Illa opinio debet appellari improbabilis, & non tuta in praxi, quę continet doctrinam ſingularem contra communem conſenſum omnium Doctorum, & vſum totius Eccleſiæ; atqui ſententia *Paſqualigi* apertè eſt cõtra communem cõſenſum omnium Theologorum, & contra communem Eccleſię vſum, cõmuniter, & vniuerſaliter à fidelibus receptum, vt de ſe manifeſtum eſt: ergo prædicta opinio eſt reijcienda tamquam falſa, & improbabilis, & non tuta in praxi.

204 Secundo à principio inte-

gro

gro, & intrinſeco oſtendo falſitatem opinionis Paſqualigi, quia ſi ob aliquam rationem opinio Paſqualigi eſſet probabilis, maximè, quia præceptum Eccleſiaſticum ieiunij eſt in dictum ſolum pro integro die moraliter ſumpto à media in mediam noctem moraliter cōputatam, & non mathematice; atqui hoc principium eſt falsū; ergo, & illud ex quo ſequitur. Maior eſt ipſius Paſqualigi. Minorem vero probo ex doctrina ipſius Paſqualigi tradita tam in dicta deciſ. 159. quam in antecedenti 158. quia in tantum iuxta doctrinam Paſqualigi pręceptum ieiunij debet incipere à media in mediam noctē moraliter acceptam, in quantum Eccleſia non poteſt obligare ad impoſſibile, atqui ex eo quod præceptum Eccleſiaſticū ieiunij debeat incipere à media in mediam noctem mathematicè ſumptam Eccleſia nullo modo obligat ad impoſſibile: ergo aſſerendum eſt præceptū ieiunij incipere à media nocte, & terminari in mediam noctē mathematicè loquendo. Conſequentia ex præmiſſis manifeſte ſequitur. Maior vero conceditur à Paſqualigo; minor vero probatur, quia Eccleſia poteſt determinare aliquod ſignum, quod indicet mediam noctem mathematice ſumptā, quicqid ſit de puncto indiuiſibili fixo motus ſolis, à quo incipiat obligare pręceptum Eccleſiaſticum, & in quem terminetur; atqui horologium eſt conſtitutum ad deſignandam mediam noctem mathematicè ſumptam, eo quod omnes non poſſunt ſcire punctum indiuiſibile medię noctis mathematicè ſumptè; ergo abſque eo, quod Eccleſia obliget ad impoſſibile, poteſt præcipere, quod Eccleſiaſticum ieiunium generaliter incipiat à media nocte computata per horologium, & quod finiatur, & terminetur vſque ad aliam mediam noctem ſeruato ſigno horologij. Nec valet ſi dicas cum Paſqualigo, quod in nonnullis locis non eſt horologium ſaltem commune pro toto loco, & in aliquibus Regionibus non eſt vſus horologij; ergo cum præceptum ieiunij ſit vniuerſale obligans omnibus pro tota Eccleſia Dei, dicendū eſt quod pręceptum ieiunij debeat obligare à media in mediā noctem moraliter ſumptam, & non mathematicè. Hoc inquā non valet; nam licet in locis vbi non eſt horologium debeat attendi media nox ſecundum iudicium prudentis viri, & conſequenter moraliter; hoc autem non habet locum, vbi eſt horogium bene gubernatum generaliter, & vt in plurimum, quia ibi nō eſt dubium, quod poteſt Eccleſia præcipere, & ordinare, quod media nox incipiat à ſonu horologij, & finiatur in ſonum eiuſdem horologij, determinando, vt habeatur media nox tali, vel tali ſigno, & terminetur tali vel tali ſecundum morem pulſationum horologiorum pro diuerſitate Regionum; nam non in omnibus Regionibus eodem pulſu horologij deſignatur media nox: ergo cum communiter ſit recepta hęc doctrina, tam à Theologis quam à fidelibus aſſerendū eſſe ieiunium Eccleſiaſticum debere incipere à media nocte vſq; ad aliam mediam noctem mathematicè loquendo in ſenſu explicato. Deinde quia licet concedamus gratis Paſqualigo,

quod

quod pręceptum ieiunij obliget pro integro die moraliter à media noctè vſque ad aliam mediam noctem moraliter acceptam, nō inde ſequitur, quod per infra vnā horam poſſit quis in die ieiunij anteponere comeſtionem diei ſequentis, quę non eſt ieiunij incipiendo comedere ante mèdiam noctem fere vnam horam, vel ſi non eſt dies ieiunij dies pręſens, & ſequens ſit ieiunij dies; continùare cęnam per vnam circiter horam, quia paruitas materię temporis, non eſt commenſuranda reſpectu totius diei conſtantis mathematice ex horis 24. ſed paruitas materię commenſuranda eſt, & computāda reſpectu medie noctis diei antecedentis, vel ſubſequentis à qua hora incipit obligatio ieiunij, & in quā terminatur; atqui tempus vnius circiter horę eſt materia grauis, & non leuis reſpectu medię noctis, etiam moraliter acceptę: ergo quomodocumque incipiat obligare pręceptum ieiunij ſiue à media in mediam noctem mathematicè, ſiue moraliter, non licebit per vnam circiter horam in noſtro caſu anteponere, vel poſtponere comeſtionem. Nā licet tempus infra vnam horam dicendum ſit materia parua reſpectu diei 24. horarum, non tamen poteſt dici materia parua reſpectu medię noctis, ſiuè phyſicè, ſiue moraliter loquendo.

205 Tertiò noſtram ſententiam probo, quia ex ſententia Paſqualigi ſequeretur quod ille, qui incepit cęnare ante mediā noctem, & cęnam continuauit per vnam circiter horam poſt pulſationē medię noctis, poſſit die ſequēti ſacram Euchariſtiā ſomere, aut ſacrum celebrare; atqui hoc non eſt dicendum: ergo neque quod poſſit in noſtro caſu cōtinuare cęnam per vnam circiter horam poſt mediam noctē. Probatur ſequela, quia, qui non frangit ieiunium naturale illius diei, in quo aliquis eſt communicaturus, aut ſacrum celebraturus, non eſt impeditus ad communicandū, aut ſacrum celebrādum; atqui ille, qui incepit cęnare ante mediam noctem vnius diei, & continuauit cęnam per vnam circiter horam poſt mediam noctem non frangeret ieiuniū naturale in ſententia Paſqualigi: ergo poſſit vtique in die ſequenti abſque vllo ſcrupulo communicare, aut ſacrum celebrare. Quod non frangeret ieiunium naturale in ſententia Paſqualigi probatur, quia ſi dies ſequens eſſet dies ieiunij, ideo non frangeret ieiunium Eccleſiaſticum, quia prędicta comeſtio continuata per vnam circiter horam poſt mediam noctem, non eſt comeſtio diei ſequentis, ſed diei antecedentis; atqui qui nihil cibi, aut potus ſumit in aliquo die non eſt impeditus ad ſacram communionem, aut miſſę celebrationem: ergo cum prędicta comeſtio non ſit comeſtio diei ſequētis, ſed diei antecedentis, iſte talis pro die ſequenti eſſet ieiunus, etiam ieiunio naturali, aliàs nō ſolū frangeret ieiuniū naturale, ſed etiā Eccleſiaſticū, cum per vnam circiter horā manducet, & ſumat materiam grauē cibi oppoſitam ieiunio Eccleſiaſtico. Minor autem noſtri Argumenti, ſcilicet non debere dici, quod qui per vnā horā circiter continuauit cęnā diei antecedentis poſt mediam noctem diei

diei ſequentis, poſſit communicare, aut miſſam celebrare, probatur tum quia eſt contra communem ſenſum omnium DD. vt diximus in tract.4. reſol. 7. tũ etiã quia prædicta doctrina eſt ſcandaloſa, vtpotè cõtra communem vſum Eccleſiæ, ab omnibus fidelibus ſeruatũ: ergo ſententia Paſqualigi reijcienda eſt vt ſingularis, vt falſa, & improbabilis.

206 Ad fundamentum Paſqualigi reſpondetur admittendo maiorem, & diſtinguendo minorem, duratio ieiunij diuiſibiliter ſe habet, & ſub ratione diuiſibili præcipitur quoad obligationem ſeruãdi ieiuniũ, quod conſiſtit in abſtinentia à carnibus, & vnica comeſtione nego minorem; nam cum eſſentiæ in indiuiſibili cõſiſtant, vt ab omnibus conceditur quoad hanc partem præceptũ ieiunij, quoad eius eſſentiam, & quidditatẽ in indiuiſibili conſiſtit; quoad antepoſitionẽ horę comeſtionis vnicę in dicto die ieiunij diuiſibiliter ſe hẽt, & ſub rõne diuiſibili pręcipitur cõcedo minorẽ; & ſimiliter diſtinguo cõſequẽs: ergo admittet paruitatem materię quoad antepoſitionẽ comeſtionis hora aſſignata, & recepta ab Eccleſia in eodem die ieiunij concedo conſequentiã; nã hora aſſignata ieiunij quoad prandium non ingreditur, nec conſtituit ieiunij eſſentiam, vt ſupra in hoc tractatu diximus, in alio die, aut pro alio die, ita ut liceat; in die ieiunij per vnã aliquam quantitatem temporis, ſumere prandium diei ſequentis, ſi non ſit ieiunium nego cõſequentiam, quia iam in eodẽ die ieiunij etiam moraliter accepto (vt vult Paſqualigus) fieret duplex comeſtio, cum dies ſequens, quæ non eſt ieiunij non dum ſit incepta, ſiquidem incipit poſt mediam noctẽ antecedẽtis diei, quæ ſupponitur eſſe dies ieiunij, & vna circiter hora ſit materia grauis reſpectu ad punctum fixum mathematicum mediæ noctis; & propter eamdẽ rationẽ nõ licet quãdo ſequens dies eſt ieiunij, cænam diei antecedentis inceptam ante mediam noctem continuare per vnam circiter horam poſt mediam noctem, quia ieiuniũ Eccleſiaſticũ incipit immediate obligare poſt mediam noctẽ quæ iã vt ſupponitur eſt cõpleta, & incepta dies ſequens, quę immediate incipit poſt mediã noctem diei antecdentis. Nec locum habet recurrere ad materiam paruam: nam licet vna fere hora temporis ſit parua reſpectu totius diei conſtantis ex horis 24. eſt tamen magna reſpectu puncti medię noctis; ſiue media nox mathematicè, ſiue moraliter ſumatur, vt ſup. diximus.

RESOLVTIO DECIMA-NONA.

Vtrum ſi quis dum cenat audiat pulſus deſignantes mediam noctẽ, teneatur ceſſare à cæna ſi die ſequenti ſit ieiunandum?

207 NEgatiuam ſententiã ſuſtinet P. Zacharias Paſqualigus in praxi de ieiunio deciſ.160. n.2. affirmans hanc ſententiam tenere, & illi aſſentire recentiores nõ vulgaris doctrinę, quibus ipſe Paſqualigus illam cõmunicauit. Probatur 1. hęc ſentẽtia à Paſqualigo, quia quando cęnans audiit pulſus deſignantes mediam noctẽ, eſt in poſſeſſione cenę, quę eſt actio

pertinens ad diem, qui tunc finitur: ergo poteſt continuare cęnam, quouſque illam cõpleat. Antecedens videtur certum, quia ille talis cęnam incepit in tempore, in quo licebat eam facere, ſcilicet ante mediã noctem diei ſequentis, in qua eſt ieiunandum. Cõſequentia vero probatur, quia iuſte poſſidens, non poteſt ſpoliari à ſua poſſeſſione iniuſtitia, quod à nullo pręcepto fit, cum non ſit iuſtũ; qui autem incepit cęnam quãdo licet cęnare, iuſte illam poſſidet, atque adeo habet ius ad illam complendam, præcipuè quia præceptum ieiunij nõ obligat, vt quis ſe ſpoliet poſſeſſione, quam habet ſupra comeſtiones diei antecedentis.

208 Secundo probatur ab eodẽ Paſqualigo, quia quando cauſa eſt cępta, partes acquirunt ius ad terminationẽ ipſius, nõ obſtante, quod deberet expirare iuriſdictio Delegati, vt cõtingit in morte delegantis, quãdo res non eſt integra, & non expirat, ſed prorogatur donec cauſa terminetur vt conſtat ex capit. licet vndique de officio Delegati: ibi inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod taliter iuriſditione à ſuo ſibi collega Delegata eo viuente vti nõ cęperit, quia mandatum homini re integra morte mandatoris expirauit, non habet ſolus officiũ iudicandi; ſi vero ante mortem illius iuriſditione, vti ceperit, taliter demandatã vices ſuas, & illius poterit adimplere, & cap. gratum eod. tit. ibi: ſane cõſuluit nos deuotio veſtra, an ante obitum Delegantis propoſito citationis edicto, lite vero poſt mortem conteſtata, nihilominus debeat in cauſa procedere Delegatus; & vtrum is intelligatur appellationi renunciaſſe, quia ea interpoſita ad producendos teſtes inducias poſtulauit, & demum productioni, & allegationi renuncians atteſtationes petijt ſollemniter publicari; nos autem inquiſitioni tuę taliter reſpondemus, quod cum in caſu priori citatione facta negotium ſit quaſi cæptum, & maxime delegatus nõ ſit certus de obitu delegantis, poteſt & debet in cauſa procedi, tenebitque quod iuſtitia fuerit pręuia diffinitum. Et cap. relatum eod. tit. ibi: nos itaque conſultationi veſtræ reſpondemus, quod ſi quis fuerit ante prędeceſſoris noſtri obitum conteſtata, mandatum morte mãdatoris nullatenus expirauit, & l. quia ff. de iuriſd. om. iud. & tradunt Auſer. in Cappell. Tholeſana quæſt. 12. Auenda. de exeq. mand. cap. 1. num. 11. Palatius in cap. per veſtras de don. inter vir. & vx. Molina tom. 2. de iuſt. & iur. diſp. 19. nu. 2. Silueſt. verbo conſeruator §. 6. Santarell. de iubileo cap. 8. dub 7. ergo cũ in caſu propoſito acquiſitum ſit ius ad cęnam complendã, eo ipſo quod eſt incepta debito tempore, poteſt cõpleri, quia cenſetur prorogari dies donec cęna terminetur, & non ſuccedere dies ieiunij.

209 Ex quibus nu. 8. hoc infert Paſqualigus. Ex hoc ſequitur, quod etiam ſi cenans dum audit pulſus medie noctis, formet hoc iudicium, quod media nox ſit tranſacta, ne dum mathematice, ſed etiam moraliter, poſſit adhuc continuare, & complere cænam, quia inceptio cenę illi prorogat tempus cenandi, & facit, quod non cenſeatur dies terminatus, donec impleatur cęna.

Vera

210 Vera tamen, & communis ſententia affirmat, quod ſi quis dum cenat, audiat pulſus deſignantes mediam noctem tenetur ceſſare à cęna, ſi die ſequenti ſit ieiunandũ. Ita Thom. Sãch. lib. 2. de matrim. diſp. 41. nu. 40. Caſtropal. part. 1. oper. moral. tract. 1. de cõſciẽtia dubia diſp. 3. punct. 8. num. 9. (non tract. 3. diſp. 3. punct. 8. 10. vt inuenies apud Paſqualig. & apud Patrẽ Leandr. à ſanctiſs. Sacramento) Salas de conſcient. ſect. 25. numer. 264. Villalobos part. 1. ſummæ tract. 1. diff. 21. num. 7. Ioannes Sanchez in ſelect. de Sacr. diſp. 42. nu. 19. Trullench. lib. 3. in Decalog. cap. 2. dub. 4. nu. 8. Fagund. in præcept. Eccl. præcep. 4. lib. 1. cap. 10. nu. 2. & 3. Diana part. 3. tract. 4. reſolut. 36. verſu notandum eſt vero. & part. 10. tract. 16. reſolut. 17. verſu, & tandem notandum eſt & hic obiter. P. Leander à Sanctiſs. Sacram. part. 3. de ieiunio oblig. tract. 5. diſp. 6. quęſt. 29. & communiter Doctores, qui de hoc puncto tractant.

211 Probatur 1. hæc ſententia à Pat. Leandro à ſanctiſſimo Sacramẽto, quia dato vltimo horologij pulſu deſignante mediã noctem, incipit, vt omnes vno ore fatentur, dies ſubſequens: ergo, & incipit obligatio ieiunãdi: ergo & abſtinendi à quacumque comeſtione; cum eſſentia ieiunij ſita ſit in abſtinẽtia à cibo. 2. eam probat quia ex oppoſita ſententia clare ſequeretur, quod poſſit quis ſaltem abſque graui culpa veſci carnibus in die ieiunij, vel paulopoſt 11. horam noctis, vſque ad 12. (quæ in horologio, hyſpanico, ſemper mediam noctẽ deſignat) caſu quo dies ſequens non ſit ieiunium, vel poſt mediam noctem quaſi per vnam horam paulòminus, caſu quo, quis cenare incipiat in die non ieiunij paulò ante mediã noctẽ atqui hoc eſt contra cõſẽſũ cõmunẽ Theologorum, ergo &c.

212 Sed iſtæ probationes Patri Leandri, ſicut & præcedentis reſolutionis rationes aſſignatas contra Paſqualigum parum illi nocent: nam facile poteſt Paſqualigus ad illa reſpondere. Ad primam negando abſolutè antecedens, nam vltimus pulſus horologij ex doctrina Paſqualigi non deſignant mediam noctẽ mathematice loquendo, & ita relinquitur locus, vt detur paruitas materię ratione cuius iudicetur, non dum eſſe mediã noctem moraliter loquendo, quę materia parua temporis aſſignatur à Paſqualigo vna circiter hóra poſt pulſationem horologij deſignantis mediam noctem; quare in ſententia Paſqualigi negatur prima conſequentia, quia obligatio ieiunãdi incipit poſt mediam noctem moraliter ſumptam, & tunc nõ iudicatur media nox, moraliter ſed potius iudicatur non dum eſſe mediam noctem completã, antequam compleatur vna circiter hora poſt pulſus horologij deſignantis mediam noctẽ, & ita qui in tali tempore comedit, non tenetur abſtinere à cibo, & conſequenter nec facit contra eſſentiam ieiunij, quia illa comeſtio in tali caſu nõ eſt comeſtio diei ſequentis, quę eſt ieiunium, ſed diei antecedentis, quę ieiunium non eſt, vt ſupponitur, ſicut qui in die, in quo ieiunium obligat, vna circiter hora ante mediam noctẽ comedit anteponendo moraliter mediam noctem diei ſequentis, quę non eſt ieiunij, abſque eo quod mortaliter peccet, aut ieiunium frangat, vt do-

Digitized by Google

cuit Paſqualigus reſol.præced. & in eo deciſ.159.citata.

213 Secunda etiam ratio Patri Leandri non conuincit contra Paſqualigum, nam ipſe ex ſuis principijs concedit ſequelam, quia cum ipſe iudicet pręceptũ ieiunij non obligare per integrum diem mathematicè ſumptum, ſed moraliter tantum acceptum, hoc eſt, quod non incipiat obligatio ieiunij à media nocte, & terminetur in aliã mediam noctem mathematicè ſumptam, ſed moraliter dumtaxat, nullum, ſuppoſito hoc principio, inconueniens illi videtur, quod quis in die non ieiunij incipiat ante mediam noctem vna hora, vel dimidia comedere carnes, & ſequatur comeſtionem per vnã circiter horam poſt ſignum medię noctis, quia in ſua ſententia illa comeſtio, nõ eſt comeſtio diei ſequentis, quę eſt ieiunium, ſed diei antecedentis, quæ non eſt ieiuniũ, in qua licitum eſt carnibus veſci. Et ſimiliter qui in die ieiunij, quando dies ſequẽs non eſt ieiunium, neque in ea prohiberetur carnes vna circiter hora ante mediam noctem, incipiat carnes comedere; & proſequatur comeſtionem vſq; ad mediã noctẽ diei ſequentis & vltra, quia in tali caſu illa comeſtio nõ eſt comeſtio diei antecedentis, quæ eſt ieiunium moraliter loquendo, ſed diei ſequentis, quæ nõ eſt ieiunium in qua licet carnes comedere, & dum contrariũ nõ probatur, nihil conuincitur ex principijs intrinſecis contra Paſqualigũ, licet bene conuincatur à principio extrinſeco, ex eo quod eius doctrina, ſit contra cõmunẽ conſenſũ omniũ DD. vt nos cõtra ipſũ Paſqualigũ diximus reſol. præced. in prima probatione in fauorẽ noſtrę ſentẽtię.

214 Quare contra *Paſqualigum* eodem modo debemus procedere in præſenti Reſolutione; ſicut & in pręcedenti proceſſimus. Nam eius doctrina in primis eſt ſingularis, & improbabilis, vtporè contra communem conſenſum Theologorum & vſum totius Eccleſię cõmuniter à fidelibus receptum. Ergo eſt omnino reijcienda. Deinde quia obligatio ieiunij incipit à media nocte, ſiue mathematicè, ſiue moraliter loquendo. (vt vult Paſqualigus) atqui pulſus horologij deſignates mediam noctem indicant ſiue phyſicè, ſiue moraliter diem antecedentem eſſe completum, & incipere diem ſequentem, quem ſupponitur eſſe diẽ ieiunij: ergo ad minus poſt vltimum pulſum horologij iam intelligitur incipere diem ſequentem ieiunij, & cõſequenter obligationem ieiunandi. Nec recurrere valet ad paruitatem materiæ temporis, quæ in ſententia Paſqualigi eſt vna circiter hora poſt pulſum horologij deſignantis mediam noctem; tum quia vt reſolut. pręced. diximus licet vna circiter hora dicatur parua materia reſpectu totius diei mathematicè ſumpti prout includit horas 24. tamen reſpectu pũct. indiuiſibilis medię noctis tam mathematice, quam moraliter ſumptè non eſt dicenda parua, ſed magna materia; tum etiam quia qui continuat cęnam inceptam antè mediam noctem vnius diei per vnam circiter horam poſt mediam noctem alterius diei, ſicut non frangeret ieiunium Eccleſiaſticum etiam nec frangeret naturale ieiuniũ, & poſſet in die ſequẽti communicare, aut ſacrum celebrare

celebrare quod falſum eſſe probauimus contra Paſqualigum reſol. præcedenti; ergo dicendũ abſolute eſt ſententiam Paſqualigi non eſſe tolerandam, nec conſulendam in praxi tanquam temerariam, & ſcandaloſam.

215 Sed antequam ad fundamẽta Paſqualigui reſpondamus nõ poſſum non mirari, quod vt ſupra diximus nu.8. dictę deciſionis afferat, quod etiam ſi cenans dum audit pulſus medię noctis, formet hoc iudicium, quod media nox ſit tranſacta, ne dum mathematicè, ſed etiam moraliter, poſſit adhuc continuare, & complere cenam, quia inceptio cęnę illi prorogat tẽpus cenãdi, & facit quod non cẽſeatur dies terminatus, donec impleatur cęna. Quod certè mihi videtur (ſalua pace) alienum à viro theologo; quis vnquam dixit, quod tranſacto tempore medię noctis, tam phyſicè & mathematicè, quam moraliter, de quo iudicium habetur certum, quod poſſit tempus retrotrahi ad diem antecedentem, ex eo præciſe, quod cenãs incipiat cænã in die antecedenti? nemo tamen qui prudenter de hoc iudicet. Nam ſi hoc denegatur omnipotentię Dei iuxta illud commune proloquium Theologorum ad præteritum nulla eſt potentia, itaut Deus non poſſit facere ſua omnipotentia diuina, quod ſi dies eſt finitus, & præteritus, nõ ſit præteritus, & ſi dies ſequens eſt inceptus iam tam mathematicè, quam moraliter, non ſit inceptus; quomodo Paſqualigus hoc concedit actioni humanæ incipienti cęnam ante mediam noctem diei antecedentis, quod ſi conſtet de media nocte diei ſequentis tam mathematicè, quam moraliter, dicta inceptio cęnę proroget tempus cenandi, & faciat, quod non ſit, & cenſeatur dies terminatus donec impleatur cęna? certè vt verum fatear, nemo ſanę mentis hoc auderet dicere; nam manifeſtè ſequerẽtur duo prædicata contradictoriè oppoſita ſimul vera, quod implicat, vt omnes fatentur etiam reſpectu diuinæ omnipotentię. Quod autem dictę cõtradictorię ſequantur, ex verbis relatis Paſqualigi manifeſte oſtendo. Cenãs per te dum audijt pulſus medię noctis format hoc iudicium, quod media nox eſt trãſacta, non dum mathematicè, ſed etiam moraliter: ergo hæc propoſitio eſt vera; media nox huius diei eſt tranſacta phyſicè & moraliter, & eſt inceptus dies ſequens phyſicè, & moraliter; ac etiam per te eſt verum quod inceptio cęnę protrahit tempus cenandi; (ideoque cænans poteſt cõtinuare, & complere cænam) & facit quod nõ cenſeatur dies terminatus donec impleatur cęna; ergo hæc propoſitio erit vera, media nox huius diei non eſt completa, nec phyſice, nec moraliter, nec dies ſequens eſt inceptus, aut phyſice, aut moraliter: ergo dantur duo cõtradictorię ſimul verę. Probo conſequentiam, hæc propoſitiones cõtradictoriè opponuntur tota rigoroſa contradictione, media nox huius diei eſt tranſacta phyſicè, & moraliter, & dies ſequens eſt inceptus phyſicè, & moraliter: media nox non eſt tranſacta phyſicè, & moraliter; nec dies ſequens eſt inceptus; ſed iſtæ duæ propoſitiones ſunt ſimul veræ ſecundum tuam doctrinã: ergo

ergo concedis dari propoſitiones cõtradictorias ſimul veras. Deinde quia etiamſi daremus, quod iſte talis ſciret poſt inceptam cænam eſſe impletam mediam noctem mathematicè, & moraliter, quamuis non eſſet tranſacta, & inceptus dies ſequens, ſed tantum eſſet punctũ indiuiſibile medię noctis adhuc non ſequitur, quod poſſit continuare, & complere cenã, ex eo, quia inceptio cęnę illi poſſit prorogare tempus cenãdi, & facere, quod non cenſeatur dies terminatus, donec impleatur cæna: niſi forte Paſqualigus velit dicere de iſto tali poſſe facere in dicto caſu, id quod Ioſue fecit, quando perſequebatur Reges Amorræorũ, Hebron, Ierimot, & Eglon ſimul cum exercitibus ſuis, ſcilicet ſuſpendere concurſum ſolis, & lunæ, vt media nox firmetur, & non tranſeat, nec incipiat dies ſequens, donec dictus ſuam cęnam adimpleat, vt teſtatur ſacra pagina de Ioſue lib. de Ioſue cap. X. tunc locutus eſt Ioſue Domino in die qua tradidit Amorrhæum in conſpectu filiorum Iſrael, dixitque coram eis; ſol contra Gabaonne mouearis, & Luna contra Vallem Aialon. Stetitque ſol, & Luna, donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis.

216 Ad peimum fundamentum oppoſitæ ſententiæ, reſpondetur negando antecedens: nam cęnans tantum eſt in poſſeſſione cęnę vſque dum audiat primum, & ad amplius vltimum pulſum ſignantem mediam noctem. Ideoque vſque ad illud tempus tantum poteſt cęnam continuare abſque eo, quod aliquo ab extrinſeco prouenienti ſpoliari à tali poſſeſſione queat; attamen dato prędicto medię noctis ſigno; iam nõ eſt in poſſeſſione cęnę eo quod iã ſit finita moraliter, & ita continuatio cęnę eſt actio pertinẽs ad diem ſequentem; quæ eſt ieiunij; cum ius ad cęnandum finiatur media nocte impleta moraliter. Qua propter non poteſt actio ſubſequens continuatiua cęnę pertinere ad diẽ antecedentem iam pręteritum ſed ad diem præſentem, in quo iam eſt in poſſeſſione ieiunium, & conſeqnenter eſt prohibita actio continuatiua cęnę, vt potè facta in die, in qua fieri non debet, nec poteſt abſque fractione ieiunij. Et ſi dies antecedens ad diem ieiunij, non ſit ieiunium, & cæna ſit incepta veſcendo carnibus ſi proſequatur eſus carnium poſt mediam noctem, non ſolum erit contra pręceptum poſitiuum ieiunij prohibens plures comeſtiones, ſed etiam contra pręceptum negatiuum abſtinendi à carnibus in diei ieiunij. Vndè non iniuſtè, ſed iuſtiſſime ob ſupradicta ſpoliatur cenans à continuatione cęnę poſt mediam noctem, (aut vt bene docet P. Leander à ſanctiſſimo Sacram. dict. quæſt. 19. ſolut. ad 2. argum. Paſqualigi) vt melius dicemus, ſeipſum negatiue ſpoliat, eo quod dato ſigno medię noctis, finiatur cęna illius diei, & conſequenter eius poſſeſſio.

217 Ad ſecundum fundamentũ reſpondetur verum eſſe antecedens, quando id concedunt iura, & non datur lex, aut pręceptum contrarium. In caſu autem noſtro non poteſt acquiri ius ad cęnam complendam, eo quod ſit incepta debito tempore, quia datur pręceptum, & lex incõtrarium, nempe

pe præceptum ieiunij, quod incipit media nocte, & prohibet expreſſe quamcumque cibi comeſtionem; ideoque licet cęna ſit incepta in tempore non acquirit ius in hoc caſu ad terminationem ipſius poſt tempus aptum, videlicet poſt mediam noctē. Deinde quia dato quod res cepta acquirat ius ſemper ad terminationem ipſius, non tamen res finita ſaltem moraliter quomodo finita eſt cęna poſt datum vltimum ſignum mediæ noctis. Secus autem eſt dicendum de iuriſdictione Delegati; tum quia id expreſſe cōcedunt iura in argumento allegata; tum etiam quia ad minus nulla datur lex in oppoſitum; tum denique quia res eſt cæpta in tempore, & non finita, quæ omnia longe abſunt à noſtro caſu, & ex ſupradictis conſtat.

RESOLVTIO VIGESIMA.

Vtrum Summus Pontifex, ſi abſq; legitima cauſa cum aliquo diſpenſet in lege ieiunij peccet, & ſi peccat, an peccet mortaliter, vel ſolum venialiter?

218 SVppono cum communi DD. ſententia, quod diſpenſatio facta à Summo Pontifice in lege ieiunij abſque cauſa, eſt valida quamuis licita non ſit. ita Caietanus 1.2. quæſt. 96. art. 5. circa finem. Medina quęſt. 97. art. 4. Palatius in 4. diſtin. 15. diſp. 8. poſt. 4. concl. Azor. part. 1. lib. 7. cap. 18. Suarez tom. 4. in 3. part. diſput. 56. de indulg. ſect. 2. nu. 11. & lib. 6. de legibus cap. 59. num. 6. Rodriquez to. 2. quęſt. Regul. quęſt. 46. art. 5. Thoma Sanchez lib. 8. de matrim. diſp. 17. num. 24. & tom. 2. conſil. mor. lib. 5. cap. 1. num. 4. Ioann. Sanchez in ſelect. de Sacram. diſp. 54. num. 38. Salas de legib. diſput. 20. ſect. 4. num. 37. Baſilius Pontius Legionenſis lib. 8. de matr. cap. 14. numer. 7. Caſtropalaus part. 1. tract. 3. de diſpenſ. leg. diſp. 6. punct. 8. §. 1. num. 1. Molſeſ. part. 1. ſummæ tract. 10. cap. 4. num. 51. Innoc. in cap. cum ad monaſterium de ſtatu Regul. Decius in cap. quæ Eccleſ. num. 29. de conſtit. Couarr. 2. part. Decreti §. 9. cap. 6. num. 10. P. Ludouicus Caſpenſis in curſu Theolog. part. 1. tract. 13. de legib. diſp. 6. ſect. 4. num. 22. Zacchar. Paſqualig. in praxi de ieiunio deciſion. 380. P. Leander à ſanctiſs. Sacram. par. 3. tract. 5. de obſeru. ieiun. diſput. 10. quæſt. 2. Et ratio eſt quia, qui habet poteſtatem cōdendi legem, poteſt in dicta lege etiam abſque cauſa diſpenſare; atqui ſummus Pontifex habet poteſtatem condendi leges Eccleſiaſticas: ergo poteſt in lege ieiunij, vt pote Eccleſiaſtica etiam abſque cauſa diſpenſare: ergo licet diſpenſatio abſq; cauſa non ſit licita, erit tamen valida. Probatur hęc vltima cōſequentia; quia poſita dicta diſpenſatione facta à Summo Pōtifice potente eam facere, ceſſat obligatio legis ieiunij, ſicut per eiuſdem Pontificis voluntatem incepit obligare. Et quamuis lex iuſta debeat eſſe neceſſaria, pro bono publico, & alias huiuſmodi participare debeat cōditiones intrinſecas, adhuc tamen à Legiſlatoris voluntate dependet tamquam ab efficiēte cauſa. ideoque per ipſam tolli poteſt, & poni, ſtatim autem, ac eſt ſublata deſinit obligare.

219 Secundo ſuppono, quod quan-

quando in prima ſuppoſitione dicimus, quod diſpenſatio legis ieiunij facta à ſummo Pontifice abſque cauſa eſt valida, hoc debet intelligi de cauſa ſe tenente ex parte ſubditorum, qui ſubtrahuntur ab onere legis ieiunij, non autem de cauſa, ſeu ratione, quę moueat ſummum Pontificem. Nam ſi Summus Pontifex abſque vllo rationis motiuo, moueretur ad diſpenſandum in lege ieiunij, diſpenſatio eſſet nulla, & Pontifex moraliter peccaret, quia diſpēſatio facta legis à potente eam facere debet eſſe actus poteſtatis, ex eo, quod poteſtas eſt facultas, quę ab intrinſeco exigit adhiberi rationabili modo: ergo ſi Sũmus Põtifex in lege ieiunij diſpēſare cum aliquo ſuo ſubdito abſq; motiuo ex parte ipſius Pontificis moueretur ad diſpenſandũ abſq; vllo rationis motiuo: ergo talis actus, nõ eſſet act⁹ poteſtatis ſed eſſet impetus quidã, & actus iuſtitiæ: ergo dicta diſpenſatio non eſſet valida quia illi tantum actus validi sũt qui proueniunt à congruenti poteſtate: ergo conſequenter dicendum eſt, quod Pontifex mortaliter peccaret diſpensãdo in lege ieiunij abſque vllo motiuo, & cauſa ſe tenente ex parte ipſius Pontificis diſpenſantis, quicquid ſit ex cauſa ex parte ſubditorum ſe tenente. Ex quo manifeſte infertur, quod ſi Summus Pontifex diſpenſaret in omnibus legibus humanis Eccleſiaſticis, aut in lege ieiunij pro tota Dei Eccleſia irrita eſſet huiuſmodi diſpēſatio, ſi quidem moderata à ratione non eſſet, ac proinde, nec actus poteſtatis, qui à ratione moderari neceſſario debet; non enim poteſt aliqua dictare ratio, quod ſint diſpenſandę omnes Eccleſiaſticæ leges, imo oppoſitum ratio dictat, quia oſtēdit, quod talis diſpenſatio bono publico contrarietur, maximumque afferat damnum. Vnde cum poteſtas publica pro fine bonum publicum habere debeat, non poteſt eſſe actus poteſtatis, actus deſtructiuus boni publici; & idem quod dicimus de diſpenſatione legis, dicere debemus de ipſius legis abrogatione. His ita ſuppoſitis.

220 Quod in pręſenti inquirimus eſt, an ſummus Pontifex diſpenſans in ieiunio cũ aliquo abſque cauſa, mortaliter, aut venialiter peccet. *Prima* ſentētia in hac difficultate ſuſtinet, ſolum venialiter peccare, ita Ludouicus Lopez in inſtruct. conſcient. part. 1. cap. 4. verſu 6. addimus. Valent. 1. 2. diſput. 7. quæſt. 5. punct. 9. in fine. Thom. Sanchez lib. 8. de matr. diſp. 18. nu. 7. Salas diſp. 10. de leg. ſect. 5. numer. 55. Villalobos tom. 1. ſummæ tract. 2. diff. 4. numer. 6. Trullench in Decalog. lib. 3. cap 2. dub. 7. num. 18. verſu nihilominus tamen. Diana parte 1. tract. 10. de legib. reſol. 35. Barboſa lib. 1. de vniuerſo iure Eccleſ. cap. 11. numer. 200. *Fundamentum* huius ſententię eſt, quia non videtur grauis difformitas partem toti non ſe conformare; atqui vbi nulla inuenitur grauitas materię non eſt peccatum mortale ex parte Legislatoris in ſua lege ab ipſo facta cum aliquo diſpenſare: ergo *Pontifex* diſpenſans cum aliquo in lege ieiunij ex genere dictę diſpenſationis, non peccat mortaliter, ſed tantum venialiter.

221 Secunda ſententia in alio

ex-

Digitized by Google

Extremo affirmat quod diſpenſare in lege poſitiua humana abſque legitima cauſa eſt peccatū mortale ex genere ſuo; atque adeo Pontificem diſpenſantem abſque cauſa cum aliquo in lege ieiunij, mortaliter peccare. ita *Palatios* in 4.diſt. 15. diſp.8. poſt.4.concl.Ledeſma 2.part.4. quæſt.17.art.3.verſu in oppoſitum autem eſt propoſitio ſecūda.Corduba lib.4.quæſt.8.Petr. Ledeſma part.1. ſūmæ tract. de matr.cap.27.dub.1.poſt.4.cōcl. Malderus 1.2.quæſt.97.artic.4. dub.2.poſt.1.concl.verbo quęres. Suarez lib.6.de leg.cap.18. num. 17. Thom. Sanchez tom. 2.conſil.moral.cap.1.dub.5.nu. 6. vbi retractat quod dixerat lib.8.dematrim.diſp.18.num.7. ſup.citata.P.Leander à Sanctiſſimo Sacramento part.3. tract. 5.de ieiunior.obſeruat.diſp.10. quæſt.4. & 5.quæ ſentētia videtur colligi poſſe ex Concilio Tridentino ſeſſ.25.cap.5. de reform. vbi grauiter prohibet diſpenſationem ſine cauſa, quia vt ait cap.18.diſpenſatio abſque cauſa dat aditum tranſgrediendi legem.

222 Quod autem Pontifex peccet diſpenſando abſque cauſa cum aliquo in lege ieiunij ex genere ſuo. probat.1. dictus P. Leander à ſanctiſſimo Sacram. vbi ſupra dict.quęſt.4.quia omnis legislator etiamſi ſupremus ſit Princeps peccat diſpensādo cum aliquo abſq; legitima cauſa in proprijs legibus; ergo, & Pontifex peccaret ſi abſq; legitima cauſa diſpenſaret cum aliquo in lege ieiunij.Conſequentia videtur euidens, & antecedens probatur 1.ex D.Tho.1.2. quæſt.97.art.4.vbi ait quod diſpenſatio ſine cauſa eſt inprudēs temerarius,& infidelis vſus poteſtatis. eſt etiam vt ait *D.* Bernard. lib. 3. de conſideratione ad finem diſſipatio quędam &, violatio iuris naturalis, ſi quidem facit quod ſine cauſa pars non conſonet toti. eſt rūſus offēſio equalitatis, quā iuſtitia erga omnes ſeruari petit. cap. iuſtum eſt diſt.9. eſtque denique actus diſſonus rationi, & offenſionis cauſam cęteris ſubditis prebens: ergo diſpenſatio facta ſine cauſa actus illicitus, & peccaminoſus eſt.

223 Secundo probat ſpecialiter loquendo de diſpenſatione in ieiunio, quia dispenſatio in ieiunio cum aliquo abſque cauſa data, & eſt preiudicialis illi, cui conceditur, & alijs particularibus, & etiam bono communi: ergo eſt illicita, conſequentia ex antecedente ſequitur; antecedens vero quo ad primā partem probatur, quia diſpenſatio in ieiunio abſque cauſa eſt præiudicialis illi, cui conceditur, cum abſque cauſa priuetur non ieiunando exercitio virtutis abſtinentiæ. merito ieiunij, & ſatisfactione pro peccatis. Quoad ſecundam vero partem probatur idem antecedens, nēpe quod dicta diſpenſatio ſit etiam præiudicialis cæteris, qui ieiunant, tum quia vna ex cōditionibus ad legis iuſtitiam petitis, eſt vt ſit ęqualis omnibus, quæ conditio omnino deficit, quando cæteris lege oppreſſis aliquis ſine cauſa ab ea eximitur. tum etiam quia cum videant alios ſine cauſa à ieiunio eximi iure offenduntur, & ſumunt anſam ad idem faciendum, vt dicit Tridentinum ſeſſ.25.cap.5.& 18. Tandem 3. pars eiuſdem Antecedentis, ſcilicet quod dicta diſpenſatio in ieiunio, ſit etiam præiudicia-

Digitized by Google

lis bono communi, probatur, quia lex ieiunij in dicta eſt ob bonum commune, ſicut omnes aliæ leges, vt habetur in capit. erit antem lex diſt. 4. ergo eius diſpenſatio ſine cauſa, præiudicialis erit bono communi, & conſequenter ex omni parte illicita.

224 Quod autem Summus Pōtifex ſi faciat dictam diſpenſationem cum aliquo in ieiunio abſque cauſa, peccet mortaliter probat dictus P. Leander loco ſuperius citato quęſt. 5. quia in præcepto tam ſancto Eccleſiæ diſpenſare ſine cauſa eſt contra iuſtitiam diſtributiuam, aut legalem, & deſtructiuum communis boni, & prebet occaſionem violandi leges: ergo eſt peccatum mortale. Antecedens ſupponit vt certum P. Leander ex Auctoritate extrinſeca DD. hoc aſſerentium. Conſequentia vero manifeſte videtur ſequi ex Antecedente, nam ſi diſpenſaret ſine cauſa in lege ieiunij, ex ſe eſt iniurioſum rei publicę, & deſtructiuum boni communis, bonę conſuetudinis, & ſcandaloſum cum hæc omnia, ſint mortalia ex genere ſuo, conſequens eſt vt talis diſpenſatio ſit peccatum mortale ex genere.

225 Tertia ſententia, & quæ mihi verior, & probabilior videtur cum diſtinctione procedit aſſerit enim quod ſi diſpenſatio in ieiunio facta abſq; cauſa à ſummo Pontifice cum aliquo particulari, cedit in prçiudicium graue alterius, aut in præiudicium notabile boni communis, tunc Pontifex diſpensās abſque cauſa mortaliter peccabit, in quo conuenit cum ſecunda ſententia; ſi vero ex dicta diſpenſatione facta abſq; cauſa à ſummo Pontifice in lege ieiunij cum aliquo, nullū ſequatur prçiuditium bono communi, aut alicui particulari, affirmat ſummum Pontificem non peccare mortaliter, ſed ad ſummum venialiter, in quo conuenit cum prima ſententia. Ita Baſilius Pontius Legionenſis lib. 8. de matrimonio cap. 18. num. 4. vbi ſic ait cuiuſmodi peccatum ſit diſpenſare in lege humana ſine cauſa, diſputant nonnulli. Et non pauci exiſtimant eſſe peccatū mortale ex genere ſuo; ſic docet Couarruuias de matrimonio 2. parte capite 6. §. 9. numer. 7. Suarez lib. 6. de legibus cap. 18. numer. 7. & alij quos referunt Thom. Sanchez, & Salas locis infra citandis. At vero alij, quod probabilius eſt, dicunt tantum eſſe peccatum veniale ex genere ſuo, niſi adſit aliorum ſcandalum, aut graue damnum aliorum, vt ſi eximatur aliquis à ſoluendis tributis: Quod enim quis eximatur à lege, & non alius ſi nihil aliud adſit, præciſe non videtur grauis inæqualitas. Sic ille. Caſtropalaus part. 1. tract. 3. de diſpenſat. leg. diſp. 6. punct. 8. §. 1. num. 4. & 5. vbi dicto numero 5. ſic ait. Cæterum verius credo ſolum eſſe peccatum veniale ex genere ſuo, ſi ſecludamus ſcādalum, & damnum notabile aliorum. Bonacina tom. primo in Decalogo lib. 3. capite 2. dub. 7. numero 18. verbo nihilominus Pater Magiſter Marcus Serra in 1. 2. Diui Thomæ tom. 3. quęſtione 97. articul. 4. dub. vnico concluſioue 2. verſu alij dicunt, vbi ſic aſſerit, alij dicunt non eſſe peccatum mortale ex genere ſuo, ſed ſolum veniale, ſicque ſecluſo ſcandalo

dalo

Digitized by Google

dalo, & alterius graui damno aut alia circũſtantia mortaliter mala, numquam eſſe in indiuiduo peccatum mortale, ſed ſolum veniale diſpenſare ſine cauſa in lege humana. Zacharias Paſqualigus in praxi de ieiunio deciſ.382.

226 Prima pars huius ſententię probatur, quia legislator ſupremus etiamſi ſit ſummus Pontifex tenetur vnicuique iuſtitiam ſeruare, & bonum publicum conſeruare, cum hoc ſit ipſi cõmiſſum, nec poteſtas ipſius extẽditur ad prędicandum alicui, & multominus bono publico, quia poteſtas diſpenſandi in ſuis legibus eſt ipſi data ad edificandum, & nõ ad deſtruẽdum; ergo ſi Summus Pontifex abſque cauſa cum aliquo diſpẽſet in lege ieiunij, ſi talis diſpẽſatio cedat in damnum alterius aut in graue præiuditium boni communis, aut ex dicta diſpẽſatione ſcandalum ſequatur abſque dubio mortaliter peccabit faciendo prædictam diſpenſationem.

227 Secunda vero pars huius ſententiæ, ſcilicet quod ſi nullum ſeuuatur præiuditium bono communi, aut alicui particulari, ſummus Pontifex diſpẽſans cum aliquo in lege ieiunij non peccet mortaliter, ſed ad ſummum venialiter, colligitur ex Diuo Thom. 1. 2. quæſt. 97. art.4. in corpore. vbi Angelicus Doctor ſic inquit. Et ideo ille qui habet regere multitudinẽ, habet poteſtatem diſpenſandi in lege humana, quæ ſuę auctoritati innititur, vt ſcilicet in perſonis, vel in caſibus, in quibus lex deficit, licẽtiam tribuat vt præceptum legis non ſeruetur; ſi autem abſque hac ratione pro ſola voluntate licentiã tribuat, non erit fidelis in diſpenſatione, aut erit imprudens: infidelis quidem ſi non habet intentionem ad bonum commune: imprudens autem, ſi rationem diſpenſandi ignoret; propter quod Dominus dicit Lucæ 12. qui putas, eſt fidelis diſpenſator, & prudens, quem cõſtituit Dominus ſuper familiam ſuam? Hucuſque Diuus Thomas; atqui actus ex hoc quod ſit contra prudentiam, non habet ſpecialem malitiam, nam ille defectus generalis eſt omni peccato etiam veniali; & infidelitas oppoſita fidelitati, quod non ſit peccatum mortale, ſed ſolum veniale ex genere ſuo. oſtendit Gaietanus 2. 2. quæſt.113. art.1. ergo diſpenſare ſummum Pontificem abſque cauſa cum aliquo in lege ieiunij nõ erit peccatum mortale, ſed ad ſummum veniale ex genere ſuo. Huic ſententiæ quoad hãc partẽ nõ parum fauere videtur Caietanus in ſumma verbo diſpenſatio, vbi ſic ait. Diſpenſare in lege abſque rationabili cauſa peccatum eſt, quia actus eſt voluntarius diſſonus rationi rectę. Eſt autem veniale huiuſmodi peccatum in paruis. In ijs autẽ quæ notabilia ſunt conſiderandum eſt, ſi aliquid interuenit contra diuina præcepta ſeu bonos mores, vel non; & ſic iudicandum eſt de mortali, vel non mortali; atqui ſi eſſet peccatum mortale ex genere ſuo, non opus eſſet hoc conſiderare, ſed eo ipſo quod materia eſſet notabilis, quamuis non eſſet contra diuina præcepta, ſed ſolum contra legem humanam, in qua diſpenſatur, eſſet in indiuiduo peccatum mortale: ergo diſpenſare in lege ſine cauſa, non eſt ex ſe peccatum morta-

le, ſed ſolum poteſt eſſe tale ex circumſtantia ſcandali, aut dãni notabilis, aut aliorũ, quæ ſunt cõtra diuina præcepta, vt patet in exemplis ibidem adductis à Caietano: ergo ſi ſummus Põtifex diſpenſet cum aliquo abſque cauſa in lege ieiunij ſecluſo præiuditio tertij, aut incommodo, ſeu prẹiuditio boni cõmunis, ſecluſoque ſcandalo, nõ peccabit mortaliter, ſed ad ſũmum venialiter.

228 Hanc partem ratione probat P. Magiſter Marcus Serra loco ſupr. citato deſumpta ex Silueſtro verbo diſpenſatio qu. 2. & 3. quia vt ait Silueſter (inquit Eruditus Serra) loco proxime citato eius eſt deſtruere, cuius eſt condere, nec princeps tenetur legibus ſuis ligatus, ſed hẹc ab eius voluntate pendent: ergo licet in eis ſine cauſa diſpenſet, ſi deeſt ſcãdalum, & notabile damnum aliorum, & detrimentum magnum boni cõmunis, non peccat mortaliter; non enim videtur res tanti momenti, vt pluſquam veniale peccatum ſit.

229 Sed licet ſuprapoſita probatio Patris Magiſtri Serrẹ aliquo modo ſuadeat probabilitatem noſtræ ſententiæ quoad dictam ſecundam partem, melius mihi videtur probari dicta ſecunda pars à Paſqualigo dicta decis. 382. num. 5. quia etiamſi non adſit cauſa ex parte illius, cum quo diſpenſatur adhuc tamen diſpenſatio eſt rationabilis reſpectu Pontificis: nam ad Principem ſpectat ſe gratioſum exhibere cum ſubditis, & ipſis conferre aliquas gratias, quæ merè gratuitẹ ſint, quia in hoc imitatur Deum cuius vices gerit in terra. Vnde cum habeat poteſtatem diſpenſandi in legibus, poteſt abſque cauſa concedere tamquam gratiam, diſpenſationem, quando nullum ſequitur prẹiudicium: ergo Pontifex diſpẽſans cum aliquo in lege ieiunij in ſenſu explicato non peccat mortaliter, ſed ad ſummum venialiter, cum ex parte Pontificis diſpenſantis ſemper detur aliqua rationabilis cauſa mouens ipſum ad faciendam dictãm diſpenſationẽ cum aliquo in lege ieiunij, ſcilicet, quia videre poteſt ipſum non ſeruare legem ieiunij, eſſe nobilem perſonam, & propter debilitatem naturæ, & non eſſe aſſuetum ieiunare, non ſeruare ieiunium, licet debilitas in ipſo non ſit talis, vt ſufficiat ad excuſandum eum à lege ieiunij. Precipuè cum diſpenſatio legis interpræ tationem ipſius legis ſupponat, vt docet Caietanus 1.2. quæſt. 96. artic. 6. inquiens quod diſpenſatio ex interpretatione legis procedit; atqui interprẹtatio legis non fit à legislatore abſque cauſa ſe tenẽte ex parte ipſius Legislatoris: ergo etiam diſpenſatio vt valida ſit, ſupponit aliquam rationem diſpenſandi in ipſomet diſpenſatore. Si quidem vnum ſine alio reperiri non poteſt, cum diſpenſatio requirat, vt prẹcedat interpretatio legis, hẹcque adeo ad diſpenſationẽ requiratur, vt vbi nulla eſt opus interpretatione, qua declaretur legem deficere in perſonis vel in caſu, magiſque expedire, vt ab hoc, vel illo homine, aut in hoc vel illo caſu lex non ſeruetur, nulla ſit ratio diſpenſandi, vt ex Caietano. dict. 1.2. quæſt. 97. art. 4. aſſerente, quando non eſt, nec apparet, nec dubitatur defectus legis, nulla eſt ratio licentiam tribuendi quod non

ſer.

Digitized by Google

ſeruetur, legis præceptum, ac per hoc nulla eſt ratio diſpenſandi. Colligit Magiſter Serra loco ſup. citato in principio dubij ſuper art. 4. Diui Thomæ; quod non obſcurè colligitur ex ipſo Angelico præceptore Diuo Thoma dict. art. 4. dicente rectorem multitudinis habere poteſtatem diſpenſandi in lege humana, vt ſcilicet in perſonis, vel in caſibus, in quibus lex deficit licẽtiam tribuat. ex quo colligitur diſpenſationem antecedentem, & præſuppoſitiue eſſe quidem interpretationem legis, propter quod Sanctus Doctor. 2.2. quæſt. 88. art. 10. ait diſpenſare in lege eſſe determinare in particulari caſu legem non eſſe ſeruandam: formaliter tamen ab illa longe diuerſam eſſe vt oſtendunt Magiſter Soto lib. 1. de iuſtitia quęſt. 7. art. 3. & alij. interpetratio enim quędam legis declaratio eſt, diſpenſatio vero licentię ſeu facultatis conceſſio, vt pręceptum, vel lex non ſeruetur; quę conceſſio cum ſit quędam legis relaxatio; optime ait Sanctus Raymundus de Pegnafort. lib. 3. Summę tit. de lapſis, & diſpenſationibus §. 9. Diſpenſatio eſt idem, quod iuris relaxatio: ergo ſemper in diſpenſante debet dari aliqua ratio motiua ad diſpẽſandũ in lege, quamuis ex parte diſpenſati nulla concurrat ratio ad talem diſpenſationem, aliàs diſpenſatio erit nulla, vt ſupradiximus ſuppoſitione 2. huius reſolutionis: ergo cum ex parte Summi Pontificis detur ratio ſufficiens motiua ad diſpẽſandum cum aliquo in lege ieiunij abſque cauſa cõcurrente ex parte diſpenſati, ſi ex tali diſpenſatione nullum ſequatur alicui damnum, aut ſit contra bonum commune, vel ſcandalum aliquod ſequatur nõ ſolum diſpenſatio erit valida, ſed Summus Pontifex non peccabit mortaliter faciendo talẽ diſpenſationem, ſed ad ſummũ venialiter.

230 Nec valet ſi dicas ex tali diſpenſatione facta à ſummo Põtifice abſq; cauſa, ſequi ſemper aliquod prę iuditium; quia cũ lex ſit vtilis, bono publico diſpenſatio erit nociua. Hoc inquam non valet; nam vt bene reſpondet Paſqualigus dicta deciſ. 382. nu. 6. ex eo quod lex ſit vtilis bono publico, ſeu in tota communitate, non eſt diſpenſatio ſupradicta nociua, qua quod aliquis non ſeruet legem non eſt nociuum, nam per hoc nõ tollitur, quod communitas non ſit ordinata in illo ordine, quem confert lex ſed ratione diſpenſationis conſurgit in republica aliud bonum, nempe complementum quoddam ordinis illorum, qui gratijs principis fouuntur, ſi quidem pertinet ad bonum publicum, & pulchritudinem Reipublice, quod gratię principis in omni genere ſe ſe diffundãt; atque adeo etiam in diſpenſatione legis. Neque hic locum habet, quod pars ſit turpis, quę non congruit cum ſuo toto; nã hoc ſolum valet de parte, quæ debet congruere in obſeruãtia legis, etiam ſi ſit diſpenſatus abſq; cauſa ex quo fit quod quãdo diſpenſatio abſque cauſa affert aliquod leue pręiudicium alteri, aut bono publico, continebit ſolum peccatum veniale ratione paruitatis materiæ; à quò tamen etiam princeps excuſari poteſt, quia leue pręiudicium non videtur conſiderãdum, quando agitur de voluntate

tate principis, nam adeſt volũtas interpetratiua, quod quilibet contentus ſit leue præiuditium proprium poſtponere ſatisfactioni principis, & ob hãc rationem in noſtra ſententia conſulto diximus, quod sũmus Pontifex diſpenſans cum aliquo in lege ieiunij abſque cauſa ſecluſo graui damno, & ſcãdalo peccabit ad ſummum venialiter.

231 Quando autem inteligatur prę iuditium eſſe leue, aut graue examinare oportet. Et vt bene notat P. Thom. Sanchez tom. 2. conſil. moral. lib. 5. cap. 1. dub. 5. num. 8. & ex eo Paſqualigus dict. deciſ. 382. num. 8. graue, aut leue prę iuditium nõ debet Attendi ex grauitate obligationis, quam imponit lex. ſed debet penſari penes hoc quod ſi ponatur in Republica, non multũ attinet ad bonũ illius, nec ſi tollatur ſubuertit illã multũ, nec multũ pertinet ad ſplendorem Reiplubicę quamuis illam omittere abſque diſpenſatione, eſſet mortale. Tunc autem bonũ cõmune grauiter patitur, quando notabilis ſubuerſio in ordine fit, quo conſtat Reſplubica, vt ſi diſpenſetur cum aliquo principe, quod poſſit exercere iuriſditionem in Clericos; quando autem talis ordo leuiter perturbatur, prę iuditium leue eſt. Et idem dicendum eſt in ordine ad præiuditium priuatum. Sub preiuditio autem priuato comprehenditur etiam præiuditiũ, quod fit illi cui conceditur diſpenſatio. Vnde ſi ipſi concederetur, quod non confiteretur, ſumeret Euchariſtiam ſemel in anno contra prę ceptum Eccleſiæ talis diſpenſatio afferret illi graue prę iuditiũ in ordine ad ſalutem animæ. Vnde peccaret grauiter Pontifex ſic diſpenſãdo. In noſtro autem caſu loquendo Summus Pontifex diſpenſans cum aliquo in lege ieiunij abſque cauſa ſetente ex parte illius, cui fit dicta diſpenſatio, non ponit aliquid, quod ſit, aut inferat nocumentum graue bono communi; tũ quia, vt ſupra diximus, quod aliquis non ſeruet legem, non eſt nociuum, cum per hoc non tollatur, quod communitas non ſit ordinata in illo ordine, quem confert lex, ſed ratione diſpẽſationis conſurgit in republica aliud bonum nempe complementum quoddam ordinis illorum, qui gratijs principis fruuntur, ſiquidem pertinet ad bonum publicum, & Reipublicę pulchritudinẽ, quod gratiæ principis in omni genere ſe ſe diffundant; atque adeo etiam in diſpenſatione legis. Atque adeo non eſt iniurioſum ſubiacentibus legi, quod aliquis ex diſpenſatione non ſubiaceat, cum hoc ſit ex gratia principis. Alioquin omnis gratia principis, quę non eſſet communis omnibus, eſſet iniurioſa non participantibus de ipſa; Tum etiam quia talis diſpenſatio ſecluſo ſcandalo, aut damno aliorum, non eſſet contraria bono communi, aut obligationi officij ſuperioris; aut alicui legi, ſed prę ter legem naturalem; qua non debet cooperari ſuperior, vt ſubditus diſſideat ab alijs, vt pars à ſuo toto; ſicque nec eſſet contra iuſtitiam legalem, aut commutatiuam; quare princeps ſic diſpenſans cum his, & non cum alijs, pro ſuæ voluntate, non eſt cenſendus acceptor perſonarum, ſed infidelis, aut inprudens in diſpenſatione. Nam non acciperet

per-

Digitized by Google

perſonam, aut cauſam indebitã ex parte illius redundantem in aliorum iniuriam, ſed ſolum abuteretur ſua poteſtate pro libito diſpenſando ſine cauſa debita, aut indebita ex parte perſonæ.

232 Ex dictis patet Reſponſio ad fundamenta ſecundæ ſentẽtię. Ad primum enim pro prima illius parte; reſpondeo diſtinguendo antecedens: Legiſlator etiam ſi ſit ſupremus princeps peccat diſpenſando cum aliquo abſque legitima cauſa in proprijs legibus: abſque legitima cauſa ſe tenente tam ex parte ipſius legiſlatoris, quam ex parte perſonę, cui fit diſpenſatio concedo antecedens: abſque legitima cauſa ſe tenente tantum ex parte perſonæ, cui fit diſpenſatio, ſi ex tali diſpenſatione nullum ſequatur præiuditium alteri, vel bono communi, aut oriatur ſcãdalum ex dicta diſpenſatione nego antecedens; & in eodem ſenſu diſtinguendum eſt conſequens. Ad probationem autem antecedentis deſumptam ex Diuo Thoma reſpondeo Angelicum Præceptorem eſſe intelligendũ quando ex diſpenſatione ſine cauſa ſequitur aggrauatio, & damnum aliorum; nam acceptio perſonarum non eſt abſque aliorum iniuria, vnde licet Pręlatus ſi in lege à ſe condita ſolum diſpenſaret cum ſibi auxiliarijs, qui videlicet illum elegerunt ob ſolam hanc cauſam, acceptor eſſet perſonarum, vt colligitur ex Diu. Thom. quęſt. 96. 1. 2. artic. 4. & 2. 2. quęſt. 63. art. 1. ſi tamen non cum ijs pro ſola ſua voluntate diſpenſaret, non eſſet cenſendus acceptor perſonarum, ſed infidelis, aut imprudens, vt nu. pręcedenti diximus, & in eodem ſenſu intelligendus eſt Diuus Bernarbus loco citato in probatione dicti antecedentis. Quod autẽ in dicta diſpenſatione nulla eſſet offenſio ęqualitatis, quam iuſtitia erga omnes ſeruari petit, patet ex dictis dicto num. pręcedenti. Et denique quod talis diſpenſatio non ſit actus diſſonus rationi, patet ex dictis nam adhoc vt dictus actus diſſonus rationi in re graui diceretur, non ſolum eſt neceſſe, vt nulla concurrat cauſa diſpenſationis ex parte illius, cui fit talis diſpenſatio, ſed etiã ex parte principis, ſeu Pręlati diſpenſantis in lege ieiunij. Quod in noſtro caſu non contingit cum ſemper ſupponamus, eſſe rationem motiuam, rationabilem, ex parte ſummi Pontificis diſpenſantis cum aliquo in lege ieiunij abſque cauſa ſe tenente ex parte illius, cui fit talis diſpenſatio; & ita prędictus actus non eſt diſſonus rationi, & conſequenter nec peccaminoſus ſaltem mortaliter, ſed ad ſummum venialiter vt ex ſupra dictis pro noſtra ſententia cõſtat.

233 Ad ſecundum fundamentũ P. Leandri pro eadem prima parte ſecundę ſententię reſpõdetur negando antecedens, quoad omnes ſuas partes loquendo de nocumento graui. Et ad probationem pro prima parte reſpondeo, quod talis diſpenſatio abſque cauſa non eſt pręiudicialis grauiter illi; cui concèditur; nam licet abſque cauſe ex parte illius ſe tenente concedatur ei facultas non ieiunandi, non ideo abſolute priuatur exercitio virtutis abſtinentiæ, & meritò ieiunij. Nam dicta diſpenſatio in ieiunio, ſeu

gratia

gratia illi facta à ſummo Pontifice, vt non teneatur ieiunare, non illi obligat ad non ieiunandum, taliter quod non poſſit non ieiunare, ſi velit; nam aliàs non eſſet diſpenſatio de gratia illi conceſſa, ſed præceptum. Cum autem ſolum ſit priuilegium gratuitum, poteſt illo vti ſi velit, & illo non vti, ſi non velit, vt ex ſe notum eſt: ergo per dictam diſpenſationem nõ priuatur abſolutè meritò ieiunij, quia licet non ieiunando priuetur bono abſtinentiæ; hęc tamen priuatio non eſt præiudicialis, quia ſolum dicit negationem maioris boni, quod bonum maius non tollitur ſimpliciter à diſpẽſatione, ſed adhuc à diſpenſato poteſt obtineri ieiunando, vt ſupra dixi; nec priuatur ſatisfactione pro peccatis per dictam diſpenſationem in ieiunio; tum quia, vt paulo ante diximus, poteſt ieiunare ſi velit; tum etiam quia ſatisfactio pro peccatis non ſolum ſita eſt in ieiunio, poterit enim diſpenſatus in ieiunio pro peccatis ſatisfacere exercitio aliarum virtutum, vt tribuẽdo pauperibus elemoſinam, qua vt ſacra pagina dicit peccata redimuntur; iuxta illud; peccata tua elemoſinis redime; & etiam poteſt facere alias pęnitentias corporales macerando corpus flagellationibus, quę ſine dubio deſeruiunt ad ſatisfaciendum pro peccatis: ergo prędicta diſpenſatio non priuat diſpenſatum ſatisfactione pro peccatis. Nec valet, ſi dicas, cum Patre Leandro à ſanctiſſimo Sacramento prędictam reſponſionem non eſſe veram, aut firmam, quia dato caſu, quod diſpenſatus ieiunaret; quod eſt contingens hoc pro libito ſuo faceret, nõ neceſſitatus pręcepto, & ideo non obtineret tam grande meritum, tantamque ſatisfactionem, quam perciperet per ieiunium factũ ex pręcepto, cum ex ſententia omniũ Theologorum maioris meriti, & ſatisfactionis ſint opera facta ex pręcepto, vel voto, quam opera voluntarie facta. Hoc inquam non valet. Nam nos non dicimus, quod prędicta diſpenſatio non priuet diſpenſatum merito, & bono abſtinentię, ſed ſolum dicimus, quod et non ieiunando priuetur bono abſtinentię; hęc tamen priuatio non eſt prǫiudicialis; quia ſolũ dicit priuationem maioris boni, quod non tollitur à diſpenſatione ſimpliciter, & abſolutè, cum adhuc à diſpenſato poſſit obtineri ieiunando, licet ſi ieiunet, non obtineat tantum meritum quam ſi ieiunaret ex pręcepto, aut vòto. Maior autem intẽſio meriti habetur per ieiunium ex pręcepto, quã per ieiunium voluntarium, vt dicitur in replica. Attamen priuatio maioris meriti, quę habetur ieiunando ex libera voluntate ieiunantis, ſuppoſita diſpenſatione in ieiunio illi facta abſque cauſa, non poteſt illi grauiter nocere: ergo diſpenſatio non eſt nociua diſpenſato in re graui, nec illi infert graue nocumentum, vt ex ſupradictis cõſtat: ergo Pontifex diſpenſans in ieiunio abſque cauſa ex hoc capite non poteſt peccare faciẽdo dictam diſpenſationem ſaltem mortaliter, ſed ad ſummũ venialiter, vt ex ſupradictis conſtat. Quod autem dicta diſpenſatio prǫiudicialis non ſit bono communi patet ex dictis ſupra numero 230. & 231. Ex quibus manifeſte patet reſponſio

ſio ad fundamentum dictę ſententiæ pro ſecunda eius parte, nempe ſummum Pontificem mortaliter non peccare faciendo dictam diſpenſationem cum aliquo in lege ieiunij abſque cauſa ſe tenente ex parte ipſius diſpenſati, ſecluſo præiuditio aliorum, & ſcandalo; quod non eſſe in noſtro caſu iam probauimus non ſolum in probationibus noſtræ ſentẽtiæ, ſed etiã in reſponſione ad fundamenta Patris Leandri pro prima parte ſuæ ſententiæ allegata.

234 Sed inquires an diſpenſatus à Pontifice in lege ieiunij abſq; cauſa peccet vtendo tali diſpẽſatione? Affirmant peccare mortaliter Ledeſma 1. parte ſummæ vbi de matrimon. cap. 27. diff. 1. poſt. 4. concluſ. & alij apud Paſqualigum poſtea citãdum. Negant alij mortaliter peccare, licet affirment peccare venialiter vtendo prædicta diſpenſatione. Ita P. Leander à ſanctiſſimo Sacramento cum alijs part. 3. tract. 5. de obſeruat. ieiuniorum diſp. 10. quæſt. 26. Pater autem Magiſter Marcus Serra 1 2. quæſt. 97. art. 4. dub. vnico concluſ. 3. verſu an vero diſpenſatus cum diſtinctione loquitur; ſi enim diſpenſatus abſque cauſa vtendo dicta diſpenſatione hoc faciat cum ſcandalo, & graui damno aliorum, affirmat peccare mortaliter, ſicut diſpenſans abſq; cauſa cum graui damno, & ſcandalo aliorum peccat mortaliter diſpenſando cum illo in obſeruatione legis; ſi vero talis vtatur dicta diſpenſatione ſecluſo graui damno, & ſcandalo aliorum, ſubſtinet peccare ſolum venialiter vtendo dicta diſpenſatione; ſicut diſpenſans abſque cauſa cum aliquo in obſeruatione legis à ſe factæ abſque ſcandalo, & graui damno, peccat venialiter; & hanc affirmat eſſe ſententiam Magiſtri Soto lib. 1. de iuſt. quęſt. 7. art. 3. vbi ſic habet: Si operatio mea oneratio eſſet aliorum, vt cum quis priuilegium procurat, quo ſe tributis ſoluendis abſque cauſa ſubtrahat; vnde aliorum vergit aggrauatio, peccatum eſſet mortale, in ieiunijs autem non eſt tam planum, niſi exemptus ſcãdalum daret, illo autem ceſſante forſan culpa non eſſet peior, quam venialis. Pro eadem ſententia citat etiam Eminentiſſimum Caietanum 1. 2. quęſt. 96. art. 5. §. adhoc dubium, vbi dicit: ſi Papa licentiet ſe, vel aliũ, quia placet ad non dicendum horas canonicas, vel carnes, comedendum in quadrageſima licentiatus male facit non dicendo horas, aut carnes comedendo, quia turpis eſt pars, quę non conſonat ſuo toti ex natura iuris, quod violatur à ſubdito, & multo magis à capite, &c. non tamen eſt reus violati præcepti de horis Canonicis dicendis, aut de carnibus non comedendis.

235 Verum enim vero hęc ſententia, quæ P. Magiſtro Serra verior, & probabilior videtur, mihi nullo modo placet, quia vel ſupponit quod quando diſpenſandus in lege ieiunij, v. g. petijt diſpenſationem à ſummo Pontifice, nulla ſuppoſita ex parte illius cauſa, cognouit quod talis diſpenſatio, ſi illam obtineret, eſſet cauſa grauis damni, & ſcandali aliorum, & idipſum coguouit Papa diſpenſans antequam concederet dictam diſpenſationem, vel non,

ſi vtrique damnum, & ſcandalum, quod oriri poterat, fuit notum; diſpenſans peccabit mortaliter, & diſpenſatio fuit nulla, & inualida; & ita non eſt verum dicere, quod ſic diſpenſatio vtitur diſpenſatione valida, ſed dicendum eſt peccare mortaliter; quia non ſeruat legem abſque diſpenſatione, cum diſpenſatio habita in dicta lege fuerit à principio nulla, inualida, & illicita, vt ex ſupradictis in hac reſolutione conſtat. Si vero petens diſpenſationem in lege ieiunij v. g. abſque cauſa, & Papa concedens dictam diſpenſatiouem ignorarunt ſecuturum graue damnum, aut ſcandalum aliorum, ſed potius iudicarunt contrarium; Papa diſpenſans cum ipſo abſque cauſa in lege ieiunij valide diſpenſauit, nec peccauit mortaliter, ſed ad ſummum venialiter vt ex ſupradictis conſtat; & diſpenſatus vtendo tali diſpenſatione, dum non ſcit ex tali vſu ſequi damuum aliorum, aut ſcandalum, non peccabit mortali diſpenſatione vtendo; imo nec venialiter, vt poſtea dicam. Si autem poſt habitam dictam diſpenſationem in hoc ſecũdo ſenſu ſciat, quod ex vſu dictæ diſpenſationis ſequitur damnũ aliorum, aut ſcandalum, tenetur non vti tali diſpenſatione; etſi illa vtatur peccabit mortaliter, non quia vtitur diſpenſatione legis, ſed quia diſpenſatio poſito graui damno aliorũ, aut ſcandalo ceſſabit ex intentione interpretatiua legiſlatoris diſpenſantis, qui ſemper quod diſpenſat abſque cauſa cum aliquo in lege ab ipſo facta, intelligit diſpenſare ſolum, dum non adſit graue damnum aliorum, aut ſcandalum: ergo ſi adeſt graue damnum, aut ſcandalum, iam eo ipſo diſpẽſatio ceſſabit, & qui non obſeruat legem, etiam ſi antea fuerat in obſeruatione legis diſpenſatus peccabit mortaliter, non quia vtitur diſpenſatione legis, ſed quia non obſeruat legem abſque diſpenſatione, ex eo quod diſpenſatio prius habita reddita fuit nulla, & inualida ab ipſo inſtanti, in quo incepit adeſſe graue damnum aliorum, aut ſcandalum, ex intentione interpretatiua diſpẽſantis cum ipſo, ſiquidem ſemper intelligitur fieri diſpenſatio adhoc vt ſit valida, quando fit abſque cauſa, vt valeat dum non adſit damnum aliorum, aut ſcaudalum. Sicut diſpenſatio facta in obſeruatione legis à legiſlatore cum iuſta, & legitima cauſa ex parte perſonæ diſpenſatę concurrente durat tantum, dum exiſtit cauſa, quæ fuit adæquatè motiua ad faciendam dictam diſpenſationem, & ſine qua alias à legiſlatore, ſeu ſuperiore non fieret, & ceſſante cauſa, neceſſario ceſſat diſpenſatio; & ſic ſi vteretur dicta diſpenſatione ceſſante cauſa, non diceretur *diſpenſatione* vti, cum iam ceſſaret, ſed frangere legem non habita diſpenſatione ad illam non obſeruandam: ergo ſimiliter dicendum eſt in noſtro caſu ſeruatis ſeruandis: ergo iſta diſtinctio aſſignata in caſu propoſito à Patre Magiſtro Serra non poteſt ſubſtineri, vt potè includens in ſe magnam, & ingentem æquiuocationem, vt ex ſupradictis aperte conſtat.

236 Dicendum igitur eſt, quod vtens diſpenſatione in ieiunio con-

conceſſa abſque cauſa à ſummo Pontifice valide tamen, vel ab eo qui poteſt in dicta lege diſpenſare abſque cauſa, nullo modo peccat nec mortaliter, nec venialiter. ita Ancharanus in capit. non eſt in fine de voto, & in capite cum ad monaſterium numero 25. de ſtatu monach. Silueſter verbo diſpenſatio. quæſt. 3. numer. 5. Palatius in 4. diſt. 15. diſp. 8. poſt. 4. cõcl. verſu quamuis is: Vaſquez 1. 2. diſp. 178. cap. 4. Baſil. Pontius Legionenſis lib. 8. de matr. cap. 14. nu. 5. Suarez lib. 6. de legib. cap. 19. num. 14. (non lib. 9. nu. 14. vt inuenies apud Paſqualigum) Salas diſp. 20. de legibus. ſect. 6. nu. 6. Caſtropalaus part. 1 oper. moral. tract. 3. de diſpẽſatione legis. diſp. 6. punct. 8. §. 1. num. 8. vbi ſic ait credo ſatis probabile eſſe ſic vtentem diſpenſatione valida non peccare nec venialiter, ſic ex communi Canoniſtarum tradit Emmanuel Rodriquez tom. 1. quæſt. Regular. quæſt. 22. art. 4. ſumma Corona cap. 1. de cognoſcendis peccatis num. 32. Viuald. Appendice ad candelabr. cap. 12. num. 8. & 22. P. Antoninus Diana part. 1. tract. 10. de legib. reſolut. 35. in fine. Pat. Zacharias Paſqualig. in praxi de ieiunio deciſ. 392. num. 3. vbi alios DD. pro hac ſententia refert. Probatur efficaciter, quia iſte talis eſt valide diſpenſatus in lege ieiunii vt ſupponitur: ergo non peccat, nec mortaliter, nec venialiter vtendo dicta diſpenſatione habita abſque cauſa à potente illam concedere. Probo conſequentiam, quia ſi prædictus diſpenſatus peccaret vtẽdo dicta diſpenſatione, aut peccaret contra legem poſitiuam, aut contra legem naturalem; atqui nec peccat contra legem poſitiuam, neque contra legem naturalem: ergo nullo modo peccat, nec mortaliter, nec venialiter vtendo prædicta diſpenſatione habita abſque cauſa à potente illam concedere. Conſequentia eſt euidens. Maior autem eſt per ſe nota. Minor vero in qua poteſt eſſe difficultas probatur, & in primis, quod non peccet contra legem poſitiuam eſt manifeſtum, quia lex poſitiua v. g. ieiunij poſita diſpenſatione iã non eſt, ſiquidem per illam diſpenſationem vere relaxata eſt prædicta lex, ac eius obligatio extincta; ex quo mouetur Baſilius Pontius legionenſis ad aſſerendum lib. 8. de matrim. cap. 20. contra. Suar. lib. 8. de matr. cap. 30. & non improbabiliter, quod quando diſpenſatio habita fuit cum cauſa legitima ceſſante cauſa diſpenſationis non ceſſare diſpenſationem ipſam, quia per illam diſpenſationem vere relaxata eſt illa lex, ac eius obligatio extincta, ac proinde nõ poteſt reuiuiſcere, eo quod cauſa ceſſauerit, quę doctrina Pontij legionenſis mihi probabilis eſt, ſi cauſa motiua adhoc vt princeps diſpenſaret in ſua lege, non fuerit talis conditionis, vt ſi non exiſteret dicta cauſa, princeps nõ diſpenſaret; quia tunc intelligitur diſpenſare ſolum durante dicta cauſa, qua ceſſante ex voluntate interpretatiua Principis diſpenſantis, poteſt reuiuiſci obligatio obſeruationis legis, quia illa voluntas diſpenſatiua Principis potius dicenda eſt conditionata, quam abſoluta, in quo ſenſu valde mihi probabilis eſt opinio Pat. Thomæ Sanchez loco ſuperius citato. Quod autem

Digitized by Google

non peccet contra legem naturalem vtendo dicta diſpenſatione valida; probatur, quia diſpenſatus (vt bene docet Caſtropalaus dict.num.8.ſupra citato) non tenetur ex iure naturæ ſe alijs conformare; habet enim cauſam legitimam exemptionis, ſcilicet diſpenſationē validam, etiamſi licitè fuerit obtenta. in quo eſt valde diuerſa ratio ſubditi, & ſuperioris. Superior namque vtens diſpēſatione ſibi ſine cauſa in lege conceſſa peccat ſaltem venialiter, quia tenetur diſpenſationē reuocare, & poteſt. At ſubdito non icumbit tale onus, nec etiã eſſe poteſt peccatum, quia cooperatur diſpenſationi iniquè à Superiore conceſſæ, quia ſolũ cooperatur cum petit, petitam, & conceſſa vtitur illa, qui vſus non videtur ſpecialiter eſſe prohibitus.

RESOLVTIO VIGESIMA PRIMA.

Vtrum Epiſcopi poſſint diſpēſare in lege ieiunij cũ ſuis ſubditis?

237 IN hac reſolutione ſuppono, vt certum, quod Epiſcopus, aut alius Prælatus inferior ſummo Pontifici abrogare non poteſt præceptum aliquod vniuerſale de ieiunio, quia inferior iuriſdictionem ſupra leges ſuperioris non habet. vt conſtat ex cap. Inſtitutionis 25. quæſt.2. ibi inſtitutionis noſtræ decreta, quę pro defunctorum ſunt priuilegijs, & ordinatione diſpoſita, perpetua ſtabilitate, & ſine aliqua conſtituimus refragatione ſeruari, & cap. Eccleſiaſticę ead. quæſt. ibi eccleſiaſticæ moderationi eſt omnino conueniens, vt quę ordinata fuerint, vel rationabiliter decisa nulla impoſterum debeant refragatione turbari; & ex Clement.lib.1.de electione, & electi poteſtate titul.3.cap. ne Romani, ibi. Ne romani electioni Pontificis indeterminata opinionum diuerſitas aliquod poſſit obſtaculum, vel dilationem afferre; nos inter cætera præcipue attendentes, quod lex Superioris per inferiorem tolli non poteſt, opinionē abſtruere &c. & ex cap. cum infertur, & cap. quod ſuper his de maiorit. & obedient. ibi. Nihil ſtatuat, quod canonicis obſit ſtatutis. & tradunt communiter Doct. quo ſuppoſito.

238 Ad quæſitum Reſolutionis reſpondetur poſſe Epiſcopos diſpenſare cum hoc vel illo ſubdito in lege ieiunij. Ita docent communiter Doct. cum Diuo Thomã in 4.diſtin. 15.quæſt.3. art.2.quæſtiunc. 4.ad 3.Durandus queſt.10.numer.6.Palatius in 4.diſp.8.poſt. 4. concl. 5. At propter reuerentiam. Caietan. 2.2.quęſt.147.art.4.dub.1. & in ſumma verbo ieiunium cap. 3. Medina lib.1.ſummæ cap.14.§. 10. Palud.in 4.diſt.15. quæſt.4. numer.12. Nauarr. in manual. cap.21.num.21. Silueſter verbo ieiunium quæſt.7. Molfeſ. part. 1.ſummę tract.10.cap.4.nu.52. P. Thom. Sanchez lib.2.conſil. mor.lib.5.cap.1.dub.5.num.16. Trullench. lib.3. in decalogum cap.2.dub.7.num.18. & plures alij, quos citat, & ſequitur Paſqualigus in praxi de ieiunio deciſ. 383. P. Leander à ſanctiſſimo Sacramento part.3.tract.5 de obſeruat. ieiun. diſputat.10. quęſt.6. Probatur quia leges debent ſufficienter prouidere cõmunitati: ergo debet eſſe in quacumque communitate particulari ſufficiēs iuriſdictio pro illa

illa regenda; atqui ad regimen ſuaue cuiuſcumque communitatis neceſſarium eſt, vt ſuperior inferior sũmo Pontifici habeat in caſu neceſſitatis, in quo ad pontificem recurrere non poſſit, facultatem diſpenſandi in legibus pontificijs iuxta, & legitima concurrente cauſa, ex parte illius, qui eget tali diſpẽſatione: ergo cum præceptum ieiunij ſit præceptum, & lex Põtificia, Epiſcopi in ſuis Diœceſis habent poteſtatem diſpenſandi cum vno vel alio ex ſuis ſubditis in lege ieiunij ex volũtate præſumpta, & interpetratiua Summi Pontificis; aliàs nõ eſſet ſatis prouiſum fidelibus, ſi oporteret ſuper his Romanum Pontificem adire è quocumq; etiam remotiſſimo loco. Et quod quando diſpenſatio veniret, iam eſſet tranſacta neceſſitas, quod eſſet onus intolerabile.

239 Conſulto in concluſione dixi iuſta, & legitima exiſtente cauſa ex parte illius, cui eſt ab Epiſcopo concedenda diſpenſatio in lege ieiunij, quia prædicta diſpenſatio non poteſt fieri ab Epiſcopo abſque cauſa, alias diſpenſatio eſſet inualida, & nulla. Ita tenent Couaruu. 4. Decretal.par.2.cap.6.§.9.nu.11 Barboſ.de poteſt.Epiſcop.part. 2.alleg.33.num.3 Baſil.pontius legionenſ.lib.8.de matrim.cap. 14.num.5.Caſtropalaus part. 1. oper.mor.tract.3. de diſpenſat. legis diſp.6.punct.8.§.2.num.2. vbi ſic ait diſpenſatio inferioris in lege Superioris inualida eſt, ſi facta ſit abſque cauſa legitima Thom. Sanchez lib. 8. de matrim. diſp.17.num. 4. vbi ſic ait hinc deducitur diſpenſationẽ quacumque inferiorum in lege ſuperioris fore irritam, ſi cauſa legitima deſit, vt ſi Epiſcopus diſpenſet in lege ieiunij, aut obſeruationis feſtorum, aut quiuis alius ex pontificia commiſſione. Ioannes Sanchez in ſelect. de Sacram.diſput.54.nũm. 38.Zacharias Paſqualig. dicta deciſ.383.num. 4. P. Leander à Sanctiſſimo Sacramento vbi ſupra quæſt.7.& alij apud ipſos Et ratio eſt quia ita ſe habet prælatus inferior pontifici, aut alteri ſuperiori ad legem Superioris, ac Pontifex ad legẽ Dei, atqui Pontifex in præceptis diuinis non poteſt diſpenſare ex his, quę diſpenſabilia ſunt abſq; legitima cauſa; aliàs diſpẽſatio erit nulla, quia Pontifex quando diſpenſat in pręceptis diuinis, vt in obſeruatione diei feſtiui, & alijs ſimilibus potius declarat cognita cauſa, quod hic & nunc præceptum Diuinũ non obliget in tali caſu, quam diſpenſat in dicto præcepto diuino: ergo ſimiliter Epiſcopus ſolum ex legitima cauſa poteſt in lege ieiunij diſpenſare, aut in alijs legibus Pontificijs declarando illam cauſam eſſe ſufficientem, vt quis pro illo tũc non teneatur ad obſeruationẽ ieiunij, & in hoc ſenſu dicitur poſſe Epiſcopum in lege ieiunij cum illo vel alio diſpenſare: ergo ſi faciat abſque cauſa, diſpenſatio erit irrita, & nulla. Nam vt reſol. pręced. diximus diſpenſatio legis interpretrationem legis ſupponit, hęcque adeo ad diſpenſationem requiritur, vt vbi nulla eſt opus interprętatione, qua declaretur legem deficere in perſonis, vel in caſu magiſque expedire, vt adhoc vel illo homine, aut in hoc vel illo caſu lex non ſeruetur, nulla ſit ratio diſpenſandi. Et ſola eſt differentia inter ſuperio-

periorem, & inferiorem Prælatum, quod ſuperior poteſt diſpenſaſe cum aliquo abſque cauſa in lege à ſe facta; inferior vero non poteſt diſpenſare in lege ſuperioris abſque legitima exiſtente cauſa, ex eo quod inferior poteſtatem non habet ſupra ſuperioris leges, niſi quãtum ipſi conceditur, ſicut nec habet ſupra ipſum ſuperiorem; atqui ſolum ei facultas conceditur, vt adminiſtratori, vt nimirum adminiſtrat leges ſuperioris pro debito communitatis regimine; atque adeo rationabiliter, quia regimen debet rationabiliter adminiſtrari: ergo non habet poteſtatem abſolutam ſupra leges ſuperioris, ſed limitatam, iuxta ſubditorũ rationabilem exigentiam: ergo diſpenſatio inferioris in lege ſuperioris facta ſine cauſa inualida erit defectu poteſtatis.

240 Sed inquires an Epiſcopus poſſit abrogare legem localem ieiunij? Reſpondeo quod vel lex localis ieiunij, eſt lata ab Epiſcopo, vel ab eius predeceſſore, vel eſt lata à Concilio prouinciali, vel lex ieiunij eſt facta à Synodo Epiſcopi pro ſua Diœceſi. In primo caſu quãdo lex ieiunij localis eſt lata ab Epiſcopo, vel ab eius prędeceſſore; poteſt *Epiſcopus* abrogare legem localem ieiunij. Et ratio eſt, quia legislator propriam legem reuocare poteſt, & etiam ſui prędeceſſoris; habet enim auctoritatem parem cum ipſo; omneſque leges prędeceſſorum ſub plena ſucceſſoris diſpoſitione ſunt: ergo poteſt optime Epiſcopus abrogare legem localem ieiunij, ſi lata ſit ab ipſo Epiſcopo, aut ab eius prędeceſſore. Quoad ſecundã vero partem, ſcilicet, quando ieiunium pręcipitur à lege Cõcilij *Prouincialis* certum eſt Epiſcopum nõ poſſe abrogare dictam legem localem ieiunij, licet poſſit cum vno, vel alio iuſta exiſtente cauſa in dicta lege diſpenſare. Et ratio huius eſt, quia eo ipſo quod Epiſcopus legem Concilij *Prouincialis* abrogaret, ſuperioritatem ſupra ipſum *Concilium* exercet, tollendo ſtatutum ab ipſo Concilio factum, quod certum eſt ab ipſo Epiſcopo *fieri* non poſſe. Nam Concilium eſt ſupra Epiſcopum, & maiorem iuriſdictionem habet; ſiquidem extenditur per totam *Prouinciam*, & etiam ſupra quemlibet ſeorſim ex illis Epiſcopis; atqui vt ſup. diximus inferior non poteſt ſupra ſuperiorem iuriſdictionẽ exercere: ergo Epiſcopus non poteſt abrogare ieiunium locale, quando pręcipitur à legę Concilij *Prouincialis*. Quoad tertiam vero partem dubij ſcilicet quando lex de ieiunio eſt tantum Synodalis facta à Synodo Diœceſana tantum, poterit Epiſcopus dictam legem ieiunij abrogare, propria auctoritate abſque conſenſu, & conſilio iudicum *Synodalium*; cuius ratio eſt quia *in Synodo* Dioceſana, Clerici, & Parochi congregati Epiſcopis ſunt ſubditi, ibique aſſiſtunt, vt conſultores, nec habent votum deciſiuum: ergo tota auctoritas, & iuriſdictio eſt pęnes Epiſcopũ; ideoque lex vigorem à ſola Epiſcopi poteſtate habet; atqui qui legi dat vigorem, poteſt eã tollere per abrogationem: ergo Episcopus potest abrogare legem localem ieiunij factam à Synodo Diœceſana.

RE-

RESOLVTIO VIGESIMA SECVNDA.

Vtrum Parochus petente Epiſcopo poſſit in ieiunio cum aliquibus iuſta de cauſa diſpenſare?

241 CErtum eſt apud omnes DD. (vno excepto Angelo verbo ieiunium num. 20. quod lex debet eſſe rationabilis, & prouida, hoc eſt prouidere debet fidelibus, & remediũ eis preſtare pro omnibus indigentijs, occurrentibus ipſis; atqui non eſſet prouida, niſi adeſſet aliquis inferior Prælatus, qui in abſentia ſuperioris occurrente neceſſitate poſſet in ieiunio diſpenſare, precipuè cum vt in plurimum huiuſmodi neceſſitas improuiſa ſit: ergo ſaltem in abſentia Epiſcopi, & eius Vicarij Generalis poterit Parochus, cum aliquibus in lege ieiunij diſpenſare iuſta, & legitima exiſtente cauſa.

242 Quare tota difficultas eſt, an præſente Epiſcopo, aut eius Generali Vicario poſſit Parochus iuſta, & legitima exiſtente cauſa cum aliquibus in lege ieiunij diſpenſare. Sententiam negatiuam ſubſtinent. Graffis part.1.deciſion.lib.2. capit. 37. num.17. Gabriel. in 4. diſtin.16. queſt.3. art.1. notat. 5. Rodriq. part.1. ſummæ cap. 24. num. 4. Angleſ. in florib. queſt.5. de ieiunio diff.4 in fine. Ledeſma 2. part. ſummæ tract.27. capit. 2. dub.3. poſt.5. concl. verſu. Aeſta difficultad digo lo primero. Vega 1. parte ſummæ cap. 14. caſu 36. Fernandez 2. parte ſũme precept. 2. Eccl. cap.8. §. 2. Fagundez in precept. Eccleſie precep.4. lib.1. cap.9. num.2. vbi ſic ait. Vnde prior ſententia tantum locum habebit, quando Epiſcopus facile adiri poſſit, vt docet Azor. tom.1. inſtit. mor. lib.7. cap.18. alias 29. quæſt.3. ſi enim facile adiri poteſt, non poteſt Parochus tuto in hac re diſpenſare, & hoc eſt, inquit Azor, quod vſu, & conſuetudine receptum, vt Parochus diſpenſet, quando Epiſcopus adiri facile non poteſt. ita ille. Quare non fideliter pro contraria ſententia Fagundez citatur à Paſqualigo in praxi de ieiunio deciſ.387. num.3. Nauarrus cap.21. numer.21. manual. ideoque immerito Zacharias Paſqualigus Nauarrum citat pro contraria ſententia. Fundamentum huius ſententie eſſe poteſt, quia ſi Parochi preſente Epiſcopo poſſent cum aliquibus iuſta, & legitima exiſtẽte cauſa in lege ieiunij diſpenſare, vel hoc haberent à iure, vel à conſuetudine introducta; atqui nec à iure, neque ex conſuetudine talem habent poteſtatem: ergo non poſſunt Parochi preſente Epiſcopo cum aliquibus in lege ieiunij diſpẽſare iuſta, & legitima exiſtente cauſa. Maior eſt certa, & minor quoad primam partem cõſtat; nam nullum eſt ius concedens Parochis facultatem diſpensãdi in lege ieiunij, etiam ex iuſta cauſa petente Epiſcopo, qui poteſt in ea diſpenſare ex voluntate interpretatiua ſummi Pontificis. Secunda vero pars dicte minoris probatur, quia ſolum eſt conſuetudine introductum vt Parochi poſſint ex iuſta cauſa cum aliquibus in ieiunio diſpenſare, quando nõ eſt facilis aditio ad Epiſcopum; atqui quando Epiſcopus eſt preſens poteſt facile adire Epiſcopum:

Digitized by Google

ſcopi : ergo Parochi pręſente Epiſcopo non poſſunt ratione conſuetudinis cum aliquibus in lege ieiunij diſpenſare iuſta, & legitima exiſtente cauſa.

243 Secunda, & probabilior ſententia affirmat poſſe Parochos iuſta, & legitima exiſtente cauſa cum aliquibus in lege ieiuuij diſpenſare etiam pręſente Epiſcopo. Ita Diu. Thom. in 4. diſt. 15 quęſt. 3. art. 2. quęſtiuncul. 4. ad 3. Riccard. in 4. quęſt. 4. Palatius in 4. diſput. 8. poſt. 4. concluſ. §. pręſente igitur Epiſcopo (licet poſtea contrarium docuerit dict. diſput. 8. in fine) Caietanus 1. 2. quęſt. 97. art. 4. & 2. 2. quęſt. 147. articul. 3. & art. 4. §. ad hoc dicitur. (non. quęſt. 47. art. 3. dub. 1. vt inuenies citatum apud Paſqualigum dict. deciſ. 387. num. 3.) Silueſt. verbo ieiunium quęſt. 7. art. 4. Roſſella nu. 16. Sotus lib. 1. de iuſt. & iure quęſt. 7. artic. vlt. circa finem. Viuald. in appendice ad Gandelabr. cap. 15. numer. 57. Valent. tom. 3. diſput. 9. quęſt. 2. punct. 2. in fine Suarez lib. 6. de legib. cap. 14. in fine. Thomas Sanch. lib. 8. de matr. diſput. 9. num. 27. & tom. 2. conſiliorum moral. lib. 5. cap. 1. dub. 5. num. 18. Molfeſius 1. part. tractat. 10. cap. 4. num. 52. Ioannes Sanch. in ſelect. diſp. 54. num. 36. Bonacina diſput. vlt. de pręcept. Eccleſ. quęſt. 1. punct. vlt. num. 18. Trullench. lib. 3. in Decalog. cap. 2. dub. 7. nu. 18. Villalobos 1. part. ſummæ tract. 23. diff. 4. num. 21. Ortiz in ſumma cap. 19. pręcept. 2. num. 16. Azorius tom. 1. inſt. moral. lib. 7. cap. 18. (alias 29. verſu ſed dubię: vbi ſic ait. Sed dubię eſt quęſtionis an id iuris habet Parochus pręſente Epiſcopo, ad quem facilis aditus patet? Caietanus, & Nauarr. aiunt habere abſente Epiſcopo. Sed quidam alij cōtendunt habere pręſente etiam Epiſcopo. Certè iure communi talem poteſtatem non habere Parochos, at vſu videtur eſſe receptum, vt id poſſit concedere, quia in hoc euentu, non ad Epiſcopum, ſed ad Parochũ ſolent homines ire. Hæc Azorius. (Quare male cũ citat pro contraria ſententia Fagundez loco ſuperius citato; cum aperte contrarium doceat, vt vidimus in eius verbis) Paſqualigus in praxi de ieiunio deciſio. 387. ſuperius citata nu. 3. vbi plures alios DD. pro hac ſententia citat Pater Leander à ſanctiſſimo Sacramento patt. 3. tract. 5. de obſeruatione Ieiuniorum diſp. 10. quęſt. 11.

244 Probatur noſtra ſententia; quia cōſuetudo, & pręſcriptio dat iuriſdictionem ijs, qui ſunt capaces ipſius; atqui conſuetudine eſt introductum, vt parochi poſſint in lege ieiunij cũ aliquibus diſpenſare iuſta, & legitima exiſtente cauſa, etiam pręſente Epiſcopo; ergo licet Parochi iure communi non habeant iuriſdictionem diſpensãdi in lege ieiunij iuſta exiſtente cauſa pręſente Epiſcopo; benè tamen illam habent ratione conſuetudinis introductę, & conſequenter poterunt etiam præſente Epiſcopo cum aliquibus iuſta, & legitima exiſtente cauſa in lege ieiunij diſpenſare. Conſequentia euidenter ſequitur ex pręmiſſis. Maior autem colligitur ex cap. cum contingat de foro competenti, ibi cũ contingat interdum, & infra. Inſuper poſtulaſti, an cum aliqui Clerici deputati ſeruitio Capituli Beluacenſis, aut aliorum Clericorum tuæ Diœceſis

ſuper

ſuper exceſſibus impetūtur, ſint cogendi coram te, vel potius corā illis, quibus ſeruiunt quærelantibus reſpondere, cum illi ſibi iuriſdictionem huiuſmodi vendicare contendant, licet illos excomunicare non valeat, vel etiam coercere. Super quo taliter reſpōdemus, quod ad te (vtpotè ordinarium) de talibus debet conquerentes habere recurſum, maximè ſi ſuper his impetuntur, quæ in tua noſcūtur Diœceſi commiſiſſe, niſi forte hi, quibus delinquentes ipſi deſeruiunt ex indulgentia, vel conſuetudine ſpeciali iuriſdictionem huiuſmodi valeant ſibi vēdicare. Vbi gloſſ. verb. vel cōſuetudine, ſic ait, quia conſuetudo dat iuriſdictionem. Et ex cap. irrefragabili de officio Iudicis ordinarij §. exceſſus, ibi. exceſſus tamen canonicorum Cathedralis Eccleſiæ, qui conſueuerunt corrigi per Capitulum, per ipſum in illis Eccleſijs (quę talem hactenus conſuetudinem habuerunt) ad commonitionem, vel iuſſionē Epiſcopi corrigantur infra terminum competentem ab eo pręfigendum, alioquin ex tunc Epiſcopus Deum habens pręoculis ipſos, vt animarum cura requirit, per cenſuram Eccleſiaſticam corrigere non poſtponat. Et ex cap. quoniam cap. conquerente eod. titul. de officio Iudicis ordinarij. Et docent Gouarr. in regimine profeſſoris part. 2. §. 3. Molina tom. 1. de iuſt. & iure tract. 2. diſp. 75. Facchineus lib. 8. controuerſ. cap. 23. Balb. de præſcript. part. 5. princip. 2. quæſt. 3. Bald. in l. Imper. n. 10. ff. de iuriſd. om. iud. & alij in l. more. l. Imperius l. & quia ff de iuriſd. om. iud. & in ſupradict. cap. quoniā, & cap. conquerente, & cap. cum ab Eccleſiar. de officio iud. ordin. & in cap. cū cōtingat de foro cōpet. Minor vero vſu recepta eſt, vt teſtātur DD. pro noſtra ſententia citati, quia qui egent diſpenſatione ad non ieiunādū iuſta, & legitima exiſtēte cauſa circa hoc non Epiſcopū, ſed ſolum Parochum adire ſolent, etiamſi Epiſcopus pręſens ſit, quia licet adſit pręſentia Epiſcopi, non tamen acceſſus ad ipſum, ſeu eius Vicariū, eſt ita facilis præſertim hominibus infime cōditionis, & extra Ciuitatem degentibus, vt quando opus haberi poſſit. Imo ſi eſſet recurrendum ſemper ad Epiſcopum, nimis ſane onerosū eſſet, & pro Epiſcopo, qui difficile in his minimis rebus occupari poteſt; & pro ipſis indigētibus; nam aut ipſi recurrere nō poſſunt, aut quos mittant, non habent, aut nimirum temporis in hoc conſumerent cum ipſorum diſpendio: ergo valde rationabiliter introductum eſt vt Parochi diſpenſent.

245 Ad fundamētum oppoſitæ ſententiæ reſpondetur concedendo maiorē, & negando minorē, quoad ſecundā partē, nā licet Parochi iure communi, & ordinario non habeant facultatē diſpenſandi cū aliquibus in lege ieiunij iuſta, & legitima exiſtēte cauſa pręſente Epiſcopo, tamen illo pręſente pręditā facultatem habent ratione conſuetudinis legitime introductę, vt ex ſupradictis in probatione noſtrę ſententię ſatis conſtat. Ideoq; conſuetudo pręddicta illis iuriſdiitonē cōfert, vt poſſint pręſēte Epiſcopo cū aliquibus iuſta, & legitima exiſtēte cauſa in lege ieiunij diſpēſare.

246 Sed petes an nō ſolū Parochi, ſed etiā eorū vicesgerentes

ſeu Vicarij poſſint cum aliquibus iuſta, & legitima exiſtente cauſa in lege ieiunij diſpenſare? Affirmatiue reſpondeo cũ Ioanne Sanch. in ſelect. de Sacram. diſp.54.nu.36. Thom.Sanchez tom.2.conſil.moral.lib.5.cap.1 dub.5.nu.18. Zacharia Paſqualigo in praxi de ieiunio deciſ. 387.num. 6. & Patre Leandro à ſanctiſſimo Sacramento part.3. tract.5.de obſeru.ieiun.diſp.10 quæſt. 12. quod intelligendum eſt, niſi id ab ipſis parochis prohibeatur. Et ratio eſt clara, quia vices gerentes, ſeu Vicarij Parochorum iuriſdictionales actus parochiales exercent: ergo tenent etiam facultatem diſpẽſandi in ieiunio iuſta, & legitima exiſtente cauſa cum aliquibus ex ſuis parochianis.

RESOLVTIO VIGESIMA TERTIA.

Vtrum Prælati Regulares habeãt facultatem, & auctoritatem diſpenſandi cum ſuis ſubditis iuſta, & legitima exiſtente cauſa in lege ieiunij?

247 IN hac reſolutione nomine Superiorum Regularium non ſolum intelligimus de Generalibus, & Prouincialibus, ſed etiam de Superioribus localibus, ſeu ordinarijs prælatis; & non ſolum loquimur in hac reſolutione de ieiunijs Eccleſiæ, ſed etiam de ieiunijs regulæ, aut Conſtitutionis dictorum Regularium. Et ſiue conſtitutiones ſint confirmatæ à ſummo Pontifice, ſiue ſolum ſint conſtitutiones factæ à Capitulo Generali dictorum Regularium. Quo ſuppoſito.

248 Ad quęſitum Reſolutionis reſpondetur poſſe Pręlatos Regulares iuſta, & legitima exiſtente cauſa cum ſuis ſubditis in ieiunijs, tam Eccleſiæ, quam Regulæ, & Conſtitutionis licitè, & validè diſpenſare. Ita Caietanus 2.2.quæſt. 147. artic. 4. §. adhoc dicitur vbi ſic ait. Ad hoc dicitur quod diſpenſare in ieiunio contingit dupliciter. vno modo abſolute, tollendo, vel commutando vinculum legis, quoad hanc perſonam, & hoc ſpectat ad Papam, qui ſolus eſt ſuper vniuerſalia iura pontiua, & hoc eſt quod teſtatur conſuetudo populi Chriſtiani, alio modo in hoc particulari caſu, & hoc ſpectat ad Epiſcopos, & etiam ad presbyteros curatos, & vniuerſaliter ad Prælatos reſpectu ſuorum ſubditorum propter rationem ſupradictam, atteſtante hoc Auctore in 4. ſententiar. diſt. 15. dicente expreſſe quęſt. 3. artic.2. ad vltimum de laborantibus, quod poſſunt ſecundum diſpenſationem Sacerdotis ſui ieiunium ſoluere. Ex quibus verbis patet, quod non de ſolo Papa loquimur, quoniam locorum conſuetudines non pręſumitur Papam ſcire, ſicut nec ſtatuta municipalia ita illę. Quod etiam affirmat D.Thom. non ſolum in 4.diſt.15.quæſt.3 art.2.quæſtiunc.4.ad 3.ſed etiã 2.2.quæſt.147.art.4.ad 3.vbi ſic ait. Ad 3.dicẽdũ quod circa peregrinos, & operarios diſtinguendũ videtur, quia ſi peregrinatio, & operis labor cõmode differri poſſit, aut diminui abſq; detrimento corporalis ſalutis, & exterioris ſtatus, qui requiritur ad cõſeruationẽ corporalis vel ſpiritualis vitę nõ ſũt propter hoc Eccleſię ieiunia prętermittẽda. Si aũt immineat neceſſitas ſtatim peregrinãdi, & magnas dietas faciẽdi, vel etiã multũ laborãdi, vel ꝓpter cõuerſationem

nẽ vitę corporalis, vel propter aliquid neceſſariũ, ad vitã ſpiritualẽ, & ſimul cũ hoc nõ poſſint Eccleſiæ ieiunia obſeruari, non obligatur homo ad ieiunandum, quia non videtur fuiſſe intentio Eccleſiæ ſtatuentis ieiunia, vt per hoc impediret alias pias, & magis neceſſarias cauſas; videtur tamen in talibus recurrendum eſſe ad Superioris diſpenſationem, niſi forte vbi eſt ita conſuetum, quia ex hoc ipſo quod Prælati diſſimulant, videntur annuere. hęc Diuus Thomas. Silueſter verb. ieiunium quæſt.7.num. 20. circa finem. Medina lib.1.ſummæ cap. 14. §. 10. Nauarrus in manuali cap. 21. num. 21. Palatius in 4.diſt.15.diſp.8.poſt.4. cõcl. verſu præſente igitur Epiſcopo. Mirand. in manual. regul. tom.2.quæſt.30 art.11.concl.2. Fagundez in præcept. Eccleſiæ præcep.4.lib.1.cap.9.nu. 5. vbi ſic ait. Religioſi etiam ſolui, ac diſpenſari poſſunt in ieiunijs auctoritate Summi Pontificis, & Eccleſiæ in dictis, per ſuos Prouinciales, aut alios ſuperiores iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes, nec ſolum per iſtos, ſed etiam per Priores Præpoſitos, Abbates, Rectores, & alios, qui ſunt Superiores locales, & toti Collegio, Monaſterio, aut Conuentui præſunt. Molfeſius in ſũma part.1.tract. 10.cap.4. num.52. Thom. Sanchez tom.2.conſ.mor.lib.5.cap 1.dub.5.num.19. Trullench lib. 3.in Decalog.cap.2. dub. 7. nu. 18.in fine. Regin. in praxi fori pęnitent.lib.4.num. 225. Tambur. de iure Abb.tom.2.diſput. 12.quęſt.5 .num.1. P. Magiſter Franciſcus Bordonus in conſil. Regul. Reſol.18. num. 7. Pater Magiſter Ioannes Paptiſta Lezana in ſumma Regular.part.3. verbo ieiunium nu.10. Zachar. Paſqual. in praxi de ieiunio deciſ.388. P. Leãder à ſanctiſſimo Sacramento part.3.tractat.5.de obſeruat. ieiuniorum diſpu. 10. quęſt.13. & 15.

249 Probatur manifeſte noſtra ſententia, quia omnes Prælati Regulares tam ſuperiores, quã inferiores, ſeu locales habent iuriſdictionem ordinariam in ſuos ſubditos: ergo habent facultatem cum illis diſpenſandi iuſta, & legitima cauſa exiſtente in lege ieiunij, tam Eccleſiaſtici, quam Regulæ, aut conſtitutionis; probatur Conſequentia, quia eo ipſo quod habent iuriſdictionem ordinariam in ſuos ſubditos habent etiam iuriſdictionem ſpirituelem circa ipſos, & ad prædictos Prælatos ſpectat eos dirigere in ijs, quæ ſpectant ad animam: ergo habere debent ſufficientem facultatem pro munere proprio; atqui hoc non ſaluaretur, niſi poſſent diſpẽſare cum ſuis ſubditis iuſta, & legitima cauſa exiſtente in lege cuiuſcumque ieiunij, ſiue Eccleſiæ, ſiue Regulæ, aut Conſtitutionis, tam ordinis, quam Capituli Generalis eiuſdem ordinis: ergo habenr prælati Regulares prædictam facultatem diſpẽſandi cũ ſuis ſubditis in lege ieiunij iuſta & legitima exiſtente cauſa. Minor ſubſumpta probatur. Nam ſi Prælati Regulares prędictam facultatem non haberent non poſſent in neceſſarijs ſuis ſubditis prouidere: ergo illis neceſſario concedenda eſt prędicta facultas, & conſequenter auctoritas diſpenſandi cum ſuis ſubditis in lege ieiunij ex iuſta, & legitima cauſa.

250 Ex dictis infertur, quod ſi

Prælati Regulares, tam Superiores, quam inferiores cum ſuis ſubditis, aut aliquo ex illis diſpenſarent in lege ieiunij, ſiue Eccleſiaſtici, ſiue Regulæ, aut Conſtitutionis, tam ordinis, quam Capituli Generalis eiuſdem ordinis abſque iuſta, & legitima cauſa exiſtente; diſpenſatio eſſet nulla, quia lex de ieiunio ſiue Eccleſiaſtico, ſiue Regulæ, ſiue Conſtitutionis tã Religionis, quam factæ à Capitulo Generali Religionis, eſt lex ſuperioris; atqui prælati inferiores non poſſunt diſpenſare, nec licite, nec valide in legibus ſuperiorum nulla legitima exiſtente cauſa: ergo ſi prælati Regulares in dicta lege ieiunij diſpenſarent abſque legitima cauſa, talis diſpenſatio eſſet inualida, & nulla. Imo prædicti Prælati Regulares mortaliter peccarent, nam prædicta diſpẽſatio non ſolum eſſet inualida, ſed etiam illicita, & cum agatur de materia graui, non poſſunt nõ mortaliter peccare. ſi diſpẽſando in ieiunio eccleſiaſtico, aut regulæ ſi obſeruatio regulæ obliget ad mortale.

251 Sed petes an Vicarij ſuperiorum localium habeant facultatem diſpenſandi in lege ieiunij, cum Religioſis Conuentualibus ſui Conuentus, aut cum aliquo ex illis iuſta, & legitima exiſtente cauſa? Reſpondeo illã habere in abſentia Superiorum localiũ. Ita Azor. tom. 1. Inſtit. mor. lib. 7. capit. 18. (alias 29.) (non. cap. 28. aliàs 29. vt inuenies citatũ apud Leãdrũ à ſanctiſ. Sacram. vbi ſupr. quæſt. 15.) verſu. At vero vice rectores. Bordonus loco ſuperius citato Villalob. in ſumma tractat. 23. diff. 4. num. 23. Paſqualigus dict. deciſ. 388. nu. 4. quia Vicerectores, ſeu Vicarij ſuperiorum localium in abſentia dictorum prælatorum, habent vices, & voces ipſorum prælatorum, & auctoritatem, & regimen in ordine ad ſuos ſubditos: ergo in eorum abſentia poſſunt cum Religioſis Conuentualibus, aut cum aliquo ex ipſis iuſta, & legitima exiſtente cauſa valide, & licite in lege ieiunij diſpenſare; ſiue lex ieiunij in dicta ſit ab Eccleſia, ſiue à Regula, aut conſtitutione, tam ordinis, quam Capituli Generalis eiuſdem ordinis facta.

RESOLVTIO VIGESIMAQVARTA?

Vtrum Prælati Regulares teneantur diſpenſare in ieiunio toties quoties ex rationabili cauſa ſubditus petit in illo diſpẽſationẽ?

252 Prima ſententia abſolute affirmat Prælatos Regulares teneri diſpenſare cum ſubdito ſuo in lege ieiunij toties, quoties, ex iuſta, & legitima exiſtente cauſa ſubditus illi prædictam diſpenſationem petierit, itaut aliàs contrarium facientes negando dictam diſpenſationem, mortaliter peccabunt. Ita Rebuff. in reper. cap. poſtulaſtis not. 3. num. 12. Silueſter verbo diſpenſatio. quæſt 1. in fine Roſella ibidem num. 4 Emmanuel Sà. ibid. numer. 2. Armilla num. 14. Ioannes Sancius in ſelect. diſp. 43. num. 8. §. præterea, & alij relati à Thom. Sanchez lib. 3. de matr. diſp. 10. num. 2. quam ſententiam ipſe reputat probabilem, & etiam vere probabilem eam appellat Caſtropalaus part. 1. oper. mor. tract. 3. de diſpenſat. leg. diſp. 6. punct. 8. §. 2. nu. 8.

253 Probatur 1. hæc ſententia ex

ex cap. Domino ſancto. dict. 50. ibi vt neceſſe ſit illos reſtaurari in loco honoris, qui per pœnitentiam reconciliationem recepiſſe merentur; & cap. quanto in fine. 2. quęſt. 4. ibi, quia ſicut in contumacia perſiſtentibus ſeueros non eſſe cõuenit; ſic humiliatis, & pœnitentibus locum veniç negare non debemus: ergo quando adeſt iuſta cauſa, tenetur ordinarius diſpenſare.

254 Secundo ratione probatur hæc ſententia, quia poteſtas diſpenſandi Prælatis eſt commiſſa in bonum Reipublicę, & ſubditorum: ergo ſi cauſa iuſta adeſt exercendi hanc poteſtatē videtur Prçlatum teneri illam exercere; aliàs contra debitū ſui muneris faceret. Confirmatur, quia Prçlatus ex iuſtitia diſtributiua tenetur in diſtributione obligationum communium, & exemptione illarum procedere: ergo tenetur merita perſonarum attendere: ergo ſi exiſtentibus meritis alicuius, vt eximatur ab onere, & obligatione communi, illum non eximat, male diſtribuit. Quod ſi negata vni exemptione, alteri ęqualia merita habenti exemptionem concedat, iam videtur perſonarū acceptor: ergo peccat mortaliter attenta grauitate materiæ.

255 Secunda, & probabilior ſētentia affirmat non ſemper teneri Prçlatos diſpenſare ex iuſta, & legitima cauſa toties, quoties prędicta rationabilis cauſa adeſt, ſed ſolum teneri quando ſine graui prçiuditio boni communis, aut particularis iuſta, & exiſtente legitima cauſa diſpenſationem denegat ſubdito illam petenti, ſi toties quoties eam petit, adſit quod illam denegare, cedat in prçiuditium boni communis, aut particularis; tunc enim Prçlatus dictam diſpenſationem denegans, peccat mortaliter. Ita Abbas in cap. Conſilium nu. 4. de obſeruat. ieiunior. Archidiac in cap. licet num. 6. verbo gratiam de Elect. in 6. & in capite vt cōſtitueretur diſt. 50. Decius in cap. At ſi Clerici nu. 163. de iudicijs. Felin. ibidem num. 15. Dominic. in cap. licet. de elect. in 6. §. ſuper reſidentia num. 3. Franch. ibid. §. his etiam nu. 2. verſu ſecundo infertur, & ex Theologis P. Thom. Sanchez lib. 3. de matr. diſput. 10. num. 3. Suarez lib. 6. de legibus cap. 18. num. 22. Salas de legib. diſp. 20. ſect. 7. num. 7. Baſilius Pontius Legionenſis lib. 8. de matr. cap. 14. num. 6. Caſtropalaus part. 1. oper. mor. tract. 3. de diſpenſat. legis diſput. 6. punct. 8. §. 2. nu. 9. Zacharias Paſqualigus in praxi de ieiunio deciſ. 397. num. 2. P. Leander à ſanctiſſimo Sacramento part. 3. tract. 5. de obſeruatione ieiuniorum diſput. 10. quęſt. 24.

256 Prima pars noſtrę ſententię, ſcilicet, quod Prçlati non teneantur ſemper concedere ſubditis diſpenſationem, hoc eſt toties, quoties eam iuſta, & legitima, exiſtente cauſa à Prçlatis impetrauerint. Probatur 1. ex cap. licet de elect. & electi poteſt. in 6. ibi ſuper reſidentia vero (vt prçmittitur) facienda poſſit ordinarius gratiam diſpenſationis ad tempus facere prout cauſa rationabilis expoſcit. Et ex capit. Didici 1. quęſt. 7. ibi vt autem non extimetur amare contentionem; amplectamur Epiſcopi Reuerendiſſimi Ioannis communionem indulgentes ei, & cauſa

diſ-

diſpenſationis eius negotium non ſubtilius, vel diſtrictius, ſiue vehementius erga ſe recognoſcat agitari. Diſpenſationis enim gratia ſicut dixi, eget negotium multum. Et ex cap. poſtulaſtis de excomm. Clericor. vel Depoſit. ibi Conſultationi veſtræ reſpondemus, quod cũ excommunicatis canonicæ nõ debeat, Clericis excommunicationis vinculo innodatis, Eccleſiaſtica beneficia, cõferri non poſſunt, nec illi valent, ea licitè retinere, niſi forſitan cũ eis fuerit, miſericorditer diſpẽſatum, cum ea non fuerint canonice conſequuti: ergo diſpenſatio non ſemper eſt debita ſed aliquando ex gratia voluntaria, quę poteſt concedi à Superiore, & non concedi, etiam legitima exiſtente cauſa.

257 Secundo ratione probatur eadem pars, quia ſi Prętatus teneretur cum ſubditis diſpenſare in lege ieiunij toties, quoties ex iuſta, & legitima, exiſtente cauſa diſpenſationem petunt, vel talis obligatio proueniret ex aliquo pręcepto poſitiuo, vel naturali; atqui nullum datur pręceptum poſitiuum, aut naturale obligans prętatis ad faciendam prędictam diſpenſationem toties, quoties ex iuſta & legitima cauſa eis fuerit demandata: ergo non tenentur Prętati neceſſario toties, quoties eam facere. Probatur minor, quia ex pręcepto poſitiuo non ſemper debita eſt, nam vel diſpenſatio concedenda eſt à ſupremo Legislatore, & tunc certum ex pręcepto poſitiuo deberi non poſſe, cum nullis legibus poſitiuis humanis, arctetur ſupremus legislator. Vel ab inferiore concedenda eſt; & ſi hoc eſt ita, ſępe committitur eius voluntati diſpenſatio, vt in cap. At ſi Clerici §. de Adulterijs. De iudicijs: ergo nulla lex poſitiua datur, quę obliget ſuperioribus ad neceſſario faciendam, toties quoties pręłictam diſpenſationem. Ex lege autem naturali non tenetur ſemper dictam diſpenſationem facere: ergo nulla datur lex naturalis, aut poſitiua obligans ſuperioribus ad toties quoties neceſſario prędictam diſpenſationem faciendam. Deinde quia eſto Princeps teneatur ex ſuo munere diſpenſationem concedere, ſi vrgens cauſa boni cõmunis, aut alicuius particularis intercedat; atqui ſępe non ita vrget, quin etiam vrgeat fere ęqualiter cauſa negandę diſpẽſationẽ: ergo in tali caſu poterit concedere diſpenſationem, & illam denegare, ſicuti contingit in ferenda lege. Nam nõ ſemper Princeps cum legem fert, obligatur illam ferre; poterat enim alia via bono communi proſpicere; alias quicquid poſſet facere, ex neceſſitate faceret contra legem quicquid 40. ff. de iudicijs vbi non quicquid poteſtati Iudicis permittitur id neceſſitati iuris ſubijcitur, vt notat gloſſa in cap. conſuluit verbo gratiam de offic. Delegati. *Præ*terea quia poteſt probabile eſſe, adeſſe cauſam diſpenſationis, & non adeſſe: ergo in hoc caſu non tenetur diſpenſare ſuperior, & ſi poſſit; quia ſequi poteſt opinionem probabilem.

258 Secunda vero pars noſtrę ſententię, ſcilicet, aliquando Prętatum teneri diſpenſationẽ concedere, probatur 1. ex cap. Domino ſancto diſt. 50. per illa verba ſuperius notata in fundamento primę ſententię, ſcilicet

vt neceſſe ſit illos reſtituere in loco honoris, qui per pęnitentiam reconciliationem recepiſſe merentur &c. & ex capite quanto in fine 2. quæſt. 4 & ex Concilio Tridentino ſeſſ. 24. cap. 1. vbi poſtquam Concilium Tridentinum præcipit, vt in poſterum antequam matrimonia contrahãtur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus feſtiuis in Eccleſia inter miſſarum ſollemnia publice denũtietur, inter quos matrimonium ſit contrahendum, quibus denunciationibus factis, ſi nullum legitimum opponatur impedimentum ad celebrationem matrimonij in facie Eccleſiæ procedatur &c. poſtea proſequitur paucis interpoſitis. Quod ſi aliquando probabilis fuerit ſuſpicio, matrimonium malitioſè impediri poſſe, ſi tot pręceſſerint denunciationes: tunc vel vna tantum denunciatio fiat, vel ſaltem Parocho, & duobus, vel tribus teſtibus pręſentibus matrimonium celebretur: Deinde ante illius conſumationem denunciationes in Eccleſia fiant; vt ſi aliqua ſubſunt impedimenta facilius detegantur; niſi ordinarius ipſe expedire iudicauerit, vt prędictę denunciationes remittantur, quod illius prudẽtiæ, & iudicio ſancta Synodus relinquit. Hucuſque Conciliũ Tridentinum; quod iudicium, & prudentia ad eximendam ſuſpicionem videtur expoſtulari, non ad negandam, vel cõcedendam diſpenſationem cognita ſuſpicione malitioſi impedimenti. Idem etiam colligitur ex eodem Concilio Tridẽtino ſeſſ. 14. de reform. capit. 7. ibi loquens Concilium de irregularitate orta ex homicidio ſic inquit. Cum etiam qui per induſtriam occiderit proximũ ſuum, & per inſidias ab altari auelli debeat, qui ſua voluntate homicidium perpetrauerit, etiam ſi crimen id, nec ordine iudiciario probatum, nec alia ratione publicum, ſed occultũ fuerit, nullo tempore ad ſacros ordines promoueri poſſit, nec illi aliqua Eccleſiaſtica beneficia etiamſi curam non habeant animarum, conferri liceat, ſed omni ordine, ac beneficio, & officio Eccleſiaſtico perpetuo careat: ſi vero homicidium nõ ex propoſito, ſed caſu, vel vim vi repellendo, vt quis ſe à morte defenderet, fuiſſe commiſſũ narretur; quam ob cauſam etiã ad ſacrorum ordinum, & Altaris miniſterium, & beneficia quæcumque, ac dignitates iure quodammodo diſpenſatio debeatur; committatur loci ordinario, aut ex cauſa Metropolitano ſeu viciniori Epiſcopo, qui non niſi cauſa cognita, & probatis pręcibus, ac narratis, nec aliter diſpenſare poſſit. Ex quibus verbis patet Concilium affirmare dictam diſpenſationem occidente in defenſionem propriam excedente tamen moderamen inculpatę tutelę, quodamodo ei deberi: ergo aperte conſtat quod in aliquo caſu iuſta, & legitima exiſtente cauſa Pręlatus non ſolũ poteſt, ſed tenetur diſpenſare.

259 Secundo eadem pars ratione generali probatur, quia quando ex negatione diſpenſationis iuſta, & legitima exiſtẽte cauſa poteſt ſequi pręiudicium graue communitati, aut ſubiecto particulari illam petẽti, tenetur Pręlatus dictam diſpenſationem concedere: ergo dabilis eſt caſus in quo Pręlatus non

non ſolum poſſit toties, quoties diſpenſationem concedere iuſta, & legitima exiſtente cauſa, ſed etiam teneatur illam concedere; & cum agatur de materia graui, ſcilicet de damno graui communitatis, aut perſonę priuatę peccabit mortaliter Pręlatus dictam diſpēſationem denegando, aliàs non adimpleret munus officij ſui, ad quod tenetur.

260 Sed deſcendendo in particulari de diſpenſatione in ieiunio dubium mihi non eſt, quod tūc ſit debita diſpenſatio, quando cauſa eſt ita certa, vt de ſe ſoluat obligationem ieiunandi; & ratio eſt clara, quia in tali caſu lex deſinit obligare: ergo ſi negetur diſpenſatio à Pręlato, in tali caſu, Pręlatus denegaret id quod lex concedit: ergo denegaret aliquid iuſtū, & quod eſt debitum; & conſequenter iniuſtè denegaret. Probatur hęc vltima conſequentia, quia ſtante quod lex non obliget, qui petit diſpenſationem, habet ius ad exigendam à Superiori talem declarationem. Quam ſi neget, idem eſt, ac ſi velit ſaltē quoad forum externum ſubeſſe obligationi legis, cum non debeat ſubeſſe, quod eſt contra juſtitiam: ergo in tali caſu peccaret Pręlatus, ſiquidem denegaret denegando diſpenſationem, id quod lex concedit, iniuſtè ſuppoſita certitudine cauſę excuſantis, ſeu ſuppoſita iuſta, & legitima cauſa excuſante à lege ieiunij.

261 Ad primum fundamentum oppoſitę ſententię reſpōdetur omnes textus ibi allegatos, ſolum conuincere ſecundam partem noſtrę ſententię. Nos autē non negamus, quod eſt dabilis aliquis caſus in quo Pręlatus teneatur in ieiunio diſpenſare, toties quoties ſubditus id petierit iuſta, & legitima exiſtēte cauſa, vt probatum manet. In 2. parte noſtrę ſententię ſolum enim aſſerimus non teneri ſemper Pręlatum toties quoties cū ſubdito diſpenſare iuſta, & legitima exiſtente cauſa abſolutè & ſimpliciter loquendo; Et ità prędicti textus nō ſolum nobis non nocent, ſed potius ſunt in fauorem ſecundę partis noſtrę ſententię.

262 Ad ſecundum fundamentū dictę ſententię reſpondetur concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequens ergo ſi cauſa adeſt exercendi hanc poteſtatem, videtur pręlatum teneri illam exercere, quando ex eo quod pręlatus dictam poteſtatem non exerceat, ſequitur aliquod nocumentum graue bono communi, aut particulari perſonę petenti ex iuſta cauſa prędictam diſpenſationem concēdo conſequentiam; ſi autem prędictum nocumētum ex negatione prędictę diſpenſationis non ſequatur nego conſequentiam. Quare hoc fundamētum, ſicut, & primum prędictę ſententię ſolum probat ſecundam partem noſtrę ſententię; non autem conuincit, quod Pręlatus abſolute, & ſimpliciter teneatur iuſta, & legitima exiſtēte cauſa, toties quoties cum ſubditis, aut aliquo ex illis in lege ieiunij diſpenſare.

263 Ad confirmationem reſpōdetur concedendo antecedens, & primam conſequentiam, & diſtinguendo ſecundum conſequens: ergo ſi exiſtentibus meritis alicuius, vt eximatur ab onere, & obligatione communi, illum non eximit male diſtribuit, ſi ex non exemptione

facienda

facienda à Prelato, ſequatur aliquod nocumentum graue bono communi, aut perſonæ particulari concedo conſequentiā, ſi dictum nocumentum non ſequatur nego cōſequentiam. Et ſimiliter diſtinguo vltimū conſequens ergo peccat mortaliter attenta grauitate materiæ ſi ſequatur damnum bono cōmuni, aut bono particulari in materia graui concedo conſequentiam ſi non ſequatur nego conſequētiam. Quare ſi plures diſpenſationem petant ex iuſta, & legitima cauſa, & in omnibus negando illis diſpenſationem, nō ſequatur nocumentum graue bono communi, aut particulari, non peccabit Prælatus illam omnibus denegando, nec erit acceptor perſonarum, ſi enim aliquibus in hoc caſu concedat & non alijs nō erit tunc acceptor perſonarum in materia graui, ſed vtetur iure ſuo, quo iure poteſt eiſdem exiſtentibus legitimis cauſis diſpenſandi aliquibus illam concedere, & aliquibus denegare, quia non tenetur abſolutè illam concedere, ſicut probauimus fundamētis allegatis pro prima parte noſtræ ſententiæ. *Si* autem in illis pluribus ex negatione diſpenſationis in aliquibus ſequatur ex tali denegatione damnū, ſeu nocumentum graue bono communi, aut particulari, & nō in alijs tenebitur diſpenſare cū illis, quibus ex negatione diſpēſationis ſequeretur damnū graue, aut bono communi, aut particulari; non autem tenebitur diſpenſare cum alijs quibus ſi negetur diſpenſatio, nullū nocumentum graue, aut bono communi, aut particulari ſequeretur ex denegatione prædictæ diſpenſationis; nec propter hoc dicendus eſſet prælatus acceptor perſonarum, vt ex ſe manifeſtum eſt.

264 Notandum eſt tamen hic quod ſi adſit periculum violandi ieiunium, ſi diſpenſatio à prelato petatur; tunc prælatus tenetur diſpenſare ratione caritatis, quia tamquam ſuperior ſpiritualis ſubditos dirigere debet ad ſalutem ideoque non ſolum tenetur per congruentia media illos promouere, ſed etiam impedimenta remouere; atque adeo peccata impedire quantum poteſt, & ideo tollere occaſiones ruinę ſpiritualis ſubditorum tenetur. Vnde in caſu noſtro tenetur diſpenſare; ne pœnitens denegata diſpenſatione peccet violando ieiunium.

265 Sed inquires an ſtante rationabili cauſa diſpenſandi in ieiunio, poſſit diſpēſans imponere aliquod onus diſpenſato? Ad quam difficultatem cum diſtintione rèſpondendum eſſe iudico. Si diſpenſans eſt prælatus inferior, & adeſt rationabilis cauſa mouens illum ad diſpenſandum in lege ſuperioris, non poteſt imponere aliquod onus diſpenſato ita Sotus in 4. diſt. 28. quæſt. 1. art. 2. verſu ex his. Ludouic. Lopez 2. part. inſtruct conſcient. de matr. cap. 39. §. ſed ſi quis. Thom. Sanch. lib. 3. de matr. diſp. 10. nu. 9. & lib. 8. diſp. 14. A. nu. 2. Ioannes Sanch. in ſelect. diſp. 54. n. 40. quos citat, & ſequitur Caſtropalaus par. 1. oper. mor. tract. 3. de diſpēſ. leg. diſp. 6. punct. 9. nu. 4. Zacharias Paſqualig. in praxi de ieiun. deciſ. 398. num. 3. P. Leander à ſanctiſſimo Sacramēto par. 3. tract. 5. de obſer. ieiun. diſp. 10. qu. 28. Et ratio eſt quia poteſtas diſpēſandi extenditur ſolum ad re-

laxandam obligationem legis, non autem ad commutandam, aut nouam obligationem imponendã; atqui quãdo fit commutatio, imponitur noua obligatio nempè ad illud onus, quod imponitur pro eo, pro quo diſpẽſatur: ergo virtute poteſtatis diſpenſandi in ieiunio non poteſt imponi aliquod onus loco ieiunij. Nec valet ſi dicas quod diſpẽſatio cum ſit gratia, ac proinde non ſit debita, poterit prælatus diſpenſans in lege ieiunij imponere aliquod onus diſpenſato. Hoc, inquam, non valet quia neq; adhuc poteſt ab inferiori aggrauari aliquo onere; cum prælatus inferior non habeat facultatem aliam ſubſtituendi obligationem, ſed ſolum gratiam impertiendi ſi putat eſſe concedendam, vnde iuriſdictio coarctatur ad concedendam, aut non concedendam gratiam.

266 Sed obijcies Prælati inferiores ſæpe diſpenſant in obſeruatione ieiuniorum imponendo aliquod onus, & pecuniariam mulctam pauperibus, vel fabricis Eccleſiæ applicandam iuxta cap. licet de ferijs: ergo ſignum eſt à Legislatore ſupremo commiſſam illis eſſe poteſtatem hoc modo diſpenſandi. Reſpondeo cum Thom. Sanch. lib. 8. de matr. diſp. 14. nu. 2. & Caſtropalao loco ſup. cit. num. 5. hoc eſſe ſignum ſequi ſententiam probabilem ſibi fauentem, & iuriſdictionem extendentem, non tamen eſſe certum commiſſam illis eſſe talem poteſtatem, imo contrarium eſt probabilius, vt affirmat Suarez lib. 6. de leg. nu. 9. quia inferiori prelato ſolum committitur poteſtas relaxãdi legem cauſa iuſta intercedente non autem illi committitur poteſtas ſubrogãdi loco illius aliã, & in legibus, quę nõ imponunt onera ſubditis, ſed ad vitanda aliqua incõuenientia, vel ad ſeruandũ debitũ ordinẽ feruntur, vt affirmat Suarez loco citato Ideoq; (inquit Suarez) nõ poſſe mulctã pecuniariã imponere prælatum, quando diſpenſat in lege Superioris. Et hinc etiam infert idem Suarez pro remittendis denũciationibus ad matrimoniũ, interſtitijs ad ordines pro licentia ſuſcipiendi ordines ab alio Epiſcopo, nõ poſſe mulctam pecuniariã imponi, & fauet Concilium Trident. ſeſſ. 24. cap. 1. & ſeſſ. 25. capit. 18. & & ſeſſ. 21. cap. 1. de Reformatione.

267 Si autem diſpenſatio fiat à Legislatore in lege propria, tũc quando diſpenſatio non eſt debita, imponi poterit aliquod onus. Ita Suarez lib. 6. de leg. cap. 16. in principio. Thom. Sanch. lib. 3. de matr. diſp. 10. n. 9. quos citat, & ſequitur Caſtropalaus dict. punct. 9. ſuper. citato nu. 3. Zachar. Paſqualigus in praxi de ieiunio deciſ. 398. num. 7. Pater Leander à ſanctiſſ. Sacramento part. 3. tract. 5. diſp. 10. quæſt. 29 Et ratio eſt quia cum nõ teneatur relaxare obligationem legis & habeat liberam diſpoſitionẽ ſupra ipſam, poteſt cũ aliquo onere compenſare: arg. ex cap. licet. de ferijs.

268 Aduertendum eſt tamen, quod quando diſpenſatio, quæ fit à proprio legislatore eſt debita, non poteſt legislator onus diſpenſato imponere, ſed debet gratis, & ſine nouo onere petenti diſpenſationem concedere, nam alias faceret illi iniuriã; & in hoc ſenſu vera eſt ſententia Ioannis Sanch. in ſelect. diſp. 54. nu. 40. citantis Filliuc. tract.

tract.27.part.2.cap.7.num.129 affirmantis non poſſe abſolutè loquendo diſpenſantem ſiue superiorem, ſiue inferiorem quando adeſt rationabilis cauſa diſpenſandi in ieiunio imponere aliquod onus diſpenſato.

RESOLVTIO VIGESIMA QVINTA.

Vtrum Abbatiſſa, & aliæ Monialium Superiores poſſint in ieiunio Moniales diſpenſare?

269 PRima ſententia affirmat poſſe Abbatiſſam, & aliàs Monialium Superiores in ieiunio moniales diſpenſare, ita Enriquez lib.6. ſummæ cap. 2: numer.3. Fundamentum huius ſententiæ eſſe poteſt, quia Abbatiſſa habet in moniales ſubditas ex Prælati commiſſione aliqualem vſum clauium, vt eas digne gubernet, corrigat, & puniat; ergo habet etiam poteſtatem in ieiunio moniales diſpēſare.

270 Dicendum tamen eſt non poſſe Abbatiſſam, aliaſque monialium ſuperiores in ieiunio moniales diſpenſare. ita Thom. Sanchez tom.2. ſummæ lib. 6. in Decalog. cap.1. numer. 17. (non in num.14. vt inuenies citatum apud Paſqualigum, & Patrem Leandrum à ſanctiſſimo Sacramento locis inferius citãdis) Diuus Thomas in 4. diſtinctione 25. quæſtion.2. articul. 2. quæſtiuncula 1. ad 2. & clarius diſtint. 19. quæſt.1. art. 1. quæſtiunc.3. ad 4. Silueſt. verbo Abbatiſſa, initio. Tabiena ibid. nu. 5. Ioann. Sanchez in ſelect. de Sacr. diſp.54. num. 37. in fine. Portell. in dubijs Regul. verbo Abbatiſſa num.3. Barboſa lib. 1. de iure Eccleſiaſtico capit. 45. num. 39. Bartolom. à Sanctoſauſto in theſauro Relig. lib.6. quæſt.86. in vlt. editione Neapolitana. Aſcanius Tamburin. de iure Abbatum diſp.32. quæſt. 10. P. Mag. Ioannes Baptiſta Lezana tom. 1. ſummæ Regul. cap.26. num.8. & part. 3. verbo Abbatiſſa numer. 14. vbi ſic ait. Quamuis Abbatiſſæ ob defectũ iuriſdictionis, ſeu poteſtatis ſpiritualis, quam fœminæ habere non poſſunt iuxta dicta tom. 1. cap.26. num.8. non poſſint propriè diſpēſare cum monialibus in ieiunijs, & obſeruantijs Religionum, impopriè tamen id facere poſſunt; quando videl. cauſa diſpenſandi vrget, & vel ex præcepto Superiorum, vel conſuetudine Religionis Abbatiſſarum prudentiæ hoc remittitur. Tunc .n. & ſi propriè propter dicta non diſpenſent, diſpēſant tamen impropriè, quatenus de cauſa, & neceſſitate iudicant ſuperiore, vel Religione ipſa diſpēſante in quo ſenſu Accipiendus eſt Enriquez lib. 6. de pœnit. cap.2. num. 3. & 4. Qdare conceſſione Pauli III. pro Abbatiſſis monialium Sanctæ Claræ apud Rodriquez in Bullario ab aliquibus relata, quam tamen ego reperire non potui. Sic ille. Zachar. Paſqualigus in praxi de ieſunio deciſ. 391. num. 2. P. Leander à Sanctiſſ. Sacramēto part. 3. tract.5. de obſeruat. ieiunior. diſput. 10. quæſt.28.

271 Probatur noſtra ſententia euidenti ratione, quia omnis qui habet poteſtatem diſpenſandi in lege ieiunij cum ſuis ſubditis, debet habere iuriſdictionem ſpirituualē in ſuos ſubditos, & poteſtatem clauium circa predictos; atqui Abbatiſ-

ſæ, & aliæ monialiũ ſuperiores ratione ſexus fęminei, ſunt incapaces talis iuriſdictionis: ergo Abbatiſſæ, & alię monialium ſuperiores quocumque nomine nuncupentur, non poſſunt moniales in ieiunio diſpenſare. Conſequentia euidenter ſequitur ex præmiſſis. Maior vero ab omnibus DD. nullo dempto admittitur; minor verò aperte habetur in cap. noua de pœnitentijs, & remiſſion. ibi. Noua quædam noſtris ſunt auribus intimata, quod Abbatiſſæ moniales proprias bene dicunt: ipſarum quoque confeſſiones in criminibus audiunt, & legentes Euangelium præſumunt publicè prędicare. Cum igitur id abſonum ſit, pariter & abſurdum mandamus, quatenus ne id de cætrro fiat, curetis firmiter inhibere, quia licèt Beatiſſima Virgo Maria dignior, & excellentior fuerit Apoſtolis Vniuerſis, non tamen illi, ſed iſtis Dominus Claues Regni Cælorum commiſit. Ergo ex iure Abbatiſſæ, cætereque Superiores monialium incapaces ſunt iuriſdictionis ſpiritualis in ſuas Moniales ſubditas, & conſequenter nõ poſſunt cum illis in ieiunio diſpenſare.

272 Ad fundamentum oppoſitę ſententiæ reſpondetur negãdo antecedens, quia eo ipſo, quod Abbatiſſæ, & aliæ ſuperiores monialium ratione fęminei ſexus ſint incapaces omnis iuriſdictionis ſpiritualis inordine ad ſuas ſubditas moniales, vt num. pręcedenti probatum eſt, non poſſunt vllum vſum clauiũ ex commiſſione prælati habere quia Pręlati tantum poſſunt cõcedere vſum prędictę poteſtatis clauium ſubiectis capacibus dictum vſum habendi; atqui Abbatiſſę alięque Superiores monialium, vtpote fęminæ sũt Incapaces omnis iuriſdictionis ſpiritualis ex ipſo iure: ergo nõ poſſunt Prælati illis concedere aliqualem vſum clauium; licet verum ſit, quod Superiores monialium nempe Abbatiſſæ, aut aliæ quocumque nomine nuncupatæ tãquam illę, ad quas monialium directio pertinet, poſſint declarare, quando moniales obligentur, & quando non ſint obligatæ ad ieiunium, iudicio prudentiali in hoc vtẽdo, vt notauit bene Pat. Magiſter Ioannes Baptiſta Lezana verbis ſuperius relatis ex tertia part. ſummæ verbo Abbatiſſa nu. 14. Et in hoc ſenſu accipiendum eſt priuilegium concesſũ à Paulo III. Abbatiſſæ Sanctę Clarę vt notat Portell. loco ſuperius citato. Et ſi aliquis aſſerere intendat, quod in hoc sẽſu largè, & impropriè loquẽdo poſſint Abbatiſſę, & alię monialium ſuperiores cum ſuis monialibus in ieiunio diſpenſare, & quod in hoc ſenſu intelligẽdus ſit Enriquez in ſumma lib. 6. de pœnitent. cap. 2. nu. 3. & 4. benedicit, & hoc nos non negamus, ſolum enim aſſerimus, quod loquendo de diſpenſatione in ieiunio propriè, nullam habent iuriſdictionem Superiores Monialium ad diſpenſandum in ieiunio cum ſuis monialibus ſubditis.

RE-

RESOLVTIO VIGESIMASEXTA.

Vtrum ſicut ſenes ſexagenarij ratione ſenectutis ſunt exempti à lege ieiunij Eccleſiaſtici, ita ſenes octogenarij ratione maioris ſenectutis ſint exempti à præcepto abſtinendi ſe à carnibus in diebus ieiunij, & in alijs, in quibus carnes ab Eccleſia prohibentur?

273 SVbtilis, & eruditus Doct. Don Didacus de Narbona in ſuo libro de ſtatu hominis anno 80. queſt. 4. num. 2. nõ ſolum affirmat ſenes octoginta annorum eſſe immunes ab obſeruatione precepti abſtinendi ſe à carnibus in diebus ieiunij, & alijs in quibus eſus carnium ab Eccleſia prohibetur; ſed etiã ſubſtinet predictos ſenes octoginta annorum ab omnibus, & quibuſcumque tam Eccleſiaſticis, quam diuinis legibus immunes eſſe per hęc verba. Ideoque tenendum profiteor ſenectutem illam vtpotè octogenariam, quę fere ſemper ita homines ſimplices, & rationis reddit expertes, vt nihil à pueris differre videantur, veluti hoc eodem anno pluribus oſtendimus ab omnibus, & quibuſcũq; tam Eccleſiaſticis, quam diuinis legibus eos immunes reddere.

274 Quam ſuam ſentẽtiam hac ratione probat dictus de Narbona; qua ſenes eiuſmodi ętatis infantes pueri ſunt; atqui pueri ante ſeptennium omnibus legibus, tam Eccleſiaſticis, quam diuinis ſunt ſoluti: ergo ſenes octogenarij liberi, & immunes ſunt ab omnium legum obſeruatione, tã eccleſiaſticarũ, quam diuinarum. Conſequentia ex pręmiſſis manifeſte videtur ſequi. Minor autem ab omnibus conceditur. Maiorem autem ita probat dictus D. Didacus de Narbona; tum quia ita docet Hippocrates, vt refert Alſonſus Arruizibus in Medicina Medic. incipiente. Luminare ſecundum; Ludouicus Viues lib. 2. de Anima, & alij ab ipſo relati quęſt. prox. antecedente, quibus addit, quæ in eamdem rem adducit Velaſcus de priuilegijs miſerabil. perſon. quęſt. 18. num. 11. Tum etiam, quia ſic docere videtur Hoſtieſ. in ſumma §. quando confitendũ in principio, & poſt eum Stephanus Gueta in repet. cap. ad limina §. 5. numer. 207. Palatius Rubeus in cap. omnis vtriuſq; ſexus. verbo poſtquã ad annos diſcretionis peruenerit de pœnitent. & remiſſ. quos citat, dictus de Narbona loco ſuperius citato nu. 4. affirmans hęc verba reperiri apud Hoſtienſẽ, ſcilicet, ita ſenes, qui iam diſcretionis carent, vt ſępe numero octogenarij eſſe ſolent, nec pręcepto annuę confeſſionis, aut ſuſceptionis Euchariſtię in Paſchate teneri, eo nimirum quod ſupra diximus, quia in eis eadem capacitatis deficientia, ac in paruulis militat; igitur quemadmodũ iſti à quocumque Eccleſiaſtico pręcepto hac ratione reperiuntur immunes, ſic & illi eſſe debebunt: ergo ex mente Hoſtienſis ſenes octogenarij infantes pueri cẽſentur ratione dictę ętatis.

275 Dico 1. ſenes octogenarij ratione dictę ętatis immunes ſunt ab obligatione pręcepti abſtinendi ſe à carnibus in quadrageſima; & in alijs ieiunijs Eccleſiaſticis, ac diebus, in quibus eſus

eſus carnium ab Eccleſia prohibetur. Probatur Concluſio, quia actualiter infirmi ratione infirmitatis immunes ſunt ab obligatione præcepti abſtinendi ſe ab eſu carnium in diebus quadrageſimalibus, & alijs Eccleſiaſticis ieiunijs, ac etiam in illis diebus, in quibus eſus carnium ab Eccleſia prohibetur; atqui ſenes octogenarij æquiparātur actualiter infirmis ratione ſuę ſenectutis; nam ſenectus infirmitas ipſa ſanè eſt: ergo ſenes octoginta annorum immunes ſunt ab obſeruatione pręcepti abſtinendi ſe ab eſu carnium, in diebus quadrageſimalibus, & in alijs Eccleſiaſticis ieiunijs, ac etiam in illis diebus, in quibus eſus carnium ab Eccleſia prohibetur.

276 Dico 2. contra Don Didacum Narbona, ſenes octogenarios, ſi compotes ſint rationis, non eſſe exemptos ab obligatione obſeruationis pręcepti annuę confeſſionis, & communionis. *Probatur.* 1. concluſio ex cap. omnis vtriuſque ſexus fidelis de pœnitent. & remiſſ. vbi ſic dicitur: omnis vtriuſque ſexus fidelis poſtquā ad annos diſcretionis peruenerit, omnia ſua ſolus peccata ſemel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & iniunctam ſibi pœnitentiam proprijs viribus ſtudeat adimplere; ſuſcipiens reuerenter ad minus in Paſcha Euchariſtię Sacramentum: ergo ſenes octogenarij, qui in tali ętate non amiſerunt vſum rationis (imo, & ſi nonagenarij ſint) tenentur ſingulis annis confiteri, & ſacram Euchariſtiam recipere.

277 Secundo ratione probatur dicta concluſio, quia adimpletio pręcepti annuę cōfeſſionis, & communionis ſaluti ſpirituali ſenium non officit, (ſicut officit pręceptum abſtinentię à carnibus, pr4ceptum ieiunij in quadrageſima &c.) ſed potius illam reficit, & fouet: ergo cū aliàs ſint capaces, et potentes ad illius obſernationem, vt ſupponitur in concluſione, tenebuntur præceptum annuę confeſſionis, et communionis.

278 Dico 3. ſi ſenes octogenarij omnino ſint rationes incapaces, ſicut ſunt infantuli, aut omnino amentes non tenentur obſeruare precepta, ſiue Eccleſiaſtica ſint, ſiue diuina, ſed immunes ab illorum obſeruatione debent reputari. Probatur cōcluſio quia ad obſernationem præceptorum, tam eccleſiaſticorum, quam diuinorum requiritur neceſſario vſus rationis; ideoqne infantuli ex defectu vſus rationis, et amentes ab obſeruationem dictorum pręceptorum non tenentur, vt omnes DD. conueniunt; ergo ſi ſenes octogenarij in dicta ętate ratione ſenectutis careant vſu rationis, non erunt obligati ad annualem confeſſionem faciendam, neque ad ſemel in anno in Paſcha ſacram Euchariſtiam recipiendam tamquam ſubiecti incapaces recipiendi prędicta Sacramenta confeſſionis, et cōmunionis ſacramentalis. Notāter dixi in concluſione ſi dicti octogenarij in dicta ętate ratione ſenectutis vſu rationis careant, quia cum id fit per accidēs (quomodo etiam viris 30. annorum poteſt contingere, ſi propter aliquam infirmitatem vndequaque vſu rationis careant) non ideo abſolutè aſſerendum eſt octogenarios non ligari lege annuę confeſſionis, et comunionis, niſi ſolum conditionatè,

tionatè, caſu, quo in dicta ętate vſu rationis careant, quod generaliter nõ contingit, cum multi homines octogenarij, imo & nonagenarij, perfectum vſum rationis habeant; ideoq; ſint obligati ad obſeruationem præcepti diuini, & Eccleſiaſtici confeſſionis, & communionis ſacramentalis.

279 Ad fundamentum ſententię Doctoris Don Didaci de Narbona reſpõdetur negando maiorem abſolutè, & ſimpliciter loquendo; cum multi ſint ſenes octogenarij, imo & nonagenarij, qui perfectum rationis vſũ habent ipſamet experientia teſtante, & pauciſſimi, qui in tali ętate vſu rationis careant pręciſe ratione ætatis, ſecluſo quocumque alio accidenti infirmitatis, quod etiam viris 30. annorum accidere poteſt, vt ſupra concluſione 3. diximus. Nec contrarium docet Hoſtiẽſis dict. §. quando confitendum imo noſtram ſecundam concluſionem manifeſte docet, ſic in. inquit dicto §. quando confitẽdum. Item confitendũ eſt tẽpore pueritiæ, vt notauimus ſupra eodem §. proxim. ſub §. cui Pueri. Item, & tempore ſenectutis, in quo caſu ſi eſt in ætate decrepita, ſcilicet, vltra ſenium, iam proceſſit puta poſt 80. annos alleuari debet ieiunijs, & grauari orationibus. De pęnitentia diſt. 5. cap. 1. & ſi habeat pecuniam redimat cum ipſa peccata ſua. De pęnit. diſt. 1. medicina; ſi nihil habet excuſatus eſt. Et in fine dicti §. quãdo confitendum aperte noſtrã 3. concluſionem docet: per hęc verba. Quod ſi ſit ita ſenex, quod omni diſcretione careat, ſicut de pupillo, & furioſo, vt nos ſupra eod. §. prox. & ſub §. cui Pueri verbo ſic. Si vero non ſit doli capax. En quomodo Cardinalis Hoſtienſis nullo modo docet ſententiam Don Didaci Narbona, imo noſtras cõcluſiones apertè docet in dicto §. quando confitendum, vt ex verbis illius ſupra relatis manifeſte conſtat.

RESOLVTIO VIGESIMASEPTIMA.

Vtrum Caupones, vel Tabernarij, vel miniſtrantes cibos teneantur interrogare hoſpites, an habeant cauſam non ieiunãdi?

280 PRima ſententia affirmat teneri Caupones, & Tabernarios interrogare Hoſpités, an habeant legitimam cauſam non ieiunandi. ita Leonardus Leſſius de iuſt. & iure lib. 4 cap. 2. dub. 4. num. 24. Filliucius part. 2. tract. 27. cap. 5. num. 93. Toletus lib. 6. ſummę cap. 5. verbo Caupones Trullench. lib. 3. in Decalog. cap. 2. dub. 5. nu. 9. Mayor in 4. diſt. 15. quęſt. 4. in fine. Baſſęus in floribus Theol. moral. verbo ieiunium num. 14. Fundamentum huius ſententię eſt quia Caupones, & Tabernarij vendentes, vel miniſtrantes cibos tenentur impedire offenſionem Dei, & lapſum proximorum; atqui miniſtrando cibos in die ieiunij pro cęna ſuis hoſpitibus abſque eo quod eis moraliter conſtet prędictos hoſpites eſſe ex iuſta cauſa deobligatos ab obſeruatione ieiunij, non ſolum non impediunt offenſam Dei, & lapſum proximorum, ſed etiam cooperantur prębendo illis inſtrumentum peccandi, quod facilè potuiſſent negare: ergo prędicti

cti Caupones, & Tabernarij tenentur interrogare hoſpites an habeant cauſam non ieiunandi. Quod maximè locum habet, quando illi alibi habere non poſſunt, nam ſi alijs ituri,& cenaturi ibi erant, non eſt neceſſe recuſare, quia peccatum nō poteſt ſic impediri, vt docet Nauarrus cap.21.numer.24.& Caietanus 2.2. quæſt. 147. artic.4.

281 Secunda, & probabilior ſententia negat teneri Caupones, vel Tabernarios vendentes, vel miniſtrantes cibos interrogare hoſpites an habeant cauſam non ieiunandi. Ita Thom. Sanch.tom.1.ſummę lib.1. capit. 7. num.24. Medina cap.de ieiunio quęſt.de his, per quę Eccleſiaſticum ieiunium ſoluitur. Valentia 2.2.diſp.9.quęſt.2.punct. 3.Homobonus part.2. examin. eccleſ.tract.8. cap.7. quæſt.21. verſu primo quoad ientaculum. Auctor caſuum conſcient. Bononienſ. Anno 1637. caſu 3. Menſis Auguſti verſu multo magis excuſantur. Fernandez in exam.Theol.mor.cap.8. §.2. num.22. Diana part.1. tract. 9. de ieiunio reſol. 39. Moure 2. parte ſummę cap.8.§.2. nu. 22. Zaccharias Paſqualigus in praxi de ieiunio deciſ. 364. Pater Leander à ſanctiſſimo Sacramento part.3.tract.5.de obſeruat.ieiunior.diſput.9.quęſt. 13.

282 Fundamentum huius ſententię eſt, quia illi tantum obligationem habent inquirendi, an alij habeant cauſam legitimam non ieiunandi, qui curam hebent animarum; atqui Caupones, & Tabernarii vēdentes, vel miniſtrantes cibos, non habent curam ſpiritualem animarum; ergo non tenentur interrogare hoſpites, vt illi cibos ad cenandum prębeant in diebus ieiunij, an habeant legiticausā nō ieiunandi, cū ad ipſos non ſpectet moderari conſciētias ſuorum hoſpitum ſiue circa ieiunium, ſiue circa cætera, cū vt ſupra diximus non habeant curam ſpiritualem ipſorum, & prędicta inquiſitio ſpectet, ſeu pertineat ad curam ſpiritualem, & importet quamdam ſuperioritatem: ergo debent ipſos relinquere proprię conſcientiæ.

283 Ad ſundamentum Patris Leonardij Leſſij, poſitum pro contraria ſententia reſpōdetur concedendo maiorem, & negando minorem quia prędicti Caupones, vel Tabernarij non tenentur cum ſuum non ſit, diſcutere, nec moraliter id commode poſſunt facere. Tota autem difficultas poteſt eſſe quando credunt alterum à ieiunio non excuſari, in quo caſu eos damnant Gabriel in 4. diſt. 16. quęſt.3.artic.3. dub.6.alij vero eos à culpa excuſant. Quod nō inducant, ſed peccato alterius vtantur, vt res ſuas vendant, deſeruiantq; comeſtioni, quatenus eſt actus naturę, & non quatenus ieiunium ſoluit, ſic Caietanus 2.2.quęſt.147. art.4. in fine (licet non ita clare, quia de miniſtrantibus menſæ videtur loqui) Ledeſma 2. parte 4. quęſt.17.art.6. dub. 3. & dubio penult. propoſit. 2. Salon. 2. 2. quęſt.77. art.4. controuerſia 6. punct. 3. Emmanel Rodriquez tom. 1. ſummæ in 2. Editione cap.23.num.8. Petrus de Ledeſma tom.2.ſummę tract.27. cap. 2.dub. 2. Pater vero Thom. Sanchez loco ſuperius citato. num.35. vtramque ſententiam veram eſſe iudicat, ſi ſano modo intelligantur. Prior quidem

quando

Digitized by Google

quando ſine ſuo damno alicuius momenti poſſent cibos illos denegare, ac proinde peccatū proximi impedire. Poſterior autem quando abſque eo damno nequeunt, ſed certè prædicti caupones, & Tabernarij à dicta culpa excuſantur, ex eo quod illis non incumbat iudicare, an hoſpites habeant, vel non habeant iuſtam cauſam nō ieiunandi cum nō habeant curam ſpiritualem illorum, & ita relinquendo illis propriæ illorum conſcientiæ, poſſunt cibos adminiſtrare, etiamſi abſq; incommodo proprio, & damno alicuius momenti poterant denegare.

RESOLVTIO VIGESIMA-OCTAVA.

Vtrum Caupones licitè poſſint, & miniſtrare cęnam his, quos certò ſciunt ad ieiunium teneri?

284 Prima ſententia abſolutè negat prædictos Caupones licitè poſſe miniſtrare cęnā his quos certo ſciunt ad ieiunium teneri. Ita Gabriel in 4. diſtint. 16. quæſt. 3. art. 3. dub. 6. Nauarrus in ſumma cap. 21. nu. 26. Medina C. de ieiunio quæſt. de his, per quæ Eccleſiaſt. ieiunium ſoluitur. Toletus lib. 6. ſummæ cap. 5. nu. 51. verſu tertius caſus. vbi etiam Victorell. in addition. verbo caupones. Baſſæus in florib. Theolog. mor verbo ieiunium 1. num. 14. Syluius 2.2. quæſt. 147. art. 4. quæſt. 1. in fine Fernādez exam. Theolog. mor. part. 2. cap. 8. §. 2. num. 22. Caſtropalaus part. 1. oper. mor. tract. 6. de charitate diſp. 6. punct. 8. num. 7. in fine (non tract. 6. diſp. 8. nu. 7. vt inuenies citatum apud Paſqualigum, & Leandrum à Sanctiſſimo Sacramento locis inferius citandis, nam tractatus ſextus de charitate finitur à Caſtropalao diſp. 6. & ita non poteſt habere 8.) Moure 2. part. ſummæ cap. 8. §. 2. num. 22. Leſſius de iuſt. & iur. lib. 4. cap. 2. dub. 4. num. 24. Thom. Sanchez tom. 1. ſummæ lib. 1. cap. 7. nu. 34. & 35.

285 Fundamentum huius ſententiæ eſt quia Caupones, & Tabernarij tenentur non concurrere cum alijs ad peccatū mortale committendum; atqui ſi ſciunt vt ſupponitur ſuos hoſpites non babere cauſam legitimam eos excuſantem ab obligatione ieiunij, ſed quod malitioſè volunt frangere præceptum ieiunij, prębēdo illis cibos ad cenandum, concurrunt cū ipſis ad fractionem præcepti de ieiunio, & conſequenter ad peccatum mortale committendū; ergo ſi ſciant certo prædictos non habere iuſtam cauſam eos excuſantem à lege ieiunij non poſſunt eis prębere cibos ad cęnam, nam cooperarent cum ipſis in actione moraliter peccaminoſa, quod nullo modo licet.

286 Secunda ſententia abſolutè affirmat poſſe Caupones, & Tabernarios licite miniſtrare cęnam his, quos certo ſciunt ad ieiunium teneri. Ita Ledeſma 2. part. 4. tract. 17. art. 6. Salon. 2.2. quæſt. 77. art. 4. controuerſ. 6. poſt. 3. concl. Angles quæſt. 7. de ieiunio diff. 4. appendice 1. Molf. in ſumma tract. 10. cap. 5. num. 30. & 31. Bonacina diſput. vlt. de præcept. Eccleſ. quæſt. 1. punct. 3. num. 9. & de peccatis diſp. 2. quæſt. 4. punct. 2. §. vnico num. 36. & 37. Bartol. à Sancto-Fauſto in theſauro Religionis lib. 1. quæſt. 172. Homobonus

part.2.exam. eccleſiaſt. tract.8. cap.7. num. 21. verſu 1. quoad ientaculum. Ghilinus in ſumma verbo ieiunium numer. 15. Auctor Caſuũ conſcientiæ Bononienſis Anno 1636. caſu 3. menſis Auguſti in fine. Sà verbo venditio numer.24. Diana part.1. tract.9. reſol.49. Zacharias Paſqualigus in praxi de ieiunio deciſ.365. numer.5. Pater Leander à ſanctiſſimo Sacramento part.3. tract.5. de obſeru. ieiunior. diſput. 9. quęſt. 14. Hanc ſententiam probat Pater Leander à ſanctiſſimo Sacram. loco ſuperius citato, quia ſi Caupones prædicti hoſpitibus cęnam non miniſtrarent, ij adhuc alibi eſſent ituri, & cęnaturi: ergo cum peccatum nõ poſſint cęnam negando impedire, licitè iam poſſunt miniſtrare illis cęnam.

287 Tertia ſentẽtia cum diſtinctione loquitur; ait enim quod ſi abſque incommodo prædicti Caupones poſſunt negare cenã, quod tenẽtur negare: ſecus tamen ſi abſque incommodo negare nõ poſſunt; ita P. Thom. Sanchez lib. 1. ſummæ capit. 7. num.34. & 35. vt reſol. præcedenti diximus. Leonardus Leſſius de iuſt. & iure lib.4. cap. 2. dub 4. num.24. Filliuc. part. 2. tract.27. cap.5. num. 93. Trullench. lib.3. in Decalog. cap. 2. dub.5. num. 9. Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia vnuſquiſque fidelis tenetur quantum eſt ex ſe occaſionem ruinę proximi vitare, ſi hoc poteſt facere abſque magno ſuo incommodo: ergo Caupones ſi poſſunt commode, & abſque proprio damno denegare cęnam, his, quos ſciunt non excuſari à ieiunio, tenentur hoc facere.

288 Dicendum tamen eſt ſecũdam ſententiam veriorem, & probabiliorem eſſe ſcilicet poſſe Caupones licite miniſtrare cęnam his, quos certo ſciunt ad ieiunium teneri abſolute, & abſque aliqua limitatione, ſeu reſtrictione. Quod probatur fundamento allegato pro ſecũda ſententia. Et deinde efficacius ſuaderi poteſt, quia in tantum non poſſent Caupones cęnam his, qui non habent cauſam excuſantem à ieiunio, miniſtrare; inquantum cooperarent peccato ipſorum; atqui prębendo eis cęnã, quos ſciũt teneri ab obſeruationem ieiunij, non cooperarent peccato ipſorum: ergo poſſunt licitè eis cænam ſubminiſtrare. Maior admittitur à DD. primæ, & tertiæ ſententiæ. Minor vero probatur, quia tunc quis ſolũ cooperat peccato alterius, quã do concurrit ad ipſam peccati actionem, aut ad aliquam aliã, in qua peccatum incipiat, cum non poſſit eſſe cooperatio ad peccatum, niſi aliqua ſua actione cooperans deflectat à recto tramite in ordine ad peccatum alterius; atqui in noſtro caſu Caupones non concurrunt ad aliquam actionem, in qua peccatum incipiat, cum tantum parent, & exhibeant cęnam, quæ eſt actio ordinata, ad naturæ ſubſtentationem, in qua nullum eſt peccatum; nam peccatum violationis ieiunij ſolum incipit in comeſtione, & intentione comedendi, non autem in intentione, quod cęna portetur, quod de ſe non eſt mala; ac proinde Caupones in hoc exequuntur proprium munus, quod licite exercent: ergo miniſtrãdo cęnam eis, quos, ſciũt certo non excuſari à ieiunio, non

non cooperant peccato ipſorum,& conſequenter licitè poſſunt eis cænam ſubminiſtrare. Nec refert quod Caupones parando cęnam, illam parent ad inſtantiam illius, qui vult frangere ieiunium, quia prædicta intentio illius, qui ieiunium vult frangere materialiter ſe habet, nec Caupones mouentur ex tali intentione, ſed parant, vt lucrentur, & vt ſuum exequantur munus, relinquendo vnumquemque propriæ cōſcientiæ.

289 Ad fundamentum primæ ſententię patet manifeſtè ex dictis num.præcedenti, & ita cōceſſa maiori, negāda eſt minor. Nam Caupones, vt ſupra diximus prębendo cęnam eis,quos ſciunt certò non excuſari à ieiunio, non cooperant ipſorum peccato, vt num. præcedenti probauimus, quia nec Caupones concurrunt ad ipſam actionem peccati,neque ad aliquam aliam, in qua incipiat peccatū, ſed ſolum parant cęnam, vt lucrentur, & ſuum exequantur munus, relinquentes vnumquemque proprię conſcientiæ, & intentio illorum, qui malitioſe volunt ieiunium frangere, materialiter ſe habet ad ſubminiſtrationem cęnę factam à Cauponibus. Neque petentes cęnam, licet intentionem habeant violandi ieiunium intendunt, quod patetur illis cęna ex tali intentione ſed ſolum intendunt, quod Caupones munere ſuo fungantur: ergo cum munus ſit licitum, & non adſit finis extrinſecus malus,nec aliqua mala circumſtantia, neque etiam aderit aliquod peccatū.

290 Ad fundamentum tertiæ ſententiæ reſpondetur concedendo antecedens, & negando ſuppoſitum conſequentiæ, & ipſam conſequentiam. Supponitur enim falsò, quod Caupones ſubminiſtrando cęnam eis, quos ſciunt lege ieiunij obligari; cooperent ipſorum peccato vt in probatione noſtrę ſententiæ, & in reſponſione ad fundamentum primę ſententię diximus. Et vt bene notat P. Thom. Sanchez loco ſuperius citato nu.35. licet gratis daremus, quod aliquomodo teneantur Caupones denegare cęnam eis quos ſciunt certo lege ieiunij teneri, ſi hoc abſque magno ſuo incommodo poſſent facere, tamen moraliter loquendo Tabernarios, & Caupones nūquam ob hanc cauſam peccare mortaliter,affirmare teneremus quia eo quod ab ea venditione abſtineant, denegando cęnam eis, quod ſciunt teneri lege ieiunij, ferè numquam eſt ſpes,vt alter eorum ieiunium ſeruet, quia alibi emet cibos, & ita nō excuſabitur ille talis dicta denegatione cęnę à fractione ieiunij; ergo cum ſubminiſtratio cęnę ex ſe, & ex natura ſua non ſit mala, cum ordinetur ad ſubſtentationem naturæ, & ex alio capite ſit munus pertinens ad caupones, & tabernarios cęnā hoſpitibus ſubminiſtrare, quādo ipſi volunt cęnare, & ſunt determinati frāgere ieiunium, dicti Caupones cęnam ſubminiſtrando, non peccabunt mortaliter, etiam ſi abſque proprio ſuo incommodo poſſint dictam cęnam non ſubminiſtrare.

291 Maior difficultas eſt, an prędicti Caupoues, & Tabernarij mortaliter peccent nolētes hoſpitari, eos, qui die ieiunij nolunt cenare. Et licet Pater Zacharias Paſqualig. dict. tract. de ieiunio deciſion. 367. eos à cul-

culpa mortali excuſet, ex eo quod Caupones nolentes hoſpitari eos, qui nolunt cęnare, non intendunt, quod hoſpites cenent, & violent ieiunium, ſed intendunt lucrum ex cęna exhibita, vnde ſi hoſpites acceptent cęnam, & violent ieiuniũ, hoc ipſis, & non Cauponibus imputandum ſit; nihilominus, vt certum aſſero cum Patre Leandro à ſanctiſſimo Sacramento dict. part.3. tract.5. de obſeruat. ieiun. diſp.9. queſt.15 in tali caſu moraliter Caupones peccare, quia vere trahunt, & cogunt hoſpites ad violandum ieiunium; atque adeo ad peccandum; ergo dicendum eſt peccare mortaliter in prędicto caſu.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX

RERVM NOTABILIVM QVÆ IN hac Secunda Parte continentur in quo in compendium deducuntur omnes ſententiæ, quæ vt probabiliores ab Auctore defenſantur.

T. Tractatum. R. Reſolutionem. P. Paginam. N. Numerum ſignificant.

Abbatiſſa.

ABatiſſa non poteſt ſuas moniales ſubditas in lege ieiunij diſpenſare T.6.R.25.P.403.nu.270.& ſeq.

Abbatiſſæ poſſunt declarare quando moniales obligentur, & quando nõ ſint obligatæ ad ieiunium iudicio prudentiali in hoc vtendo ibidem. pag.404.num.272. prope medium.

Abrogatio.

Abrogatio legis eſt ceſſatio totius legis, tam quoad materiam, quam quoad perſonas. t.5.r.2.p.236.n.12.

Abrogatio legis dupplicitee fieri poteſt. Vno modo alia lege contraria inducente obligationem ad contrarium actum, vel ad abſtinendum ab eo qui per priorem legem erat imperatus. alio modo tollendo obligationem illius, & nullam aliam imponendo ibidem.

Aqua.

Aqua guttæ aliquæ traiectæ vſque ad ſtomachum præter intentionem dum os abluitur non violant ieiunium naturale, nec impediunt ad communicandum, aut ſacrum celebrandum. t.4.r.8. p.159.num.133. & ſeq.

Annus.

Annus ſexagenarius excuſans viros ab obligatione ieiunij Eccleſiaſtici, & annus quinquagenarius excuſãs fœminas ab eadem obligatione debet eſſe completus, & non ſufficit, quod ſit inceptus. t.6.r.10.pag.321. num.119.

Baptiſmi Sacramentum.

BAptiſmi Sacramentum conſiſtit eſſentialiter in exteriori corporis ablutione ſub preſcripta verborum forma à Chriſto Domino inſtituta ad ſpiritualem animę regenerationem. t.4.r.1.p.104.nu.21.

Baptiſmi Sacramentum dupplicitee poteſt eſſe neceſſarium, vel in re, vel in voto quando in re ob extrinſecum impedimentum haberi non poteſt. ibidem.

Baptiſmi Sacramentum eſt neceſſariũ neceſſitate medij, & neceſſitate præcepti; at non æquali modo in omnibus hominibus, ſicut neque etiam abſolutè, & ſimpliciter ſi loquamur de vero baptiſmo, vt eſt

Digitized by Google

Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum. ibid.

Barbitonſores.

Barbitonſores tota die laborantes in ſuis officijs ſunt excuſati ab obligatione ieiunij Eccleſiaſtici. t.6. r.7. p.309. num.92. & ſeq.

Bulla Cruciatæ.

Habentes bullam Cruciatæ in Regno Siciliæ non ſolum poſſunt edere oua, & lacticinia in diebus quadrageſimalibus, & alijs prohibitis; ſed etiam poſſunt edere ſagimen, in dictis diebus. t.6. r. 1. p.264. n.10.

Habentes bullam Cruciatæ licet intelligantur diſpenſati ad edenda oua, & lacticinia in diebus quadrageſimalibus non tamen poſſunt virtute dictæ diſpenſationis edere in dictis diebus quadrageſimalibus, aut alijs diebus prohibitis ſanguinem animalium non ſolum attenta conſuetudine per ſe loquendo, ſed nec etiam attento iure. ibid. p.266. num. 14. & ſeq.

Habentes bullam Cruciatæ non habent facultatem ratione dictæ bullæ edendi ſanguinem animalium in Regno Siciliæ ratione conſuetudinis in diebus quadrageſimalibus, aut in alijs Eccleſiæ ieiunijs cum in dicto Regno non ſit talis conſuetudo introducta ibid. p.268. nu.16.

Cappellanus.

Cappellanus obligatus ratione Cappellaniæ ad celebrandum omnibus Sabbathis anni miſſam Beatæ Virginis non tenetur omnibus Sabbathis dictam miſſam de Beata Virgine celebrare etiamſi id exprimatur in fundatione Capellaniæ. tr. 3. r.7. p.79. nu.136.

Cappellanus obligatus ratione Cappellaniæ celebrare omnibus Sabathis miſſam de Beata Virgine ſi in Sabatho occurrat feſtum duplex obſeruandum de præcepto nõ poteſt dicere in eo miſſam de Beata Virgine, & hoc ſub mortali. ibidẽ p.80. num.137.

Cappellanus obligatus ratione Cappellaniæ celebrare omnibus anni Sabbathis miſſam de Beata Virgine ſi hoc in dicta fundatione exprimatur à fundatore dictæ Cappellaniæ, & dicta fundatio Cappellaniæ confirmetur à ſummo Pontifice poterit Cappellanus omnibus Sabathis anni miſſam de Beata Virgine celebrare quocumque feſto in illis occurrente ibidem nu.138.

Cappellanus obligatus celebrare ratione Cappellaniæ omnibus anni Sabbathis miſſam de Beata Virgine grauiter peccat ſi diebus quibus liberum eſt illi celebrare dictam miſſam de Beata Virgine non celebret, & idem eſt de Cappellano obligato in aliquibus diebus miſſam de Requiem celebrare ibidem. p. 81. num.140. & ſeq.

Cappellanus obligatus ratione Cappellaniæ miſſam celebrare in altari priuilegiato pro aliqua anima exiſtente in purgatorio ſatisfacit ſuæ obligationis celebrando dictam miſſam in alio altari, cum numiſmate benedicto v. g. Sancti Caroli applicando illi indulgentiam plenariam quam aſſequitur virtute ipſius numiſmatis, aut virtute coronæ vel metaliæ benedictæ. t.3. r. 8. p.84. num.146. & 147.

Cappellanus obligatus virtute Cappellaniæ miſſam celebrare in altari priuilegiato pro aliquo defuncto ſi teſtator expreſſerit in fundatione Cappellaniæ ſe velle miſſam celebrari in hoc altari priuilegiato nõ ſolum, quia priuilegiatum eſt, ſed etiam in illius honorem, aut imaginis alicuius Sancti collocati in dicto Altari priuilegiato tenetur Sacerdos ſub mortali ibi celebrare. ibid. p.85. num.148.

Capitulum Generale.

Capitulum Generale Regularium habet omnimodam authoritatem, & poteſtatem faciendi ſtatuta in ſpiritualibus, & temporalibus pro cõſeruatione regulæ quæ quidem ſtatuta illicò omnes obligant, & cenſentur confirmata à Sede Apoſtolica. t.5. r.1. p.219. nu.1.

Ca-

Digitized by Google

Capitulum generale Regularium nõ poteſt facere ſtatuta regulam non concernentia, aut ſtatuta, quæ ſint ſuper regulam Religionis, & ſi illa faciat, & præcipiat obſeruare non tenentur Religioſi profeſſi illa ſtatuta, obedire, aut obſeruare ibid. num.2.p.230.num.3.& p.231. n.4.

Capitulum generalem Regularium non poteſt facere ſtatuta contra ius commune, vel ſacros Canones ibid. p.231 num.5.

Capitulum generale Regularium poteſt conſtitutiones iuris communis declarare, & innouare, & vbi pęna deficit ponere, vel augere, quia hoc potius eſt adiuuare, & innouare ius commune, quam aliquid cõtra ius commune ſtatuere, & ordinare ibid.p.232.nu.6.

Capitulum Generale Regularium poteſt diſpenſare in conſtitutionibus factis ab ipſo Capitulo generali in fauorem ſtetuentium ſcilicet, ipſius Capituli Generalis immò, & eas derogare, aut abrogare in toto, aut in parte etiam ſi ſint confirmatæ à Summo Pontifice dum dicta cõfirmatio ſolum ſit facta in forma communi.t.5.r.2.p.237.nu.14.& ſeq.

Capitulum Generale Regularium nõ poteſt diſpenſare in conſtitutionibus ab ipſo capitulo factis in fauorem totius Religionis, nec licitè, nec validè ſi fuerunt confirmatæ à Papa in forma ſpeciali ex certa ſciẽtia, & de plenitudinis poteſtate, & multo minus eas derogare, aut abrogare ibid p.240.num.21.& ſeq.

Capitulum Generale Regularium poteſt abſque ſpeciali ſedis Apoſtolicæ authoritate, & facultate nouas erigere Prouincias, & erectas diuidere t.5.r.3.p.249.num.37.& ſeq.

Si Maior pars Capituli Generalis Regularium concordet in lege ferenda quamuis Generalis diſſentiat præualet ſententia Capituli, & lex tenet t.5.r.4.p.254.n.43.

Capitulum Generale perſiſtere poteſt in duobus tantum vocalibus legitimè Congregatis ibid. p. 257. num.49. & ſeq.

Caupones.

Caupones, vel Tabernarios vendentes, vel miniſtrantes cibos interrogare ſuos hoſpites, an habeant cauſam non ieiunandi non teneri probabilius eſt.t.6.r.27. p.408. nu. 281. & ſeq.

Caupones, & Tabernarij licitè poſſũt miniſtrare cænam his quos certò ſciunt ad ieiunium teneri. t. 6.r.28. p.409.num.288.& ſeq.

Caupones, & Tabernarij nolẽtes hoſpitare eos qui die ieiunij nolunt cenare mortaliter peccãt. ibid.p.411. num.291.

Cæna

Si quis dum cænat audiat pulſũs deſignantes mediam noctem tenetur ceſſare à cęna ſi die ſequenti eſt ieiunandum. t.6.r.19.p.371.nu.210. & ſeq.& p.372.n.214.& ſeq.

Cænula.

Cænula ſeu collatio ſerotina in diebus ieiunij Eccleſiaſtici non poteſt licitè fieri ex piſcibus recentibus aut fumo ſicatis, vel ſale conditis indebita quantitate.t.6.r.11.p.325. nu.124.& ſeq.

Cænula ſeu collatio ſerotina in diebus ieiunij non poteſt fieri ex ouis indebita quantitate quando oua in diebus ieiunij non ſunt prohibita vel ſi prohibita ſint virtute priuilegij bullæ Cruciatæ.t.6.r.12.p.333. nu.144. & pag.334.num.145.

Cænula, ſeu collatio in die ieiunij Eccleſiaſtici licitè fieri poteſt cũ modico caſeo in illis ieiunijs in quibus caſeus non eſt prohibitus, & in illis in quibus eſt prohibitus licet cum modico caſeo ſimul cum pane collationem facere virtute priuilegij bullæ Cruciatæ ibid.p.333.n.144.& p.334.num.146.

Cænula, ſeu collatio in diebus ieiunij Eccleſiaſtici non poteſt licitè fieri cum ſolo pane biſcotto, ex pane, & ouis confecto in debita quantitate, ſcilicet vnciarum octo ibid. p. 336. num 152.

In Cænula, ſeu collatione ſerotina dierum ieiunij Eccleſiaſtici licitè ſumi poteſt quantitas cibi vſque ad vnciarũ octo. t.6.r.13.p.338.n.154.

In

In Cænula, ſeu collatione ſerotina dierum ieiunij Eccleſiaſtici licitum eſt ſumere quartam partem cænæ, ab his quorum cæna non excedit vnciarum 32. ibid. p. 340. num. 158. & p. 341. nu. 159.

In Cænula, ſeu collatione ſerotina licitum eſt in opinione probabili ſumere quartam partem cænæ, quæ regulariter per annum fit ab his quorum cæna non excedit quantitatem vnciarum 40. quia quantitas vnc. 10. non eſt magna quantitas pro collatione ſerotina ibid. p. 341. num. 159.

In Cænula ſeu collatione ſerotina vigiliæ Natiuitatis Domini licitum eſt maiorem quantitatem cibi ſumere quam in alijs collationibus aliorum dierum ieiunij. t. 6. r. 14. p. 342. num. 161.

In cænula, ſeu collatione ſerotina vigiliæ Natiuitatis Domini non ſolū licet ſumere maiorem quantitatem cibi quã in alijs collationibus aliorum dierum ieiunij, ſed etiam duplo maiorem, quare cum communis quantitas in alijs ieiunijs pro collatione ſerotina ſit vnc. 8. in vigilia Natiuitatis poteſt ſumi pro collatione ſerotina quantitas vnc. 16. ibid. p. 343. n. 162.

Cænula, ſeu collatio ſerotina in vigilia Natiuitatis Domini non poteſt fieri licitè ex fructibus, aut ex dulciaribus, & pane abſque menſura & limite vſque ad ſaturitatem. t. 6. r. 14. p. 343. num. 163. & ſeq. & pag. 346. num. 168.

Cænula ſeu collatio ſerotina vigiliæ Paſchatis Reſurrectionis, & Pentecoſtes non poteſt fieri duplo maior quam in alijs Eccleſiæ ieiunijs, vbi de hoc non eſt vniuerſalis conſuetudo communiter recepta t. 6. r. 15. p. 348. num. 173. & ſeq.

Charitas.

Charitas obligat, & dictat proximum ſuccurri debere iuuaminibus à iure diuino conceſſis quando hoc licitè fieri poteſt non autem quando eſt legitimum impedimentum ex parte ſubiecti, quod non poteſt proximum iuuare t. 4. r. 3. p. 121. nu. 52. prope medium.

Chriſtus.

Chriſtus Dominus contentus ſub ſpeciebus panis, & vini in Sacramento Euchariſtiæ confert per ſe ipſum, & non per aliquod ſenſibile inſtrumentum ſpiritualem fructum gratiæ t. 4. r. 11. p. 185. nu. 183. prope finem, & p. 187. nu. 184.

Confeſſio Sacramentalis.

Vnica Confeſſione Sacramentali poteſt quis duorum annorum obligationi ſatisfacere anni, ſcilicet præteriti, & præſentis ſi in confeſſione anni præſentis confiteatur peccata mortalia commiſſa in anno præterito, & præſenti ſecus tamen ſi ſolum confiteatur peccata mortalia commiſſa in anno præterito. t. 4. r. 16. p. 219. num. 246. & pag. 221. num. 248.

Vnica confeſſione Sacramentali non poteſt quis obligationi trium annorum, aut præceptis annuæ confeſſionis totæ vitæ ſuæ ſatisfacere ſicut poteſt vnica confeſſione duorum annorum obligationi ſatisfacere. ibid. p. 221. num. 247.

Ille qui non fuit Sacramentaliter cōfeſſus in decem annis non tenetur decies in vno anno confiteri, ſed vnica confeſſione primo facta pro decem annis ſatisfacit ibid. n. 248.

Confirmatio Pontificia.

Confirmatio alia eſt in forma cōmuni, & alia in forma ſpeciali ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis t. 5. r. 2. p. 235. num. 11.

Confirmatio in forma communi, eſt illa quæ fit à Summo Pontifice cum ſola cognitione confuſa priuilegij, quod ſimpliciter proponitur, vt antea conceſſum ſine alio examine, vel diſtrictiori notitia illius ibid.

Confirmatio in forma ſpeciali, & ex certa ſcientia eſt illa quando confirmatur priuilegium cum certa illius ſcientia, & tenoris eius, & omnium illius circumſtantiarum ibid.

Confirmatio in forma ſpeciali, & cōfirmatio in forma communi in hoc diffe-

differant quod confirmatio in forma communi nullum ius nouum confert nec dat valorem priuilegio ſi erat inualidum, nec vllum præiuditium infert tertio. Confirmatio vero in forma ſpeciali, & ex certa ſcientia habet vim nouæ conceſſionis. ibid.

Communio Sacramentalis.

Communio Sacramentalis nō impeditur per hoc quod aliquis præter intentionem aliquas aquæ guttas in ſtomachum traiiciat dū os abluitur. t.4.r.8.p.159.nu.133.& ſeq.

Communio Sacramentalis nō impeditur per hoc, quod aliquis in ſtomachum traijciat aliquod oſſiculū, papyrum, fruſtulum ligni, vel aliquid ſimile. t.4.r.9.p.164.nu.143.& ſeq.

Communio Sacramentalis in opinione probabili non impeditur per comeſtionem terræ, aut carbonum ibid.p.169.nu.149.licet contrarium etiam probabile ſit. ibid.n.150.

Communio Sacramentalis nō impeditur per ſumptionem tabacchi in puluere .t.4.r.10.p.170.n.151.

Communio Sacramentalis impeditur per ſumptionem Tabacci in folio ſi fiat per os, & aliquid deſcendat in ſtomachum. ibid.nu.152.

Communio Sacramentalis nō impeditur per ſumptionem tabacci in fumo. t.4.r.16.p.174.nu.160.& ſeq.

Communio Sacramētalis ſub vtraq; ſpecie panis, ſcilic.& vini non confert maiorem gratiam cæteris panibus ex opere operato. t.4.r.11.p.182.num.175.& ſeq.

Communio Sacramentalis ſub ſpeciebus vini prohibita eſt omnibus cōmunicantibus extra miſſæ ſacrificium.t.4.r.12.p.191.n.190.

Ille qui in ſalute, aut in infirmitate non periculoſa ex deuotione communionem Sacramantalem in vno die accepit ſi eodem die incidat in mortis periculum, ita vt prudēter timeatur quod eodem die eſt moriturus, aut quod alio die non poterit ſacram Euchariſtiam ſumere poteſt imò, & tenetur eodem die iterum Sacramentalem Communionem facere recipiendo, ſcilicet, ſacram Euchariſtiam per modum viatici ad adimplendum præceptū diuinum de recipienda Euchariſtia in mortis articulo. t.4.r.15.p.203.num.214.& ſeq. & p.207.num.223.& ſeq.

Communionem Sacramentalem bis in die accipere prohibitum eſt ab Eccleſia extra neceſſitatis caſum non autem in caſu vrgentis neceſſitatis ibid.p.209.num.225.

Vnica Communione Sacramentali non poteſt quis duplici præcepto Eccleſiaſtico annuę communionis ſcilicet anni præteriti, & præſentis, aut præſentis, & futuri ſatisfacere. t.4.r.16.pag.219.nu.245.& ſeq.

Conſtitutio.

Conſtitutiones Religioſorum Regularium factæ à Capitulo generali in fauorem ipſius Capituli generalis, confirmatæ à Summo Pontifice tātum in formma communi poſſunt ab ipſo Capitulo Generali diſpenſari imò derogari, aut abrogari in toto aut in parte. t.5.r.2.p.237.nu.14.& ſeq.

Conſtitutiones Religioſorum Regularium factæ à Capitulo generali in fauorem totius Religionis, & confirmatæ à Papa in forma ſpeciali ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis non poſſunt à Capitulo generali Regularium diſpenſari, & multo minus derogari, aut abrogari, nec licitè, nec validè ibid.pag.240.n.21.& ſeq.

Conſtitutiones diſcalceatorum Beatę Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum fuerūt confirmatæ à Summo Pontifice in forma ſpeciali ex certa ſcientia, & de Apoſtolicę plenitudinis poteſtate ibid. p.244 num.29.& 30.

Decretum.

Decretum Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium ſacri Concilij de Celebratione Miſſarum non prohibet Sacerdotibus, nec formaliter explicitè, nec virtualiter, & implicitè, vt non poſſint

fructum Miſſæ ſpecialem ipſis ex miſſæ ſacrificio correſpondentem alteri applicare, & pro applicatione ſtipendium accipere. t.3.r.1.p.8. num.18.

Derogatio.

Derogatio legis eſt ceſſatio legis pro aliquo tempore, vel pro aliqua parte communicatis vel legis. t. 5. r.2. p.236. n.12.

Diaconus.

Diaconus in caſu neceſſitatis poteſt ſacram Euchariſtiam infirmis adminiſtrare. t.4.t.1.p 96.n.2. & 3.

Diſpenſatio diſpenſatus.

Diſpenſatus abſolutè ad edendas carnes in diebus quadrageſimalibus, & in alijs Eccleſiæ ieiunijs manet diſpẽſatus in lege ieiunij. t.6.r.2. p. 277. n.34. & ſeq.

Diſpẽſatus ad plures comeſtiones in diebus ieiunii non intelligitur diſpenſatus ad edendas carnes in dictis diebus ibidem n.37. & p.278.n. 39. poſt medium.

Diſpenſatus à Summo Pontifice in lege ieiunii non cenſetur diſpenſatus ad edendas carnes. ibid.p. 282. n.43.

Diſpenſatus ad edendas carnes in diebus ieiunii ratione infirmitatis aut debilitatis ſi in aliquibus diebus, vel ratione deuotienis, vel ob ſolam ſuam liberam voluntatem ab eſu carnium ſe abſtineat non tenetur dictis diebus ieiunare, ſed poteſt libere pluries comedere, ſeu refectiones ſumere. ibidem. r.3. pag. 286.nu 54.

Diſpenſatus diſpenſatione abſoluta ad edendas carnes in omnibus ieiunii diebus ad præſeruationem futuræ infirmitatis quam timere poteſt probabiliter ſi carnibus non vtatur: ſi pro ſua libertate aut deuotionis cauſa in aliquibus ex illis diebus non vtatur diſpenſatione veſcendi carnibus tenebitur ſub mortali ad obſeruandum præceptum ieiunii Eccleſiaſtici in talibus diebus. ibidem p.287.n.55.& ſeq.

Diſpenſatus ad edendas carnes in die ieiunii non ad recuperandam ſalutem, vel ob debilitatem, ſed ad præcauendam præcisè futuram infirmitatem, ſi pro ſua libertate in die ieiunii à carnibus ſe abſtineat in meridie non poteſt licitè veſpere neq; carnes, neque piſces, aut quid quam aliud comedere præter ordiriam refectiunculam, quæ ſumi ſolet in diebus ieiunij. t.6 r.3. p.289. n.60. poſt medium, & P.290.n.61.

Diſpenſatio legis nullo pacto eſt ceſſatio legis neque in toto, neque in parte, ſed relaxatio illius, ſeu exẽptio ab ipſius obligatione. t. 5. r. 2. p. 136.nu.12.

Diſpenſatio facta à Summo Pontifice in lege ieiunij abſque cauſa eſt valida quamuis licita non ſit. t. 6. r. 20. p.375.n.218.

Diſpenſans abſque cauſa in lege ieiunij à ſummo Pontifice ſi vtatur dicta diſpenſtaione cum ſcandalo, aut aliorum graui damno peccat mortaliter nõ quia vtitur dicta diſpenſatione, ſed quia diſpenſatio poſito graui damno, aut aliorum ſcandalo ceſſauit ex intentione interpretatiua ſummi Pontificis diſpenſantis. t.6.r.20 p.385.n.235.

Diſpenſatus à ſummo Pontifice in lege ieiunij abſq; cauſa nullo modo peccat, nec mortaliter, nec venialiter vtendo dicta diſpenſatione. ibidem. p.386.n.236.

Eccleſia.

Eccleſia habet poteſtatem, vt in Sacramentorũ diſpenſatione ſalua ipſorum ſubſtantia poſſit vel ſtatuere vel mutare quæ ſuſcipientium vtilitati, vel ipſorum Sacramentorum venerationi pro rerum temporum at locorum varietate magis expedire iudicauerit. t.4.r.12.pag: 191. num.190.

Ab Eccleſia prohibitus eſt vſus calicis ſeu ſanguinis Chriſti omnibus extra ſacrificium miſſæ communicantibus: ibidem.

Eccleſia licitè, & validè poteſt diſpenſare in prohibitione vſus calicis, ſeu ſanguinis Chriſti facta omnibus com-

communicantibus extra miſſæ ſacrificium licitè quidem iuſta exiſtente cauſa validè verò ſine cauſa. ibid p.191.n.191.

Electio.

Electio Canonica, vt ſit valida debet eſſe libera libertate ad minus, quoad exercitium non autem ſemper debet eſſe libera libertate, quoad ſpecificationem. t.5.r.5.p.258.n.52.
In electione Canonica nemo poteſt validè, & licitè in ſecreto ſcrutinio ſibi ſuffragari incipiendo ſuã electionem. ibidem p.259.nu.54.
Electio cohartata ad certas determinatas perſonas, vt ad duos tantum, vel tres excluſis alijs dignis, & idoneis, ſine conſenſu illorum qui, ius habent ad electionem eſt omninò irrita, & nulla. ibid. n.55.
In electione canonica ſemper quod ſinè neceſſitate omittitur aliquid de ſubſtantialibus, ac pertinentibus ad formam eſſentialem Canonicæ electionis electio eſt ipſo iure nulla. ibid n.56.
In electione canonica Religioſi regulares non teneutur ſeruare apices electionis. ibid. n.57.
Electio Canonica facta per ſortes eſt ipſo facto nulla. ibid. n.58.
In electionibus Regularium hic, & nunc ſeruandæ ſunt formæ ſuarũ conſtitutiunum etiam ſi in omnibus non conformetur electio formæ præſcriptæ in capite, quia propter de electionibus. ibid. n. 59.

Epicheya.

Epicheya eſt emendatio legis iuſtè, & importat iuditium quo legislator nõ intendit obligari in tali caſu. t.4.r.1.p.106.n.23.
Epicheya habet locum quando lex eſt nimis dura, & difficilis. ibid.

Epiſcopus.

Epiſcopus non poteſt abrogare præceptum aliquod vniuerſale de ieiunio. t.6.r.21.p.388. n.237.
Epiſcopus poteſt diſpenſare cum hoc vel illo ſubdito iuſta, & legitima exiſtente cauſa ex parte eius cui fit diſpenſatio in lege ieiunij. ibidem. n.238.& p.289.n.239.
Epiſcopus poteſt abrogare legem localem ieiunij, quando dicta lex eſt lata ab Epiſcopo vel ab eius prædeceſſore. ibid p.390.n.240.
Epiſcopus nõ poteſt abrogare legem localem ieiunij, quando ieiunium præcipitur à lege Concilij prouincialis, licet poſſit ex iuſta, & legitima cauſa cum vno, vel alio in dicta lege diſpenſare. ibidem.
Epiſcopus propria authoritate poteſt abrogare legem localem ieiunij, quando dicta lex eſt tantum ſynodalis facta à ſynodo Diœceſana abſque conſilio iudicum ſynodalium. ibidem.

Euchariſtia.

Sumptio Euchariſtiæ in mortis articulo non eſt neceſſaria neceſſitate medij, & finis, hoc eſt non eſt mediũ neceſſarium ad ſalutem, ſed ſolum eſt neceſſaria neceſſitate præcepti. t.4.r.1.p.103.n.17.& p.105. n. 22.
Euchariſtię adminiſtratio in opinione probabili prohibita eſt laicis iure diuino ibid p.108.n.25. & pag. 109. n.26.& p.110.n.28.
Euchariſtiæ adminiſtratio in opinione probabiliori non eſt laicis prohibita iure diuino, ſed dumtaxat iure humano poſitiuo Eccleſiaſtico. ibid p.109 n.27.
Euchariſtia poteſt conſiderari in quãtum ſanctificat ſolum, vel in quantum cauſat quod ſignificat t.4.r.11 p.186.n.183.
In ſacra Euchariſtia poteſt conſiderari, & diuerſitas ſigni, & diuerſitas modi ſignificandi. ibid p.187.n.185
In ſacra Euchariſtia diuerſitas ſigni, & diuerſitas modi ſignificandi nullam arguit diuerſitatem in fructu ſpirituali huius Sacramenti. ibidem p.188.
In Euchariſtia ſacra exemplariter diuerſa ſunt ſigna, ſcilicet oſtia comeſta, & calix bibitus, ſed non ſũt diuerſi Sacramẽti fructus, ſed vnũ atque eundem ſpiritualem fructum ſignificant. ibid. p.189.
Euchariſtiam ſumere ſub vna ſpecie, & non ſub alia non eſt per ſe malũ, nec iure diuino prohibitum. t.4. r. 12.p.191.n.189.

Digitized by Google

Fabriferrarij.

Fabriferrarij, quando ſuam artem laborioſam exercent manent excuſati ab obligatione ieiunij Eccleſiaſtici. t. 6. r. 8. p. 311. n. 97.

Fabriferrarij non ſunt obligati ad obſeruationem Eccleſiaſtici ieiunij illis diebus in quibus ab exercitio ſuæ artis ſe abſtinent ibidem p. 312. n. 99. & ſeq.

Fabriferrarij ſi à labore ſuæ artis laborioſę ſe abſtineant per tres, aut quatuor dies continuos in quibus inſtat ieiunij præceptum tenentur in tali caſu aliquos illorum ieiunare nempe diebus inter medijs excepto primo, & vltimo ibid. p. 313. num. 101.

Foſſores.

Foſſores, quando ſuam artem exercent manent excuſati ab obligatione ieiunij Eccleſiaſtici. t. 6. r. 8. pag. 311. n. 97.

Foſſores non ſunt obligati ad obſeruationem Eccleſiaſtici ieiunij illis diebus in quibus ab exercitio ſuæ artis ſe abſtinent. ibid. p. 312. nu. 99. & ſeq.

Foſſores ſi à labore ſuę artis laborioſę ſe abſtineant per tres, aut quatuor dies continuos in quibus Præceptum ieiunij Eccleſiaſtici inſtat tenẽtur in tali caſu aliquos illorum iejunare nempe diebus intermedijs excepto primo, & vltimo. ibidem p. 313. n. 101.

Fructus Miſſæ.

Fructus Miſſæ eſt dupplex alius ex opere operantis, & alius ex opere operato. t. 3. r. 1. p. 1. n. 1.

Fructus Miſſæ ex opere operantis eſt ille qui correſpondet Miſſæ quoad orationes præces ceremonias &c. qui commenſuratur merito, bonitati, & diſpoſitioni Sacerdotis celebrantis ibid.

Fructus Miſſæ ex opere operato eſt ille qui correſpondet Miſſæ quatenus ſcilicet includit oblationem, quia eſt ex inſtitutione Chriſti ſupra omne meritum, & diſpoſitionẽ Sacerdotis offerentis. ibidem.

Fructus Miſſæ ex opere operato eſt triplex, ſcilic. Generalis, ſpetialis, & medius. ibid. p. 2.

Fructus Generalis Miſſæ eſt qui ex intentione Chriſti, & Eccleſiæ applicatur omnibus fidelibus. ibid.

Fructus Miſſæ ſpecialis eſt ille, qui correſpondet ipſi Sacerdoti offerenti Miſſę ſacrificium. ibid.

Fructus medius eſt qui applicatur illi pro quo ſpecialiter Sacerdos ſacrificium offert ibidem.

Fructus Miſſæ ſpecialis correſpondẽs ex opere operato Sacerdoti celebranti eſt communicabilis, ac proinde poteſt Sacerdos illum alteri perſonæ applicare. t. 3. r. 1. p. 3. n. 8. & p. 6. n. 15.

Hæredes.

Hæredes non poſſunt Miſſas relictas à teſtatore præſcribere ſi non fuerunt prę̨ſcriptę ab ipſo teſtatore, ſed hoc debet fieri ab ordinario, & ſtandum eſt taxationi ab ipſo factę. t. 3. r. 5. p. 60. n. 106.

Hęredes alicuius teſtatoris qui certã pecuniarum ſummam diſpoſuit, vt expenderetur pro miſſis celebrandis pro anima ſua tenentur ex iuſtitia diſtribuere dictam pecuniam quam teſtator in ſuo teſtamento diſpoſuit, vt pro miſſis expenderetur ad rationem taxationis factę ab ordinario etſi aliter faciant abſque expreſſo conſenſu Sacerdotum qui eas Miſſas ſunt celebraturi peccabunt mortaliter. ibid. p. 59. nu. 14. & p. 60. n. 107. & ſeq.

Horologium.

Vbi tantum eſt vnum Horologium ſi duodecimam horam noctis ſonare incipiat (quę in horologio aſtronomico ſignum eſt medie noctis & idem dicendum eſt de aliis horologijs ſeruatis ſeruandis iuxta pulſus deſignantes mediam noctem iuxta diuerſitatem temporum, & regnorum) debet qui craſtinum Eucharistiam ſumpturus eſt, aut miſſam celebraturus ſtatim in prima pulſatione à cibo, & potu ceſſare. t. 4. r. 7. p. 152. n. 118. & 119.

Poſt

Poſt omnes pulſus horologij deſignãtis mediam noctem, neque per minutum quidem poteſt communicaturus, aut miſſam celebraturus aliquid comedere, aut bibere. ibidem p.153.n.111.& ſeq.

Quando ſunt plura horologia in aliqua Ciuitate quodlibet eorum facit opinionem probabilem, & ſic poteſt quis poſtquam aliquid eorũ ſonauerit pulſus deſignantes mediam noctem edere, & bibere donec aliud horologium ſonet, abſq; fractione ieiunij naturalis, & conſequenter diè craſtino communicare aut miſſam celebrare. ibid. p.156. n.127.

Ieiunium Eccleſiaſticum.

In diebus ieiunij Eccleſiaſtici, qui abſque iuſta, & legitima cauſa edit carnes vnum tantum peccatum mortale committit. t 6.r.2. p. 278. n.38.

De eſſentia ieiunij Eccleſiaſtici eſt abſtinentia à carnibus, non autem eſt ſola mera perfectio accidentalis ibid. p. 280. n.41. in fine, & p.281. n.42.

Ieiunium Eccleſiaſticum ſeruare non tenetur, qui diſpenſatus ad edẽdas carnes in diebus ieiunij ratione infirmitatis, aut debilitatis in aliquibus diebus, vel ratione deuotionis vel ob ſuam liberam volũtatem ab eſu carnium ſe abſtinet, ſed poteſt libere plures ſumere refectiones ibid.r.3.p.286.n.54.

Ieiunium Eccleſiaſticum ſeruare tenetur ſub mortali, qui habens diſpenſationem abſolutam edẽdi carnes in omnibus diebus ieiunij ob præſeruationem futuræ infirmitatis in aliquibus ex illis diebus pro ſua libertate, aut deuotionis cauſa ab eſu carnium ſe abſtinet. ibidem. p.287.n.55.& ſeq.

Qui non poteſt ſeruare ieiunium Eccleſiaſticum in quadrageſima, niſi edendo oua, & lacticinia vbi ſunt prohibita, & non adeſt priuilegium bullæ Cruciatæ eo quod ex alijs cibis non habet ſufficientem refectionem, non tenetur comedere oua, & lacticinia, vt poſſit præceptum ieiunij Eccleſiaſtici ſeruare. t.6.r.4. p.292.n.64. & p.293.n.66.

Qui non poteſt ieiunium Eccleſiaſticum ſeruare niſi anticipando horam prandij conſuetam tenetur illam anticipare, & ſeruare ieiunium ibid.

Qui ſine cauſa notabiliter anticipat horam comedendi in die ieiunij non violat ieiunium Eccleſiaſticũ, nec mortaliter peccat. ibid. dicto n.66.

In die ieiunij Eccleſiaſtici non licet ſumere ad ſedandam ſitim poſt prandium toties quoties libuerit pomum, pyram, vuam, & ſimilia mala medica, & mala maſilica in magna quantitate; prædicta, ſcilic. dentibus maſticando, & deglutiendo tantummodo vſque ad ſtomachum ſuccum dictorum fructuum. t.6.r.16 p.354.n 181.& ſeq.

In die ieiunij Eccleſiaſtici licet ieiunantibus abſque fractione ieiunij ſumere aliquam paruam quantitatem cibi, vel ad confortandum ſtomachũ, vt commodius poſſit onus ieiunij tolerare, vel ne potus noceat, quæ ſi ſumatur mane ante prãdium ad confortandum poteſt ſumi quantitas duarum vnciarum. Si autem ſumatur poſt prandium, ne potus noceat poſſit licitè ſumi quantitas cibi infra vnam vnciam. t. 6. r.17.p.359.n.189.

In die ieiunij Eccleſiaſtici poteſt quis abſq; fractione ieiunij ſæpe ſæpius aliquid modicũ cibi ſumere, ne potus noceat etiã ſi his repetitis vicibus perueniat ad magnam quantitatem dummodo poſtremum modicum cibi, quo attingitur notabilis quantitas non continuetur moraliter cum præcedentibus. ibidem p.360.n.191.& p.361. n.192.

In die ieiunij Eccleſiaſtici non datur paruitas materiæ in comedendo poſt mediam noctem prorogando cœnam, quando ſubſequitur ieiunium, aut comedendo ante mediã noctem anticipando comeſtionem in die ieiunij, quando non ſequitur dies ieiunij. t.6.r.18.p.363.n.197. & ſeq. & præcipuè p.366. n.203.& ſeq.

Ieiunium naturale.

Ieiunium naturale ſeruare tenentur infirmi adcommunicandum, etiam per modum viatici, quando iudicio medicorum, illud ſeruare poſſunt. t.4.r.4.p.127.n.60.& ſeq.

Ieiunium naturale, non tenetur infirmus ſeruare ad recipiēdam Euchariſtiam per modum viatici, ſi commodè id facere non poteſt. Imo poteſt ſtāte eodem mortis periculo iterum, atque iterum ſacram Euchariſtiam per modum viatici accipere. t.4.r.5.p.131.n.72.& ſeq.

Ille qui dubitat an ſit ieiunus ieiunio naturali, ſi dubium ſi. negatiuum, poteſt abſque ex ſcrupulo communicare, aut ſacrum celebrare. t.4.r.6.p.139.n.89.& ſeq.

Probabile eſt non frangere ieiunium naturale illum, qui poſt primum ſomnum, ſeu ſignum horæ duodecime mediam noctem deſignans (aut primum ſignum cuiuſcumque horologij pro diuerſitate horologiorum mediam noctem deſignās) aliquid edit, aut bibit. t.4 r.7 p.152 n.120.

Ieiunium naturale inuiolabiliter violat ille, qui poſt omnes pulſus horologij mediam noctem deſignantis aliquid edit, aut bibit. ibidem. p.153.n.122.& ſeq.

Ieiunium naturale non frangit ille, qui vbi ſunt plura horologia poſtquam aliquid eorum pulſat ſigna deſignantia mediam noctem edit, aut bibit donec aliud horologium ſonet pulſus deſignantes mediam noctem. ibid. p.156.n.127.

Ieiunium naturale non frangitur per hoc quod aliquis præter intentionem aliquas aquæ guttas traiiciat dum os abluitur. t.4.r.8.p.159.n.133 & ſeq.

Ieiunium naturale non frangit traiectio Oſſiculi, papyri, fruſtuli ligni vel aliquid ſimile in ſtomachum. Ibid. n.9 p.164.n.143.& ſeq.

Ieiunium naturale improbabili opinione non frangitur per comeſtionem terrę, aut carbonum cum terra, & carbones non ſint cibus humanus. ibid. p.169 n.149.

Ieiunium naturale in opinione æque probabili violatur per comeſtionē terræ, & carbonum ibid n.150.

Ieiunium naturale non violatur per ſumptionem tabacchi in fumo. t.4. r.10.p.174.n.160.& ſeq.

Ieiunium naturale non frangitur per ſumptionem ſpecierum ſacramentalium in magna quantitate. t.4. r.14.p 196.n.199. & ſeq.

Indulgentia.

Indulgentia conceſſa Altari priuilegiato applicanda defunctis habet infallibiliter effectum. t.3.r.2. p.27. n.54.

Infirmus.

Infirmus in mortis articulo conſtitutus ſi commodè poteſt ſeruare ieiunium naturale ad ſacram Euchariſtiam recipiendam etiam per modum viatici illud ſeruare tenetur, quod autem poſſit, vel non poſſit iudicio medicorum terminandum eſt. t.4.r.4 p 127.n.60 & ſeq.

Infirmus in mortis articulo conſtitutus ſtante eodem periculo poteſt iterum, atque iterum non ieiunus ſacram Euchariſtiam ſumere. tr. 4. r.5.p.131.n.72.& ſeq.

Infirmus in articulo mortis conſtitutus durante eodem periculo poteſt iterum per modum viatici cōmunicare ſi præter diem ſūti viatici alteri duæ dies interualli ſint. ibid. p.133 n.76.& ſeq.

Infirmus in mortis articulo conſtitutus ſi ob grauitatem infirmitatis hoſtiam conſecratam deglutire nō valeat nō poteſt ei parochus adminiſtrare ſpecies ſanguinis ad adimplendum præceptum communionis per modum viatici. t. 4.r.12. p. 193 n.193.& ſeq.

Infirmus qui in articulo mortis conſtitutus ſemel communicauit per modum viatici amplius eo præcepto non tenetur quandiù in hoc eodem articulo, ſeu periculo perſeuerat quamuis poſt ſumptionem ſacri viatici peccet mortaliter. t. 4. r.15 p.213.n.230.

Laicus.

Laicus non poteſt in caſu neceſſitatis

puta in mortis articulo, aut tempore peſtis deficiente Sacerdote, & Diacono ſibi ipſi, aut alijs ſacrã Euchariſtiam per modum viatici adminiſtrare.t.4.r.1.p.101.num.11. & ſeq.

Laicus licet non poſſit etiam in caſu neceſſitatis ſibi aut alijs ſacram Euchariſtiam adminiſtrare poteſt tamen in caſu neceſſitatis Corpus Chriſti proprijs manibus tangere, nempe ſi inueniat ſacram Euchariſtiam in terra, aut in loco inmundo, & non adſit Sacerdos, aut Diaconus, qui poſſit Sacram Euchariſtiam de terra, aut de loco in mundo leuare. ibidem p.103. n.14.& p.104.n.19.

Laicus deficiente Sacerdote, & Diacono poteſt, & debet Baptiſmi Sacramentum in caſu neceſſitatis adminiſtrare. t.4.r.1.p.105. n.22.

Laicis in opinione probabili prohibita eſt iure diuino Sacræ Euchariſtiæ adminiſtratio. ibid.p.108.n.25.& p.109.n.26.& p.110. n.28.

Laicis in opinione probabiliori Euchariſtiæ adminiſtratio nõ eſt prohibita iure diuino, ſed dumtaxat iure humano poſitiuo Eccleſiaſtico. ibid p.109.n.27.

Laicis eſt prohibitus vſus calicis, ſeu ſanguinis Chriſti in Sacramentali communione. t.4.r.12.p.191.n.190.

Laicus ex Eccleſiæ diſpenſatione poteſt ſacram Euchariſtiam accipere ſub vtraque ſpecie, ſcilicet panis,& vini. ibid.p.192.n.191.

Laicus qui in mortis articulo conſtitutus ratione infirmitatis non poteſt deglutire hoſtiam conſecratam non eſt ei tribuenda ſpecies ſanguinis ad adimplendum præceptum communionis per modum viatici. ibid p.193.n.193.& ſeq.

Laicis licitum eſt in aliquibus caſibus ſumere ſacram Euchariſtiã ſub ſpecie vini abſque Eccleſiæ diſpenſatione.t.4.r.13.p.194.n.195. & 196.

Laicus qui in ſalute cauſa deuotionis communicauit ſi eodem die poſt factam communionem incidat in mortis periculum, ita vt prudenter judicetur eodem die è vita deceſſurus, aut alio die non poſſe ſacram Euchariſtiam ſumere poteſt immò, & tenetur eodem die vlterius cõmunicare ad adimplendum diuinũ præceptum de ſacramentali comunione accipienda in mortis articulo per modum viatici t.4. r. 15. p. 203.n.114. & ſeq. & p.207.n.123. & & ſeq.

Laici non poſſunt licitè edere oua, & lacticinia in diebus dominicis quadrageſimæ abſque priuilegio bullæ Cruciatæ.t.6.r.5.p.307.n.84.

Miſſa.

Miſſæ celebratio non impeditur per hoc quod quis præter intentionem aliquas guttas aquæ traijciat in ſtomachum dum os abluitur.t.4.r.8.p.159.n.133.& ſeq.

Miſſæ celebratio non impeditur per hocquod quis in ſtomachum traijciat aliquod oſſiculum, papyrum, fruſtulum ligni, vel aliquid ſimile. t.4.r.9.p.164.n.143 & ſeq.

Miſſæ celebratio non impeditur per ſumptionem Tabacchi in puluere aut in folio.t.4.r.10. p.170. n.151.

Miſſæ celebratio impeditur per ſumptionẽ Tabacchi in folio ſi fiat per os, & aliquid in ſtomachum deſcẽdat. ibid.n.152.

Miſſæ celebratio non impeditur per ſumptionem Tabacchi in fumo t.4. r.10.p.174.n 160.& ſeq.

Miſſa quæ celebratur in Sacello Pontificio poſt matutinas vigiliæ Natiuitatis coram ſummo Pontifice ab Eminentiſſimo Cardinali non celebratur in dicta Vigilia, & pro dicta vigilia in tali loco, ſed pro die Natiuitatis Domini, & in dicto die. t.4 r.16.p.223.n.253.

Qui audit miſſam in Sacello Põtificio quæ celebratur coram ſummo Põtifice poſt matutinas vigiliæ Natiuitatis Domini ſi dicta vigilia incidat in Dominica non poteſt auditione illius Miſſæ adimplere præceptum audiendi miſſam in dicta Dominica, bene tamen adimplet præceptum audiendi miſſam in die Natalis Domini. ibidem.

Vnica Miſſæ auditione nõ poteſt quis dupplici præcepto de audienda miſſa in duobus diebus feſtiuis diſtinctis ſatisfacere. ibidem.p.224.n.254.& ſeq.

Mu-

Digitized by Google

Mulier.

Mulieres pregnantes, & lactantes generaliter loquēdo ſunt excuſati ab obſeruatione ieiunij Eccleſiaſtici. t.6.r.9.p.114.n.103.
Mulieres pregnātes, & lactantes etiā ſi robuſtę naturæ ſint non tenentur ad obligationem ieiunij Eccleſiaſtici. ibid.p.315.n. 105. & ſeq.
Mulieres pregnantes non tenentur ad obſeruationem ieiunij Eccleſiaſtici, ſiue cum periculo prolis, ſiue ſine illo ad vincendas tentationes carnis. ibid.p.316. n.107.
Mulieres quinquagenarię abſolutè loquendo non ſunt excuſatæ ab obligatione ieiunij Eccleſiaſtici. t. 6. r. 10.p.318.n.112.& p.319.n.110.
Mulieres quinquagenarię poſſunt deobligati à præcepto ieiunij Eccleſiaſtici ſi prudenter iudicetur in tali ætate non habere ſufficientes vires ad præceptum ieiunij ſeruandum. ibid.p.319.n.114.& ſeq.

Opinio.

Opinio affirmās poſſe Sacerdotes pro vna eadem Miſſa dupplicatum ſtipendium accipere applicando vni perſonæ fructum miſſæ medium, & alteri fructum ſpecialem eiuſdem miſſę, qui competit Sacerdoti celebranti, ex ipſius miſſæ ſacrificio eſt tuta in praxi, & Sacerdotes, qui eā ſequuntur vere excuſantur à peccato, & ab obligatione reſtitutionis t.3.r.1.p.10.n.21.& 22.
Opinio vnius tantum Doctoris docti, & timoratæ conſcientiæ etiamſi ſit contra communem Doctorum ſententiam dicenda eſt probabilis, & tutæ in praxi.t.3.r.2.p.26.n.53.
Opinio affirmans poſſe Sacerdotem licitè pro vna eadem Miſſa dupplicatum ſtipendium accipere ſi eam celebret in altari priuilegiato in quo celebrando liberatur anima è pęnis purgatorij applicando vni perſonæ Miſſæ ſacrificium, & alteri Indulgentiam altaris, licet ſit probabilis ab extrinſeco, ab intrinſeco tamen non eſt probabilis nec tuta in praxi t.3.r.2.p.30.n.57.& 58.
Opinio probabilis eſt quæ affirmat nō frangere ieiunium naturale illum, qui poſt primum ſonū, ſeu ſignum oræ duodecimæ mediam noctem deſignans (aut primum ſignum cuiuſcumque horologij pro diuerſitate horologiorum mediam noctē deſignans) aliquid edit, aut bibit, & conſequenter poſſe communicare, aut miſſam celebrare die ſequēti. t.4.r.7.p.152.n.120.

Oua.

Oua, & lacticinia de iure communi ſunt prohibita ſub mortali, in ieiunijs quadrageſimæ. t.6. r. 5. p. 301. num:76.& ſeq.

Parochus:

Parochus non poteſt infirmo in mortis articulo conſtituto ſacram Euchariſtiam ſub ſpecie vini miniſtrare etiamſi ob infirmitatis grauitatem hoſtiam conſecratam deglutire infirmus non valeat. t.4. r. 12. p, 193.n.193. & ſeq.
Parochus abſente Epiſcopo, & eius Generalis Vicario poteſt cum aliquibus ex ſuis ſubditis in lege ieiunij diſpenſare iuſta, & legitima exiſtēte cauſa. t.6.r.22.p.391.n.241.
Parochus poteſt iuſta, & legitima exiſtente cauſa diſpenſare cum aliquibus, & ſuis ſubditis in lege ieiunij etiam præſente Epiſcopo. ibidem p.392.n.243.& ſeq.
Non ſolum Parochi, ſed etiam eius Vicarij, ſeu vices gerentes poſſunt iuſta, & legitima exiſtente cauſa cum aliquibus in lege ieiunii diſpenſare etiam præſente Epiſcopo. ibid.p.393.n.246.

Pontifex.

Pontifex ſummus licet non habeat authoritatem diſpenſandi in iure diuino habet tamen authoritatem illud explicandi, & interpretandi. t.4.r.1.p.100.n.28.
Pontifex ſummus poteſt anteponere diem ſequentem per duas circiter horas die antecedentis, immò de facto hoc facit omnibus annis in Vigilia Natiuitatis Domini in ſuo Sacel-

Digitized by Google

Sacello Pontificio adhuc effectũ, vt Cardinalis poſſit ibidem ieiunus ieiunio naturali miſſam celebrare coram Pontifice in dicta vigilia Natiuitatis t.4.r.16. p.223. n. 253. & p. 227.n.259.

Pontifex Summus non eſt ſubditus Concilio Generali, ſed ſupra illud, & ita, nec tenebit lex à conſilio Generali facta, Papa repugnante. t. 5.r.4.p.254.n.43.poſt medium.

Pontifex Summus poteſt validè quãuis nõ licitè cum aliquo abſq; cauſa in lege ieiunii diſpenſare.t.6.r.20 p.375.n.218.

Pontifex Summus, licet poſſit validè cum aliquo abſque cauſa in lege ieiunij diſpenſare hoc debet intelligi de cauſa ſe tenente ex parte ſubditi, aut ſubditorũ, qu ſub trahũtur ab onere legis ieiunij nõ aũt de cauſa, ſeu ratione, quæ moueat ſummum Pontificem; nam ſi Summus Pontifex abſque vllo rationis motiuo moueretur ad diſpenſandum in lege ieiunij diſpenſatio eſſet nulla, & Põtifex mortaliter peccaret. ibid.n.219.

Pontifex diſpenſans cum aliquo in lege ieiunij abſque cauſa ſe tenente ex parte eius cui facta eſt diſpenſatio ſi talis diſpenſatio cedat in præiuditium graue alterius, aut in præiudicium notabile boni cõmunis tunc Pontifex diſpenſans abſq; cauſa mortaliter peccabit.t.6.r.20. p.378.n.225.& p.379. n.226.

Pontifex diſpenſans abſque cauſa cũ aliquo in lege ieiunij ſi ex tali diſpenſatione nullum ſequatur præiudicium bono communi, aut alicui particulari non peccat mortaliter, ſed ad ſummum venialiter. ibid.p.378.n.225.& p.379. n. 227. & ſeq.

Præceptum.

Præceptum diuiuum de ſumenda Euchariſtia per modum viatici in mortis articulo ſi non adeſt Sacerdos, aut Diaconus qui poſſit eam adminiſtrare non obligat infirmo in mortis articulo conſtituto. t. 4. r.1. p.103.n.18.& 19 & p.107. n.24.

Præceptum diuinum de ſumenda Euchariſtia per modum viatici nõ obligat infirmo moribũdo quando ob infirmitatis grauitatem hoſtiam conſecratam deglutire non valet. t.4.r.12.p.193.n.193.& ſeq.

Præceptum diuinum datur de ſumẽda Euchariſtia, quod præceptum commune eſt laicis, & Clericis.t.4. r.15 p.199 n.208.

Præceptum diuinum datur de ſumenda Euchariſtia in mortis articulo. ibid n.209.

Præceptum datur Eccleſiaſticũ de ſumenda Euchariſtia in mortis articulo ibid.n.110.

Præceptum diuinum de ſumenda Euchariſtia in mortis articulo impoſitum eſt tamquam onus illius temporis ideoque obligat præcisè in periculo, ſeu articulo mortis phyſicè conſiderato.t.4.r.15.p.210.nu. 226.& 227.& p.211.n.228. & p. 212. n.229.

Præceptum datur Eccleſiaſticũ prohibens ſub mortali edere oua, & lacticinia in diebus quadrageſimalibus.t.6.r.5.p.301.n.76.& ſeq.

Prælatus Regularis.

Prælati Regulares, tam ſuperiores quam inferiores, ſeu locales iuxta, & legitima exiſtente cauſa cum ſuis ſubditis in ieiunijs, tam Eccleſię quam Regulæ, & conſtitutionis licitè, & validè poſſunt diſpenſare. t.6.r.23.per totam à n. 248.

Prælati Regulares non ſemper tenentur diſpenſare cum ſuis ſubditis in lege ieiunij, aut in alijs legibus poſitiuis iuſta, & legitima exiſtente cauſa toties quoties prædicta rationabilis cauſa adeſt. t. 6. r. 24. p. 397.n.255.& 256.& p.398. n.257.

Prælati Regulares tenentur ſub mortali diſpenſare cum ſuis ſubditis iuxta, & legitima exiſtente cauſa toties quoties dicta rationabilis cauſa adeſt tam in lege ieiunij, quã in alijs legibus poſitiuis ſi ex denegatione dictæ diſpẽſationis ſequatur graue damnum bono communi, aut particulari. ibidem. p. 397. n.255.& p.398.n.258.& ſeq.

Priuilegium.

Qui habet priuilegium edendi oua, & la-

& lacticinia in diebus prohibitis licitè poteſt ſpectato iure edere etiã ſagimen in dictis diebus. t. 6. r. 1. p. 263. n. 8.

Ille qui habet priuilegium edẽdi oua & lacticinia in diebus prohibitis non poteſt à tenta conſuetudine generaliter recepta per ſe loquendo edere in dictis diebus ſagimen. ibid. p. 264. n. 9.

Qui habet priuilegium edendi oua, & lacticinia in diebus quadrageſimalibus, & alijs diebus prohibitis poteſt in Regno Siciliæ ratione conſuetudini edere etiam ſagimen in dictis diebus. ibid. n. 10.

Pueri.

Pueri cum ad annos diſcretionis, peruenerint tenentur legibus humanis, tam iuris ciuilis, quam canonici imo, & ab homine latis niſi leges ipſe ipſos excipiat aut iuxta cauſa eos excuſet t. 6. r. 1. p. 268. nu. 17. & p. 270. n. 20.

Pueri ad annos diſcretionis perueniũt generaliter loquendo quando perueniunt ad annum immediatè poſt ſeptennium nempe ad octauum. ibid. p. 69. n. 19.

Pueri poſt ſeptennium iam completũ non poſſunt licitè edere carnes, & lacticinia in diebus prohibitis, & ſi id faciant peccant mortaliter. ibid. & p. 270. n. 20.

Religio.

Religio diſcalceatorum Bebtæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum vigore ſuarum conſtitutionum confirmatarum à Sede Apoſtolica in forma ſpeciali, & de apoſtolicæ plenitudinis poteſtate poſſunt, & debent omnibus Sabbathis anni quocumque feſto etiam claſſico occurrente poſt primam in omnibus Conuentibus dictæ Recollectionis cantare miſſam ſollemnem de Beatiſſima Virgine cum ſolis commemorationibus de Spiritu Sancto, & Beato Ioſepho non obſtanlibus rubricis miſſalis Romani. t. 3. r. 7. p. 80. n. 139.

Sacerdos.

Sacerdos poteſt licitè accipere ſtipendium iuxtum pro applicatione fructus miſſæ ſpecialis, qui ipſi Sacerdoti celebranti competit ex miſſæ crificio ex opere operato, diſtinctũ ab eo quod accipit pro applicatione fructus eiuſdem Miſſæ, qui dicitur medius, non obſtante decreto Sacrę Congregationis de celebratione miſſarum. t. 3. r. 1. p. 6. n. 15. & ſeq.

Sacerdotibus non eſt prohibitum à Sacra Congregatione in Decretis de celebratione Miſſarũ, nec directè, nec indirectè, vt nõ poſſint iuſtũ ſtipendiũ accipere pro applicatione fructus Miſſæ ipſis ex Miſſæ Sacrificio correſpondente ſi dictũ fructum vt poſſunt alteri perſonæ applicent. t. 3. r. 1. p. 8. n. 18.

Sacerdos qui tenetur dicere miſſam, pro ſola præſentia, vt aſſerunt, non poteſt aliud ſtipendium accipere pro applicatione valoris miſſæ. t. 3. r. 1. p. 9. n. 20.

Sacerdotes qui in praxi ſequuntur opinionem affirmantem poſſe pro vna miſſa dupplicatum ſtipendium accipere vnum pro applicatione fructus medij, & aliud pro applicatione fructus ſpecialis eiuſdem Miſſæ vere excuſantur à peccato, & obligatione reſtitutionis. ibid. p. 10. num. 21. & 22.

Sacerdos licitè poteſt iuxtum ſtipendium accipere pro miſſæ celebratione abſque ſimoniæ labe. t. 3. r. 1. p. 14. n. 28. & 29.

Sacerdos exiſtens in peccato mortali valide poteſt pro alio applicare fructum miſſę ſpecialem ſibi ipſi ex Miſſæ ſacrificio correſpondentem, & pro applicatione ſtipendium accipere abſque obligatione reſtitutionis. ibid. p. 25. n. 31.

Sacerdos accipiens ab vna perſona decem tarenos v. g. pro decem miſſis celebrandis, ſi illi applicet vltra fructum miſſæ medium fructum ſpecialem miſſæ Sacerdoti celebrãti correſpondentem ex miſſę ſacrificio ſatisfacit ſuæ obligationi ſi pro dicta perſona quinque tantum miſſas celebret abſque eo quod mor-

mortaliter peccet, & ad reſtitutionem teneatur. t.3.r.1.p.31. n.45.

Sacerdos in opinione probabili, ſaltem ab extrinſeco poſtpro vna eadem miſſa dupplicatum ſtipendium accipere celebrando illam in altari priuilegiato, in quo celebrando anima à penis purgatorij liberatur applicando vni Miſſæ ſacrificium, & Altari indulgentiam dicti altaris in quo Miſſam celearat. t. 3. r. 2. p. 28. n.55.& 56.

Sacerdos in probabiliori opinione non poteſt licitè dupplicatum ſtipendium pro vna eadem miſſa accipere celebrando illam in altari priuilegiato in quo celebrando anima è pænis Purgatorij liberatur applicando vni Miſſæ ſacrificium, & alteri indulgentiam Altaris.ibidem p.31.n.57.& 58.

Sacerdos non poteſt licitè ſimpliciter & abſolutè loquendo diſtincta ſtipendia, è diuerſis accipere pro vna eadem miſſa: neque vtrique obligationi ſatisfacere applicando pro vna ex illis perſonis fructum miſſæ impetratorium, & pro alia fructum ſatisfactorium eiuſdem Miſſæ.t.3.r.3.p.36.n.67.

Sacerdos licitè poteſt pro vna eadem miſſa dupplicatum ſtipendium à diuerſis perſonis accipere, & obligationi ſuę ſatisfacere ſi elargiētes elemoſynam pro miſſis celebrādis vnus petat miſſam ad obtinendum aliquod beneficium à Deo, & alius petat miſſam pro liberatione alicujus animæ, è Purgatorij pænis de conſenſu vtriuſque applicando vni perſonæ fructum Miſſæ impetratorium, & altari perſonæ fructum ſatisfactorium eiuſdem Miſſæ. ibid. p.37.n.68.

Sacerdos obligatus quotidie celebrare in aliqua determinata Eccleſia, aut Capella tenetur quotidie celebrare in dicto loco, vel per ſe vel per alium Sacerdotem ab ipſo deſtinatum t.3.r.4 p.39.n.72.

Sacerdos obligatus quotidie celebrare pro aliqua determinata perſona poteſt cauſa maioris honeſtatis, & deuotionis licitè ſemel in hebdomada miſſam omittere. ibidem n.73.

Sacerdos obligatus quotidie celebrare pro aliqu a determinata perſona ratione Cappellaniæ licet cauſa deuotionis, & honeſtatis poſſit licitè vnam Miſſam in hebdomada omittere tamen ſi velit dicto die celebrare pro ſua libera voluntate tenetur ſi dicto die miſſam celebret illam applicare pro intentione fundatoris dictæ Cappellaniæ, & non poteſt eā applicare pro alio, & pro applicatione nouum ſtipēdium accipere, & ſi id faciat peccabit mortaliter, & ad reſtitutionem tenebitur. ibid.p.41.n.79. & ſeq.

Sacerdos obligatus ratione Cappellaniæ quotidie celebrare nō poteſt licitè ſemel in hebdomada pro vna eadem miſſa dupplicatum ſtipēdium accipere applicando pro intentione fundatoris dictæ Cappellaniæ fructum miſſæ ſatisfactorium & pro alia perſona fructum impetratorium eiuſdem Miſſæ.ibidem p.51.n.93.

Sacerdos accipiens ab aliqua perſona certam pecuniæ quantitatem, vt pro ſua intentione miſſas celebret ſi dicta perſona tribuens illi dictam elemoſynam numerum miſſarum non præſcribat Sacerdos ſolum tot miſſas tenebitur celebrare quot correſpondent taxationi factæ ab ordinario ſecundum morem ſuæ Ciuitatis ſeu Prouinciæ. t.3.r.5. p. 60.n.105.

Sacerdotes recipientes ab hæredibus aut fideicommiſſarijs alicuius teſtatoris, qui elemoſynam miſſarum celebrandarum pro anima ſua non præſcripſit minorem eleemoſynam pro qualibet miſſa, quam eſt illa, quæ eſt taxata ab ordinario ſecundum morem, ſuæ Ciuitatis, vel prouinciæ abſque eorum expreſſo cōſenſu poſſunt dicti Sacerdotes tuta conſcientia damnum ſibi illatum compenſare reducendo miſſas ad minorem numerum ſecundum taxationem ab ordinario factam.ibid p.59.n.104.& p.60.n.107.& ſeq.

Sacerdos poteſt licitè eādem miſſam offerire pro vna perſona ratione ſtipendij accepti, & pro alia, aut alijs ex charitate, aut liberalitate. t.3.r 6.p.70.n.122.& ſeq.

Sa-

Sacerdotes Regulares non poſſunt licitè eandem m ſſam applicare pro religioſo defunctο ſuæ religionis pro quo ratione conſtitutionis ordinis tenetur celebrare, & ſimul pro alia perſona ratione ſtipendij accepti. ibic p 75. n. 129 & ſeq.

Sacerdotes Regulares licitè poſſunt vnam, & eandem miſſam applicare pro vna perſona, ex iuſtitia ratione ſtipendij accepti, & ſimul pro benefactoribus ſuæ Religionis titulo gratitudinis eis debitę. ibid. p. 78. n. 132

Sacerdos Cappellanus obligatus ratione Cappellaniæ ad celebrandũ omnibus Sabbathis anni Miſsam B. Mariæ Virginis non tenetur in omnibus dictis Sabbathis miſſam de Beata Virgine celebrare etiam ſi id exprimatur in fundatione Cappellaniæ. t. 3. r. 7. p. 79. n. 136.

Sacerdos qui ex ſtipendio accepto ſe obligauit miſsã votiuã, aut de requiem celebrare ſi talis dies non ſit impeditus feſto dupplici tenetur ſub mortali dictam miſſam votiuã, aut de requiem celebrare. ibidem. p. 81. n. 140. & ſeq.

Sacerdos obligatus miſſam celebrare titulo Cappellaniæ, aut ratione ſtipendij in altari priuilegiato pro aliqua anima exiſtente in Purgatorio ſatisfacit ſuæ obligationi celebrando dictam miſſam in alio altari cum numiſmate benedicto v. g. Sancti Caroli applicando illi indulgentiam plenariam quam aſſequitur virtute ipſius numiſmatis, aut virtute Coronæ, ant Medaliæ benedictæ. t. 3. r. 8. p. 84. n. 146. & 147.

Sacerdos obligatus virtute Cappellaniæ, aut ratione ſtipendij Miſſam celebrare in altari priuilegiato pro aliquo defuncto ſi teſtator expreſſerit in fundatione Cappellaniæ, aut tribuens elemoſynam ſe velle miſſam celebrari in hoc altari priuilegiato non ſolum quia priuilegiatum eſt, ſed etiam in illius honorem, aut imaginis alicuius Sãcti collocati in dicto altari priuilegiato tunc tenebitur Sacerdos ſub mortali ibi celebrare. ibidem p. 85. n. 145.

Sacerdos Regularis in Conuentu vbi eſt Conuentualis liberat animam è pęnis purgatorij celebrando miſſam de Requiem, aut aliam in altaribus ſuæ Eccleſiæ ſcilicet in altari Crucifixi, Columnæ, Sãcti Matthię Spiritu Sancti, in altari Virginum, vel Sanctæ Mariæ Magdalenæ, vel in alio altari ſemel, & pro ſemper aſſignando à Superiori Miniſtro, Priori, Guardiano &c. ex conceſſione diuerſorum Pontificum. ibid. n. 149 & 150.

Sacerdos ſæcularis liberat animam è purgatorio celebrando miſſam in Eccleſia Regularium in Altari Crucifixi, vel in Altari B. Virginis, aut Spiritu Sancti ibid n 150.

Sacerdos pauper qui coactus paupertate, & neceſſitate, ab vna, vel à pluribus perſonis plura exigua, ſtipendia accepit poteſt celebrare minorem numerum miſſarum pro illa, aut illis perſonis reducendo dictas miſſas ad taxationem factã ab ordinario, aut iuxta illam quæ cõmuniter dari ſolet in illa Ciuita aut oppido à viris timoratis niſi Sacerdos ille pauper ſuo iuri cedat atque expreſſe acceptet ſe ob illã tenuem ſtipem velle totam miſſam applicare t. 3. t. 9. p. 88. n. 154. & 155.

Sacerdos omittens celebrationem vnius Miſſæ pro qua accepit iuſtũ ſtipendium peccat mortaliter. t. 3. r. 10. p. 92. n. 162.

Sacerdos, qui accepit ſtipendium ſatis magnũ pro celebratione vnius miſſæ eam omittendo celebrare peccat mortaliter, & tenetur ad reſtitutionem pecuniæ acceptæ ſub mortali ratione iniuſtè detentionis ibid. n. 163.

Ad ſolum Sacerdotem ex officio pertinet adminiſtrare Euchariſtiæ Sacramentum. t. 4. r. 1. p. 96. n. 1.

Sacerdos in caſu neceſſitatis nempè in mortis articulo poteſt ſi non adeſt alius Sacerdos, aut Diaconus ſeipſum proprijs manibus communicare dum non ſequatur aliquod ſcandalum. t. 4. r. 2. p. 113. n. 34.

Sacerdos extra caſum neceſſitatis etiamſi ſcandalum abſit non poteſt per ſe ipſum Euchariſtiam ſumere. ibid. n. 35.

Sacerdos in mortis articulo conſtitutus ſi adſit Diaconus qui poſſit illi

Sacrum viaticum porrigere non poteſt ſeipſum proprijs manibus communicare etiam ſi abſit ſcandalum ibid.p.114.n.36.

Sacerdos in caſu neceſſitatis nempe in mortis articulo non poteſt extra miſſam hoſtiam, ſeu particulam cõſecrare, vt ſe communicet per modum viatici. ibid.p.115.n.38.

Sacerdos qui non ſumpta ablutione communicauit poterit ſecũdo celebrare ſi neceſſitas adſit vrgens nempe ad porrigendum viaticum infirmo in articulo mortis conſtituto. t.4.r.3.p.145.n.39.

Sacerdos in probabili ſentẽtia poteſt non ieiunus celebrare ad porrigẽdum viaticum infirmo in mortis articulo conſtituto. t.4.r.3.p.116.n.40. & ſeq.

Sacerdos in probabiliori ſententia nõ poteſt nõ ieiunus miſſam celebrare ad porrigendum viaticum infirmo in mortis articulo conſtitutus. ibid.p.118.n.48.& ſeq.

Sacerdos ſi non ſumpta ablutione communicauit poterit ſecundo celebrare ſi neceſſitas adſit vrgens. t.4.r.14.p.198.n.204.

Sacerdos qui in ſalute miſſam celebrauit ſi eodem die poſt miſſæ celebrationem incidat in manifeſtum mortis periculum, ita vt prudenter timeatur quod eodem die eſt moriturus poterit imò, & tenebitur iterum eodem die communicare ad adimplendum diuinum præceptũ de recipienda Euchariſtia per modum viatici in mortis articulo t. 4. r.15.p.203.n.214.& ſeq.& p.207.nu. 223. & ſeq.

Sacra Congregatio.

Sacra Congregatio in decretis editis de celebrationé Miſſarum de iuſſu, & mandato Vrbani VIII. non prohibet Sacerdotibus, nec formaliter expticite nec virtualiter, & implicitè, quod non poſſint fructum ſpecialem miſſæ, ipſis ex miſſę ſacrificio correſpondentem ex opere operato alteri perſonæ applicare, & pro applicatione ſtipendium accipere. t.3 r.1 p.8.n.18.

Sacra Congregatio in Decretis de celebratione miſſarum expreſſe prohibet Sacerdotibus, qui tenentur miſſam celebrare pro ſola præſentia, vt aſſerunt, vt non poſſint alium ſtipendium accipere pro applicatione valoris miſſæ. ibidem. p. 9.n.20.

Declarationes factę à Sacra Congregatione de ſummi Pontificis, authoritate habent vim legis, & ſunt deciſiuæ, & authoritatiuæ, t. 3. r. 5. p.60.n.107.

Sacrificium.

Sacrificium Miſſę in ratione ſacrificij eſt infiniti valoris, tam intenſiuę, quam extenſiue. t.3.r.1.p.18.n. 36 & 37.& r.6.p.70.n.122 & p.73.n.125.

Sacrificium miſſæ ex eo quod ſit infiniti valoris tam intenſiuæ, quam extenſiuæ conſequenter ſequitur, quod pluribus applicatum à Sacerdote tantum prodeſt cuilibet quãtum ſingulis; ita vt nihil detrimenti accipiat ille, pro quo miſſa celebratur ſi pro alijs etiam dicto modo applicetur. ibid.n.38.

Sacrificium miſſæ triplicem cauſat fructum, ſcilicet propitiatorium, quatenus cauſat gratiam, impetratoriũ quatenus impetrat nouis bona quę petimus, & ſatisfactoriũ quatenus ſatisfacit pro peccatis, & pro pęnis eis debitis. t.3.r.3.p.32.n.59.

Sartores.

Sartores tota die laborantes in ſuis officijs excuſati manent ab obligatione ieiunij Eccleſiaſtici. t. 6. r. 7. p.69.n.92.& ſeq.

Senes.

Senes octogenarij ratione dictæ ætatis ſunt immunes ab obligatione Præcepti abſtinendi ſe à carnibus in quadrageſima, & in alijs ieiunijs Eccleſiaſticis, ac diebus in quibus eſus carnium ab Eccleſia prohibetur. t.6.r.26.p.405.n.275.

Senes octogenarij ſi compotes ſint rationis non ſunt eſenti ab obligatione obſeruationis pręcepti annuæ confeſſionis, & communionis ibid. p.406.n.276.& 277.

Senes octogenarij ſi omnino ſint rationis incapaces ſicut ſunt infantuli, aut omnino amentes non tenentur obſeruare præcepta, ſiue Eccleſiaſtica ſint, ſiue diuina, ſed immunes ſunt ab illorum obſeruatione, & vt tales debent reputari. ibidem. n.278.

Stipendium Miſſę.

Stipẽdium iuſtum licitè accipi poteſt à Sacerdote pro miſſæ celebratione abſque ſimoniæ labe. t. 3.r.1. p. 14. n.28.& 29.

Stipendium iuxtum licitè poteſt Sacerdos accipere pro applicatione fructus miſſæ ſpecialis, qui ipſi Sacerdoti celebranti competit ex miſſę ſacrificio ex opere operato diſtinctum ab eo quod accepit pro applicatione fructus eiuſdem miſſę qui dicitur medius non obſtante decreto Sacrę Congregationis de celebratione miſſarum. t.3.r.1. p. 6. n. 15.& ſeq.

Stipendium dupplicatum accipi poteſt à Sacerdote pro vna eadem miſſa in opinione probabili ſaltem ab extrinſeco celebrando illam in altari priuilegiato in quo celebrãdo anima è pęnis purgatorij liberatur applicando vni perſonę miſſę ſacrificium, & altari indulgentiã plenariam dicti altaris in quo miſſam celebrat. t.3.r.2.p.28.n.55.& 56.

Stipendium dupplicatum non licet licitè accipi à Sacerdote pro vna eadem miſſa in opinione probabiliori celebrando illam in altari priuilegiato in quo celebrando anima è pęnis purgatorii liberatur applicando vni perſonę miſſę ſacrificiũ, & alteri indulgẽtiam altaris in quo miſſam celebrat. ibidem. p.31.n.55. & 58.

Stipendium dupplicatum non poteſt licitè Sacerdos à diuerſis perſonis accipere pro vna eadem miſſa neq; vtrique obligationi ſatisfacere applicando pro vna ex illis perſonis fructum miſſę impetratorium, & pro alia fructum ſatisfactorium eiuſdem miſſę. t.3.r.3.p.36.n.67.

Stipendium dupplicatum licitè poteſt Sacerdos pro vna eadem miſſa à diuerſis perſonis accipere, & obligationi ſuę ſatisfacere ſi elargiẽtes eleemoſynam pro miſſis celebrandis vnus petat miſſam ad obtinendum aliquod beneficium à Deo, & alius petat miſſam pro liberatione animæ, è purgatorij pęnis de conſenſu vtriuſque applicando vni perſonæ fructum miſſæ impetratoriũ, & alteri perſonę fructum ſatisfactorium eiuſdem miſſæ. ibid. p.37.n.68.

Subdiaconus.

Subdiaconus non poteſt in caſu neceſſitatis nempe in mortis articulo, aut tempore peſtis deficiente Sacerdote, & diacono ſibi ipſi, aut alijs ſacram Euchariſtiam per modum viatici adminiſtrare. t.4.r.1.p.101.n. 21.& ſeq.

Superior.

Superior Generalis ordinum Regularium non poteſt propria authoritate, ſine generali Capitulo ſui ordinis nouas erigere prouincias, aut erectas diuidere. t.5.r.3.p.252.n.39.

Superior Generalis Regularium habet ſupremam poteſtatem in ſua Religione, & in illa dicitur Princeps t.5.r.4 p.253.n.41.& p.254. n. 44.

Superiores Generales Regularium non poſſunt diſpenſare in actis, & ordinationibus factis à Capitulo Generali Religionis, & multo minus eas abrogare propria authoritate abſque iuriſdictione delegata ab ipſo capitulo. ibid.p.254.nu.42. & ſeq.

Superiores Generales ordinum Regularium, licet quilibet eorum in ſua Religione habeat plenam poteſtatem tamen non habent in ſua Religione quilibet eorum plenitudinem poteſtatis. ibid.p.254.n.44.

Sutores

Sutores ratione laboris ſunt liberi ab obligatione ieionij Eccleſiaſtici, tã in quadrageſima quam extra eam in alijs diebus ieiunij. t.6.r.6.p.308. n.86.& 87.

Sutores, qui cõficiunt calceos ex mol-

li materia, & ſubtili ratioue laboris ſunt liberi ab obligatione ieiunij Eccleſiaſtici.ibid n.89.

Sutores qui calceos incidūt, & poſtea tradunt alijs conſuendos ſi tota integra dies in hoc exercitio comſumant cum magna applicatione, & celeritate excuſati manent ab obligatione ieiunij Eccleſiaſtici ſecus vero ſi in dicto exercitio partē tantum diei conſumant. ibid.n.90.

Teſtator.

Teſtator quando in ſuo teſtamento mandauit, & præcepit, vt certa quantitas determinata expendatur in miſſis celebrandis pro anima ſua non autem perſcripſit numerum miſſarum, aut ſolum dixit vt celebrentur pro anima ſua tot miſſæ abſque vlla præſcriptione elemoſinæ tunc nō eſt liberum hæredibus, aut teſtamenti exequtoribus, ſeu fideicōmiſſarijs eleemoſynam ſibi beneuiſam præſcribere, ſed hoc debet fieri ab ordinario, & ſtandum eſt taxationi ab ipſo factæ. t.3.r.5.p.6. n.106.

F I N I S.

ERRATA

Digitized by Google

ERRATA SIC CORRIGE

PAgina 8. col.1. num.18. lin.25. fructos. lege fructus. ibidem lin.20.ſuco aperint. lege ſuſceperint. ibidem lin.penult. applicarere. lege applicare. P.12. col.1.lin.3. eſt. lege ſit. ibidem lin.14.ſufficientis. lege ſufficienti ibidem lin.43. quo. lege quod. P.21.col.2.lin.21.decem. lege quinq; ibidem lin.38.duobus. lege duabus. P.26.col.2.lin.4.agendas. lege augendas. P.31.col.2.num. 58. lin. 16. de requie. lege de requiem. P 35.col.1.lin penult.ex. lege. hæc. P.37.col.1.lin.9. iuſtam. lege iuſta. P.49.col.1.lin.19. in quo celebrat. lege in quo non celebrat. P.51.col.1.n.93.lin 4 maxima. lege maxime. ibidem col.2. lin. 15. ex vi ſua. lege ex vi ſuæ. P.54.col.2.n.97.lin.28.nam bene.lege nam non bene. P. 56. col.1. lin. 33.eſſe. lege iſte. P.61.col.2.lin.11.aut niſi. lege aut non. P.65.col.2.num.113.lin. 39.quod ſit.lege quod nō ſit. P.68.col.2.n.119.lin.8. infiniti lege finiti. P.72 col.2. lin.13.debita. lege dubia. P.73.col.1.lin.2.probata. lege prohibita. ibidem col.2. lin.16.eligeret.lege eliceret. P.76.col.1.lin.42. & conſtitutionem. lege & conſtitentionis. P.86.col 2.lin.8 columbæ. lege. columna. P. 100. col.2.num.10 lin.16. non poteſt.lege poteſt. P.131.col.1.n.68.lin.21.Chriſmata.lege Chariſmata. Pag. 136.col.1.nu 81.lin.penult. extitet. lege. euitet. P. 137.col.2. lin.5. vbi. lege cibi. P.165.col.2.lin.38 indicat. lege induat. P.201.col.2.nu.218.lin.22. non poſſe nec teneri. lege poſſe, & teneri. P.221.col.1. nu. 247. lin.36. cum peccata commiſſa. lege cum peccatis commiſſis. P.273.col.1.lin.38.cum. lege. niſi cum. P.292.col. 2.lin.24.Præceptorem lege. Præceptorum. P.331.col.1.lin.12.quem.lege quam. P.332.col.1. nu.140.lin.10. ſolibius. lege ſolidius. P.334.col.2.nu.147.lin.14. nurtiant. lage nutriant. P.379.col.1.nu.227.lin.3.ſeureatur.lege ſequatur. P.394.col. 2.lin.vlt.co nuerſationem. lege conſeruationem.

Digitized by Google

Digitized by Google

6–1

Digitized by Google